UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Philippi Clvveri[i] Italia Antiqva

Opus post omnium curas elaboratissimum ; tabulis geographicis ære expressis illustratum ...

Philippi Clvveri[i] Italiae Antiqvae. Tomus ...

Clüver, Philipp

Lvgdvni Batavorvm, 1624

Liber Tertivs. Quo Latium Priscum Novumque describuntur: ac tandem de Ausonum gente differitur: qui iidem fuêre Opici & Osci.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14124

Visual Library

PHILIPPI CLVVERII

ITALIAE ANTIQVAE

LIBER TERTIVS:

Quo LATIVM PRISCVM NOVVMque describuntur: ac tandem de AVSONVM gente disseritur; qui iidem fuêre OPICI & OSCI.

* *
*

CAPVT PRIMVM.

De LATIO: *quæ regio antè* SATVRNIA *dicta est, &* OENOTRIA; *& priùs* ITALIA, *ac* SICILIA. *item de incolis eius* SICVLIS *&* ABORIGINIBVS: *quorum hi posteà unà cum* PELASGORVM *quibusdam dicti sunt* LATINI. *item de* LATII *variis finibus.*

Truscis, Sabinis, atque Aequiculis, quos omneis superiori volumine exposuimus, contermini fuêre LATINI: quorum regio LATIVM dicta. Hanc qui mortalium primi incoluerint, inter alios auctores omnium quàm curatissimè exsequi adgressus Dionysius Halicarnassensis, Antiquitatum Romanarum lib. 1 ita tradit: τὼ ἡγεμόνα γῆς ἁπάσης πόλιν, ἣν νῦν κατοικοῦσι Ῥωμαῖοι, παλαιοτάτοις τῶν μνημονευομένων λόγοις καλεῖν βάρβαροι Σικελοὶ, ἔθνος αὐθιγενές. πρὸ τούτων, ὅτ' οὐκ ἐκαλεῖτο πρὸς ἑτέρων, ὅτ' οὐκ ἔρημος ἦν, ἀδύνατον ἔχειν βεβαίως εἰπεῖν. χρόνῳ δὲ ὕστερον Αὐρουγῖνες αὐτὴν ἐκάλεσαν, πόλεμον μακρὸν οὐκ ἔχοντας ἀφελόμενοι· οἱ τὸ μὲν πρότερον ἐπὶ τοῖς ὄρεσιν ὤκησαν ἄκωμον καὶ ἄτειχον· ἐπεὶ δὲ Πελασγοί τε καὶ τῶν ἄλλων Ἑλλήνων τινὲς ἀναμιχθέντες αὐτοῖς συνῆραν τὸ πρὸς τοὺς ὁμοτίμους πολέμιον, τὸ Σικελικὸν ἔθνος ἀπανασήσαντες ἐξ αὐτῆς, πόλεις ἐνέβαλον συχνὰς, καὶ περιεσκόπησαν ἱκανὴν αὐτοῖς γῆν ἔχειν, ὅσην ἐφίζουσι πλεῖστοι Λίριός τε καὶ Τίβερις. καὶ διέμενεν ἐπὶ ταὐτὸν αὐτῆς οἴκησις, οὐκέτι πρὸς ἑτέρων ἐξελαθέντες, ὀνομάτων ἀλλαγαῖς αὐτοῖς οἱ αὐτοὶ ἄνθρωποι προσαγορευόμενοι, μέχρι μὲν τῶν Τρωϊκῶν πόλεμον τὸν ἀρχαίαν τῶν Αὐρουγίνων ὀνομασίαν ἔτι σώζοντες· ὅτε δὲ Λατῖνος βασιλεύων, ὃς καὶ τὸν Ἰλιακὸν πόλεμον ἐδυνάστευσε, Λατῖνοι ἀρξάμενοι καλεῖσθαι. Hoc est: *Vrbem, terræ marisque totius principem, quam nunc Romani habitant, primi in omni memoriâ tenuisse feruntur barbari Siculi, gens indigena. superiore autem tempore alios ne colonos habuerit, an inculta fuerit, nemo potest certo dicere. Posteà verò, pulsis longo bello priscis cultoribus, Aborigines eam occuparunt. qui primùm in montibus passim sine mœnibus vicatim habitaverunt. sed postquam Pelasgi & cæterorum Græcorum nonnulli, ipsis admisti, opem in debellandis finitimis attulerunt; exactâ inde Siculorum gente, opida crebra communiverunt; subegeruntque sibi totum id terrarum spacium, quod amnes duo Liris atque Tiberis terminant. Eas sedeis deinde perpetuò tenuit idem genus hominem, mutatis tantùm adpellationibus; vetus Aborigínum nomen servantes ad Troiani usque belli tempora; quando à Latino rege denominati sunt Latini.* Ergo primi mortalium, quorum memoria exstet, hanc regionem incoluêre SICVLI. Hinc Varro etiam de Lingvâ Latinâ lib. IIII, *Lepus*, inquit, *quòd è Siculis Græci quidam dicunt* λέπορι. *à Româ quòd orti Siculi, ut annales nostri veteres dicunt,*

SICVLI, *primi Latii incolæ.*

cunt, fortassè hinc illud tulerunt: & hæc reliquerunt hoc nomen. Solinus cap. VIII; ubi Italiæ laudes concelebrat: *Coloniæ tam frequentes, tam adsidua novarum urbium gratia, tam clarum decus veterum opidorum; quæ primùm Aborigines, Aurunci, Pelasgi, Arcades, Siculi, totius postmodùm Græciæ advenæ, & in summâ, victores Romani condiderunt.* Sed hæc ille habuit à Plinio: qui lib. III cap. V de eodem agens Latio, *Tam tenues*, inquit, *primordio imperii fuêre radices. colonis sæpè mutatis, tenuêre alii aliis temporibus, Aborigines, Pelasgi, Arcades, Siculi, Aurunci, Rutuli.* Quum ab Aboriginibus aliisque populis Italiâ pulsi Siculi *Sicaniam* insulam occupassent; quæ tum de eorum nomine dici cœpit *Sicilia*: nonnulli antiquorum scriptorum eos à sede suâ adpellaverunt *Sicanos*: quamquàm priscorum *Sicanorum* gente in occidentali insulæ parte etiamtum relictâ. id Virgilius posteà etiam in Italiâ ita usurpavit: & Virgilium, ut mea fert opinio, imitati deinde alii. Agellius lib. I cap. X: *Favorinus philosophus adolescenti veterum verborum cupidissimo, & plerasque voces nimis priscas & ignotissimas in quotidianis communibusque sermonibus exprimenti; Curius, inquit, & Fabricius & Coruncanius, antiquissimi viri nostri, & his antiquiores Horatii illi trigemini, planè ac dilucidè cum suis fabulati sunt: neque Auruncorum aut Sicanorum aut Pelasgorum, qui primi incoluisse Italiam dicuntur, sed ætatis suæ verbis loquuti sunt.* Eadem hæc verba apud Macrobium quoque Saturnalior. lib. I cap. V leguntur. Virgilii hæc sunt Aeneid. lib. VIII:

Primus ab ætherio venit Saturnus Olympo,
Arma Iovis fugiens, & regnis exsul ademptis.
Is genus indocile ac dispersum montibus altis
Composuit, legesque dedit; Latiumque vocari
Maluit, his quoniam latuisset tutus in oris.
Aureaque, ut perhibent, illo sub rege fuêre
Sæcula. sic placidâ populos in pace regebat.
Deterior donec paullatim ac decolor ætas,
Et belli rabies, & amor successit habendi.
Tum manus Ausoniæ & gentes venêre Sicanæ:
Sæpiùs & nomen posuit Saturnia tellus.

SICILIA regio; quæ Latium dicta.

Atque tum ab incolis *Siculis* regio hæc dicta fuit SICILIA. Solinus dicto cap. VIII: *Tibur, sicut Cato facit testimonium, à Catillo Arcade, præfecto classis Euandri, conditum; sicut Sextius, ab Argivâ juventute. Catillus enim, Amphiarai filius, post prodigialem patris apud Thebas interitum, Oeclei avi jussu, cum omni fœtu ver sacrum missus, treis liberos in Italiâ procreavit, Tiburtum, Coram, Catillum: qui, depulsis ex opido Siciliæ veteribus Sicanis, à nomine Tiburti fratris natu maximi urbem vocarunt.* Stephani epitomator: Σικελία, ἡ χώρα καὶ ἡ νῆσος. Id est: *Sicilia, regio atque insula.* Comprehendisse hanc *Siciliam* non tantùm omne *Priscum Latium*; cuius fineis mox infrà aperiemus; sed & totum *Sabinum agrum*; suprà lib. I cap. I patuit: ubi hoc oraculi Dodonæi responsum, quod Pelasgis Italiam petentibus datum est, è Dionysii dicto lib. I, Macrobii Saturnalior. lib. I cap. VII, & Stephani epitomatore, voce Ἀβοριγῖνες, retulimus:

Στείχετε μαιόμενοι Σικελῶν Σαβερνίαν αἶαν,
Ἠδ' Ἀβοριγίνεων Κοτύλην, ἵνα νᾶσος ὀχεῖται.

Hoc est:

Pergite quærentes Siculûm Saturnia rura
Atque Aboriginiden Cotylem, ubi se insula vectat.

Sed hunc Siculi agri tractum circa *Cutiliam* lacum & Reate opidum jam ante Aboriginum immigrationem occupaverant Vmbrorum quidam: quibus pulsis, proximos inde Siculos adgressi sunt Aborigines. Dionysius dicto lib. I, post enarrata Reatini agri opida, quæ suprà lib. II cap. VIIII exposuimus: τὼ μὲν δὴ πρώτω οἴκησιν Ἀβοριγῖνες ἐν τούτοις λέγονται ποιήσασθαι τοῖς τόποις, ἐξελάσαντες ἐξ αὐτῶν Ὀμβρικούς. ἐντεῦθεν δὲ ὁρμώμενοι, τούς τε ἄλλους βαρβάρους καὶ πάντων μάλιστα Σικελοὺς, ὁμοτέρμονας ὄντας, ἐπῆσαν τῇ χώρᾳ ἐπόλεμουν. * — * . καὶ πόλεις ἔκτισαν ἄλλας τε πολλὰς καὶ τὰς μέχρι τῆσδε οἰκουμένας, Ἀντεμνάτας τε καὶ Τελλήνας καὶ Φικουλέας καὶ Τιβερίνους· παρ' οἷς ἔτι καὶ εἰς τόδε χρόνου μέρος τι τῆς πόλεως ὀνομάζεται Σικελιών. Id est: *Has primas sedeis, pulsis inde Vmbris, habuisse dicuntur Aborigines. Inde excurrendo, tùm alios barbaros tùm præcipuè confineis Siculos infestabant, bellum cum eis de agrorum possessionibus gerentes.* Aliquanto pòst: *Et, præter alia opida condi-*

condiderunt hæc, quæ nunc quoque inhabitantur, Antemnates, Tellenenſes, Ficulenſes, atque Tiburtinos: apud quos hodiéque pars urbis vocatur Sicilio. In medio Latio *Gabios* & *Ariciam* opida ab eisdem Siculis fuiſſe condita & habitata, ex dicto Solini cap. VIII diſco. *Quis ignorat*, inquit, *condita opida, Gabios à Galatto, & Bio, Siculis fratribus: Ariciam ab Archilocho Siculo.* Apud Virgilium Aeneid. lib. XI Latinus, Aboriginum rex, ita in concilio concionatur:

Eſt antiquus ager, Tuſco, mihi, proximus amni,
Longus in occaſum, fineis ſuper usque Sicanos:
Aurunci Rutulique ſerunt, & vomere duros
Exercent colleis, atque horum aſperrima paſcunt:
Hæc omnis regio & celſi plaga pinea montis
Cedat amicitiæ Teucrorum: & fœderis æquas
Dicamus leges; ſociosque in regna vocemus.
Conſidant; ſi tantus amor; & mœnia condant.

Ad hunc locum ita commentatur Servius: *Hoc loco Donatus erravit: dicens, agrum, quem Latinus donare ſe disponit, eſſe in Campaniâ juxta Vfentem fluvium, (quod etiam Clavarius ait) cuius terras vicinas Thuſci aliquando tenuerunt: unde dictum ſit; Tuſco mihi proximus amni. agit enim hoc argumento; quod illic eſt locus, qui hodiéque Pinetum vocatur. Conſtat, loca illa omnia eſſe campeſtria. nec procedit, quòd dicitur, Celſi plaga pinea montis. Vnde ſequenda eſt potiùs Livii, Siſennæ, & Catonis auctoritas. nam penè omnes antiquæ hiſtoriæ ſcriptores in hoc conſentiunt. Cato enim in Originibus dicit, Troianos à Latino accepiſſe agrum, qui eſt inter Laurentum & caſtra Troiana. Hic etiam modum agri commemorat; & dicit, eum habuiſſe jugera* IↃCC. *Longus in occaſum.*] *Eâ parte, qua in occidentem tenditur, longior. Potuit ergo usque ad Laurentum & ad Oſtiam tendi. Fineis ſuper usque Sicanos.*] *Vsque ad fineis Sicanos loquitur; quos Siculi aliquando tenuerunt; id eſt, usque ad ea loca, in quibus nunc Roma eſt. hanc enim Siculi habitaverunt.* Quòd Cato dixit, agrum Troianis datum inter Laurentum & Troiana caſtra, id minimè congruit hiſtoriæ de rebus Aeneæ. quidpe *Lavinium* opidum, quod Aeneas ab ſe conditum de uxoris Laviniæ, Latini filiæ, nomine adpellavit, non inter Laurentum & Tiberim, ſed ab Laurento in orientem verſùs poſitum fuit; ut infrà in expoſitione huius litoris videbimus. Et quis credat, inter Laurentum Tiberimque *Auruncos* ſimul & *Rutulos* incoluiſſe? item, quomodò longitudinem maximam agri dixerit poëta à Laurento ad Tiberim, id eſt, ex ortu in occaſum; quum longius ſpacium fuerit ab auſtro in ſeptemtriones, id eſt, à mari ad urbem Romam? Et quis ille tandem *pinetorum celſus mons?* An non *Circæus*, prope Vfentem, terminus ab hac parte quondam, non Latini regis regni, ſed multis poſt hunc ſæculis, Romanorum imperii, id eſt, ut illi vocabant, *Priſci Latii*; quod infra oſtendemus? Poëtico igitur more, ut haud ſemel aliàs, heic etiam eas res Aeneæ Latinique temporibus accommodavit, quæ longè poſteriùs exſtiterunt. Cæterùm *Sicanos*, id eſt, *Siculos*, qua regione huius Latii, cuius rex fuit Latinus, collocatos voluerit Virgilius, nondum ſatis perſpicio: niſi, quòd & *Sicanos*, quemadmodùm *Latinos*, *Rutulos*, atque *Auruncos*, Latini ditioni ſubjecerit incluſeritque. ait quidpe *agrum* iſtum *antiquum*, id eſt *antiquum Latium*, *in occaſum ad Tiberim amnem usque ſuper fineis Sicanos* extenſum fuiſſe. Eiusdem Aeneid. lib. VII ita canit:

Ipſe inter primos præſtanti corpore Turnus
Vertitur.
Inſequitur nimbus peditum, clypeataque totis
Agmina denſantur campis; Argivaque pubes,
Auruncæque manus, Rutuli, veteresque Sicani.

Vbi ita Servius: *Benè veteres. nam ubi nunc Roma eſt, ibi fuerunt Sicani: quos poſteà pepulerunt Aborigines.* At Dionyſius verò Siculorum agrum, antequàm à Pelaſgis Aboriginibusque pellerentur, etiam ultra Tiberim in Etruriam usque protendit, dicto lib. I poſteà. Πολλῶν δὲ καὶ ἄλλων ἐκρατησαν οἱ Πελασγοὶ χωρίων, τῆς τε Ἀβοριγῆς τ' ἐκ τῆς τὰς Σικελὰς πόλεμον ἔτι σωιζομένης πολλῇ προθυμίᾳ συνδιέφερον, ἕως ἐξήλασαν αὐτὰς ἐκ τ' σφετέρας. καὶ πόλεις πολλὰς, τὰς μὲν οἰκισμένας καὶ πρότερον ὑπὸ τ Σικελῶν, τὰς δὲ αὐτοὶ κατασκευάσαντες, ὤκιζον οἱ Πελασγοὶ κοινῇ μὴ τ Ἀβοριγίνων· ὧν ἐστιν ἥ τε Καιρηϊανῶν πόλις, Ἄγυλλα ἣ τότε καλουμένη, καὶ Πίσα, Σ Σαβρηνία, καὶ Ἄλσιον, Σ ἄλλαι πλείους, ἃς ἀνὰ χρόνον ὑπὸ Τυρρηνῶν

ἀφηρέθησαν. Φαλέρεον δὲ καὶ Φασκέννιον, ἔτι καὶ εἰς ἐμὲ ἦσαν οἰκήματα ὑπὸ Ῥωμαίων, μικρὰ ἄθλα διασώζοντα ζώπυρα Πελασγικῆς φύσεως, Σικελῶν ὑπαρχόντων πρότερον. Id est: *Alta quoque Pelasgi loca multa in potestatem suam redegerunt: & Aboriginibus contra Siculos promptam praestiterunt operam, donec eos ejecerunt suis sedibus. In his multa opida, partim jam antè ab Siculis habitata, partim ab se condita, tenuerunt indivisa sociæ gentes Pelasgi atque Aborigines. ex quibus sunt Cære, tunc Agylla dictum, Pisa, Saturnia, Alsium, & quædam alia; quæ postmodùm à Tyrrhenis occupata sunt. Falerium verò & Fescennium, etiam meo tempore à Romanis habitata, parvas quasdam scintillas servant Pelasgici generis; quum olim Siculorum fuerint.* De *Falerio* & *Fescennio*, item de *Alsio* & *Cære*, ut opidis haud ita procul à Tiberi sitis, facilè crediderim, tenuisse ea loca quondam Siculos. at de *Saturniâ*, maximè verò de *Pisâ*, longiùs disitis, etiam atque etiam dubitaverim.

ITALIA regio.

Sed *Latium* ab initio habitatum fuisse ab *Siculorum* antiquissimâ gente, à quorum nomine dictum *Sicilia*, satis hactenus ostensum. Hoc nominis posteà à quodam rege eorum *Italo* mutatum fuisse in ITALIAE vocabulum; quod tandem in omnem Alpeis inter & fretum Siculum transiit terram, suprà lib. 1 cap. 1 compluribus vetustissimorum auctorum demonstratum est documentis: quæ singula heic repetere, supervacaneum duco. unum Thucydidem citasse, sufficiat. Is initio libri VI, ubi de Siciliâ insulâ agit, Σικελοὶ δέ, inquit, ἐξ Ἰταλίας (ἐνταῦθα γὰρ ᾤκουν) διέβησαν ἐς Σικελίαν, φόβῳ νενέμενοι Ὀπικούς. εἰσὶ δ' ἔτι καὶ νῦν ἔν τῇ Ἰταλίᾳ Σικελοί· καὶ ἡ χώρα ἀπὸ Ἰτάλου, βασιλέως τινὸς Σικελῶν, ἔτως Ἰταλία ἐπωνομάσθη. Hoc est: *Siculi autem ex Italiâ, (ibi namque habitavêre) fugientes Opicos, in Siciliam trajecerunt. Sunt verò etiam nunc in Italiâ Siculi: & regio à rege quodam Siculorum Italo sic Italia dicta est.* Non ex Latio sive antiquissimâ illâ Siciliâ expulerunt Siculos Opici; sed ex inferiore Italiæ apud fretum Siculum parte: quò, ejecti ex Latio ab Aboriginibus, confugerant. Quo autem Italiæ tractu Thucydidis tempestate *Siculorum* isti nonnulli exstiterint, hactenus apud neminem aliorum auctorum dispicio. nemo quidpe Siculos in Italiâ memorat, postquàm in insulam trajecerunt: nisi poëta Virgilius; qui, ut antiquissima haud semel alibi etiam cum recentioribus permiscet, sic heic quoque *Sicanos* Aeneæ tempore in Italiâ simulque *Siculos* in insulâ *Sicaniâ*, id est, Siciliâ, ponit.

ABORIGINES unde dicti.

De ABORIGINIBVS igitur, qui in Siculorum agros successerunt, nunc deinceps dicendum. Nomen eorum unde originem ceperit, ostendere voluit Festus Pompeius his verbis: *Aborigines adpellati sunt, quòd errantes convenerint in agrum, qui nunc est populi Romani. fuit enim gens antiquissima Italiæ.* Eamdem simulque duas alias adfert huius vocabuli originationes Dionysius dicto lib. 1. Τοὺς δ' Ἀβορίγινας, inquit, ἀφ' ὧν ἀρχὴ Ῥωμαίων τὸ ἡμέτερον, οἱ μὲν αὐτόχθονας Ἰταλίας, ἡμᾶς αὐτὰ καθ' ἑαυτὰ ἡμῶν ὀνομάζουσι, δι' ὀνομασίαν αὐτοῖς τὴν πρώτην φασὶ τεθεῖσθαι, ἀπὸ τοῦ ἡμέτερος τοῖς μετ' αὐτοὺς ἄρξαι. ἕτεροι δὲ λέγουσιν ἀνέσεις τινὰς καὶ πλάνητας, ἐκ πολλῶν συνελθόντας χωρίων, καὶ δαίμονα θεῖον τυχεῖν ἀλλήλοις αὐτόθι. καὶ τὴν οἴκησιν ὅτι τοῖς ἐρύμασι κατασκόποις, ζῶν ὁ ἀπὸ λῃστείας καὶ νόμης. ἀφαλάττεσθαι δὲ τὴν ὀνομασίαν αὐτῶν, ὅτι τὸ τὴν τύχαις οἰκειότερον, Ἀβερρίγινας λέγοντες, ὡσὲ δηλοῦσθαι τοὺς πλάνητας. Id est: *Aborigines, auctores conditoresque Romani generis, Italiæ indigenas alii sui corporis gentem adserunt: nomenque iis inde impositum esse, quòd posteris suis originis ab se fuerint auctores. alii malunt, errones quosdam, incertis vagantes sedibus, & è multis regionibus convenas, fortè fortunà in iis locis junxisse inter se copias: munitisque sibi firmis sedibus, latrocinio ac re pecuariâ vitam transegisse. hi torquent vocabulum ad condicionem eorum hominum, quasi ab erroribus vocantes Aberrigines.* Primam istam ἐτυμολογίαν Virgilius quoque innuere voluit Aeneid. lib. VII, in his versibus:

Quin etiam veterum effigies ex ordine avorum,
Antiquâ ex cedro, Italusque paterque Sabinus,
Saturnusque senex, Ianique bifrontis imago,
Vestibulo adstabant, aliique ab origine reges.

Ad quæ verba ita Servius, *Ab origine reges. pro, Aboriginum reges. sed est metro prohibitus.* Tertiam originationem tradit Dionysius aliquanto pòst, his verbis: Κληθῆναι δὲ οἴομαι Ἀβορίγινας ἀπὸ τῆς ἐν τοῖς ὄρεσιν οἰκήσεως. id est: *Adpellatos autem puto Aborigines, quia in montibus sedeis suas habebant.* Scilicet, quia ὄρος Græcis est, quod Latinis *mons*. Idem innuit & anteà, verbis suprà citatis; quæ fuêre huiusmodi: Ἀβορίγινες· οἱ τὸ μὲν πρότερον ἀπὸ τοῖς ὄρεσιν ᾤκησαν ἄνω τε χῶν, κωμηδὸν καὶ σποράδες. Id est:

Abori-

Aborigines; qui primùm in montibus passim sine mœnibus vicatim habitaverunt. Hanc ἐτυμολογίαν Virgilius etiam innuit Aeneid. lib. VIII; ubi Euandrum fingit ita Aeneæ narrantem:

Hæc nemora indigenæ Fauni Nymphæque tenebant;
Gens virûm truncis, & duro robore nata:
Quîs neque mos neque cultus erat: nec jungere tauros
Aut componere opes nôrant, aut parcere parto:
Sed rami atque asper victu venatus alebat.
Primus ab æthereo venit Saturnus Olympo;
Arma Iovis fugiens, & regnis exsul ademptis.
Is genus indocile, ac dispersum montibus altis,
Composuit; legesque dedit: Latiumque vocari
Maluit; his quoniam latuisset tutus in oris.

Sextus quoque Aurelius Victor in libro de Origine gentis Romanæ eamdem vocabuli originem commemorat; sed altiùs deductam. *Quidam*, inquit, *tradunt, terris diluvio coopertis, passim multos diversarum regionum in montibus, ad quos confugerant, constitisse. ex quibus quosdam, sedem quærenteis, pervectos in Italiam Aborigines adpellatos; Græcâ scilicet adpellatione, à cacuminibus montium, qui illi ὄρη faciunt.* [lege, *quæ illi ὄρη faciunt.*] *Alii volunt, eos, quòd errantes illò venerint, primò Aberrigines; post, mutatâ unâ literâ, alterâ demptâ, Aborigines cognominatos.* Primum illud de diluvio per se falsum. nam neminem diluvio superfuisse, præter Noachum cum uxore ac tribus filiis, harumque uxoribus, sacrata nos docent monumenta. Sed ipse mox eam revocat sententiam Aurelius; dum *pervectos in Italiam Aborigines adpellatos* ait *à cacuminibus montium, quæ Græci ὄρη* dicunt. Ab Italiæ autem montibus quomodò nomen sibi peculiare imponere gens hæc una potuit, quum complures aliæ in eâdem terrâ, adeóque pleræque, incoluerint monteis? Tum, quænam ἐτυμολογία, particulæ seu syllabæ primæ Α'β ex Græcâ lingvâ dari poterit? *Aberrigines* verò si primùm adpellatos velis; non jam ab *errando*, quia incertis sedibus vagi hinc inde erraverint; sed ab *aberrando*, quasi ab institutâ viâ aberraverint, vocabulum hoc eis fuerit quæsitum. alioquin certè particula *ab* fuerit perquàm inepta, & nullâ sanâ ratione addita. Iam verò illa originatio nominis quàm absurda quámque ridicula est, ubi Dionysius ait, Καὶ τὴν ὀνομασίαν αὐτοῖς τὴν πρώτην φασὶ τεθῆναι, ἀφ' ἧς τὸ ἠρίζεως τοῖς μετ' αὐτοὺς ἄρξαι. id est: *nomenque iis inde impositum, quòd posteris suis originis ab se fuerint auctores.* O delira vanorum grammaticorum cerebra? Ergo igitur primi illi gentis auctores conditoresque sine proprio aliquo nomine fuêre, antequàm posteri eorum ideò *Aboriginum* vocabulum iis dederint, quòd hi originem ab illis duxerint? At quàm certos sibi designarunt maiores; quando eâ adpellatione omnes aliæ, quotquot toto Orbe fuerunt, gentes indicari potuerunt? Verùm vocabuli huius veram originem Romanis planè absconditam ignotamque fuisse, satis ex eo adparet, quòd multi in eâ enodandâ variè, prout cuique ingenium suppetebat, laborarunt. proinde nos etiam, ut prorsus incertam, transmittamus.

ABORIGINUM *origo.*

De ipsius gentis origine jam anteà ex Dionysii intelleximus, fuisse quosdam auctores, qui αὐτόχθονας, id est, Italiæ *indigenas*, eos existimaverint, quorum origo ex ipsâ terrâ Italiâ exstiterit. unde etiam Festus *gentem* eos *Italiæ antiquissimam* adpellavit. Antiquissimi equidem mortales eas haud dubiè genteis vocarunt αὐτόχθονας sive *indigenas*, quæ primam corporis sui constitutionem à structurâ Babylonicæ urbis & gentium inde divisione habuerunt. Id verò posteris ita intellectum, quasi ex ipsis, quos quæque à Babylone profectæ obsederant, terris primi eorum auctores conditoresque progeniti forent: scilicet, quia longinquâ traditione acceperant, primum omnium mortalium è terrâ à Deo fuisse conditum; ut Germaniæ lib. I cap. VIII ostendi. Eâdem igitur ratione *Aborigines* quoque quibusdam rerum scriptoribus, ob summam antiquitatem, *indigenæ* Italiæ visi sunt. Verùm ab hac sententiâ quàm longissimè abivisse video gravissimos Romanorum scriptores Catonem, Sempronium, & alios: de quibus ita narrat Dionysius dicto lib. I posteà: Οἱ δὲ λογιώτατοι τῶν Ῥωμαίων συγγραφέων, ἐν οἷς ἐστι Πόρκιός τε Κάτων, ὁ τὰς γενεαλογίας τῶν ἐν Ἰταλίᾳ πόλεων διημελέσταθ' συναγαγών, καὶ Γάϊος Σεμπρώνιος, καὶ ἄλ-

λοι συχνοὶ, Ἕλληνας αὐτὸς εἶναι λέγουσι, τῶν ἐν Ἀχαΐᾳ ποτὲ οἰκησάντων, πολλαῖς γενεαῖς πρότερον τοῦ πολέμου τοῦ Τρωϊκοῦ μιγαδάντων. οὐκέτι μοί τοι διορίζουσιν ὅτε φῦλον Ἑλληνικὸν, ἢ μετεῖχον, ὅτι πάλιν, ἐξ ἧς ἀπανέστησαν, οὔτι χρόνου, οὔθ' ἡγεμόνα τῆς ἀποικίας, οὔθ' ὁπόσας τύχας χρησάμενοι τὴν μητρόπολιν ἀπέλιπον. Ἑλληνικῷ μύθῳ χρησάμενοι, εἰδενὰ τῶν τὰ Ἑλληνικὰ γραψάντων βεβαιοῦντι παρέχοντο. Τὸ μὲν οὖν ἀληθὲς ὅπως ποτ' ἔχει, ἄδηλον. εἰ δ' ἐστὶν ὁ τούτων λόγος ὑγιὴς, οὐκ ἂν ἕτερα ἴσως εἴησαν ἄποικοι γένους, ἢ τοῦ καλουμένου νῦν Ἀρκαδικοῦ. πρώτοι γὰρ Ἑλλήνων ἔτι, περαιωθέντες τὸν Ἰόνιον κόλπον, ὤκησαν Ἰταλίαν, ἄρχοντος αὐτοῖς Οἰνώτρου, τοῦ Λυκάονος, ἐπακμάζοντες γενεαῖς πρότερον τῶν ἐπὶ Τροίᾳ στρατευσάντων. Hoc est: *At scriptorum Romanorum doctissimi, in quibus est Porcius Cato, qui curatissimè scripsit de originibus Italicarum urbium, Caiusque Sempronius, & complures alii: Græcos eos esse adseverant; profectos ex Achaiâ, multis ante bellum Troianum ætatibus. nec tamen tradunt, ex qua regione Græciæ, quave urbe migraverint: ac ne tempus quidem, aut ducem coloniæ, aut quo casu patrias sedeis reliquerint, ostendunt. antiquumque sequenti sermonem Græcanicum; nullius Græci scriptoris eum confirmant testimonio. Itaque, rei veritas quomodò sese habeat, incertum est. At si eorum sana est narratio; non possunt alterius fuisse generis coloni, quàm Arcadici. namque hi primi Græcorum, trajecto sinu Ionio, domicilium in Italiâ statuerunt; deducti ab Oenotro, Lycaonis filio, XVII ætatibus priùs, quàm ad Troiam bellatum est.* Id est, annis CCCCLVIIII. ætatem quidpe Dionysius facit annorum XXVII. nam eodem lib. I tradit ætate XVI à Troiano bello conditam fuisse Romam: deinde verò, eodem libro infrà, factum id adfirmat anno à Troiano bello CCCCXXXII: idemque repetit posteà, initio statim libri II. libro autem primo ait, post Herculis ex Italiâ discessum δευτέρᾳ γενεᾷ, ἔτει δὲ πέμπτῳ καὶ πενηκοστῷ, id est, *ætate secundâ, anno verò quinquagesimo quinto*, Aboriginum regem fuisse Latinum. De cætero, post suprà scripta pergit ex variis iisque antiquissimis Græcorum scriptoribus migrationem *Oenotri* in Italiam demonstrare: quam Pausanias quoque initio Arcadicorum adnotavit his verbis: Ἀρκάδων δὲ τὰ πρὸς τῆς Ἀργείας Τεγεᾶταί τε ἔχουσι καὶ Μαντινεῖς. νέμονται δὲ οὗτοί τε καὶ τὸ ἄλλο Ἀρκαδικὸν τὸ μεσόγαιον τῆς Πελοποννήσου. * — *. Φασὶ δὲ Ἀρκάδες, ὡς Πελασγοὶ γένοιντο ἐν τῇ γῇ πρώτῃ πρῶτοι. εἰκὸς δὲ ἔχειν τοῦ λόγου καὶ ἄλλως ὁμῶς τῷ Πελασγῷ, μηδὲ αὐτὸν Πελασγὸν γενέσθαι μόνον. ποίων γὰρ καὶ ἡρχεν ὁ Πελασγὸς ἀνθρώπων; Μεγάθη μέν τοι καὶ κατὰ ἀλκὴν καὶ κάλλος παρεῖχεν ὁ Πελασγὸς, καὶ γνώμῃ ὑπὲρ τοὺς ἄλλους ἦν. καὶ τούτων ἕνεκα αἱρεθῆναί μοι δοκεῖ βασιλεύειν ὑπ' αὐτῶν. πεποίηται δὲ καὶ Ἀσίῳ τοιάδε ἐς αὐτόν.

Ἀνδάγεων δὲ Πελασγὸν ἐν ὑψικόμοισιν ὄρεσσι
Γαῖα μέλαιν' ἀνέδωκεν, ἵνα θνητῶν γένος εἴη.

Πελασγὸς ἦ βασιλεύσας, τότε μὲν πείσασθαι καλύβας ἐπενόησεν, ὡς μὴ ῥιγοῖτό τι καὶ ὕεσθαι τοὺς ἀνθρώπους, μηδὲ ὑπὸ δὲ καύματος θαλάπτοιεν, τότε ἦ τοὺς χιτῶνας τοὺς ἐκ τῶν δερμάτων τῶν ὑῶν, οἷς καὶ νῦν ἔτι Εὐβοιεῖς ἔστι χρῶνται καὶ ἐν τῇ Φωκίδι ὁπόσοι βίᾳ ἀπαείρεσιν, ὅτοις ἐστὶν ὁ ἐξωμίς. * * *. Πελασγὸς ἦ βασιλεύσας γένος καὶ τῇ χώρᾳ Πελασγίαν Φασὶ ὄνομα. Λυκάων δὲ ὁ Πελασγοῦ, ποιάδε εὗρεν ἢ ὁ πατὴρ οἱ σοφώτερα. * — *. Νύκτιμον μὲν πρεσβύτατός τε δὴ καὶ εἶχε τὸ πατρῷον κράτος. οἱ δὲ ἄλλοι παῖδες τοῦ Λυκάονος πόλεις ἐνταῦθα ἔκτιζον, ἔστε ἑκάστῳ δὴ μάλιστα κατὰ γνώμην. Πάλλας μὲν Παλλάντιον. * · * · Οἴνωτρος ἦ ὁ τῶν παίδων νεώτατος Λυκάονι τὸ δρέπανον, Νύκτιμον τὸν ἀδελφὸν χρήματα καὶ αὐδρας αἰτήσας, ἐπεραιώθη ναυσὶν ἐς Ἰταλίαν· καὶ ἡ Οἰνωτρία χώρα τὸ ὄνομα ἔσχεν ἀπὸ Οἰνώτρου βασιλεύσαντος. Οὕτως ἐκ τῆς Ἑλλάδος ἐς ἀποικίαν πρώτη ἐστάλη. * · Ἐπὶ ἦ τῷ γένει παντὶ τῷ ἄρσενι θυγάτηρ Λυκάονι ἐγένετο Καλισώ. ταύτῃ τῇ Καλισοῖ σπειρόμενος ἐραθεὶς Ζεύς. * · * · Μετὰ ἦ Νύκτιμον ἀποθανόντα Ἀρκὰς ἐξεδέξατο ὁ Καλισοῦς τε καὶ Διός. ἀπὸ τούτου δὲ βασιλεύσαντος Ἀρκαδία τε αὐτὴ Πελασγίας ἡ χώρα, καὶ αὐτὴ Πελασγῶν Ἀρκάδες ἐκλήθησαν οἱ αὐθρωποι. Id est: *Arcadiæ partem eam, quæ fineis Argivorum contingit, Tegeates & Mantinenses tenent. Incolunt autem cùm hi populi tùm omne Arcadicum nomen mediterranea Peloponnesi. Primum autem in hac terrâ exstitisse Pelasgum, memorant Arcades. At consentaneum certè est, non solum illum, sed alios etiam unà cum eo fuisse. quidpe quibus ille omnino imperasset hominibus? Crediderim ego, Pelasgum magnitudine, robore, ac formâ, animique dotibus cæteros superasse: eamque ob rem ei à suis regnum decretum: cuiusmodi ei testimonium etiam Asius dedit versibus suis:*

Montibus alticomis peperit nigra terra Pelasgum,
Dis similem; & generi tribuit nova regna futuro.

Pelasgus

Pelasgus igitur quum regnare cœpisset; primùm quidem rudeis homines docuit tuguria, ad frigoris imbriumque & æstus incommoda arcenda, ædificare. idemque tunicas facere instituit è suis pellibus: qualibus etiam nunc in Eubœâ ac Phocide tenuiores homines utuntur. Mox: *Ab hoc rege totam regionem eam Pelasgiam adpellatam ferunt. Eius filius Lycaon nonnulla etiam sapientiùs, quàm pater, excogitavit.* Et aliquanto pòst: *Nam quum Nyctimus, Lycaonis liberorum natu maximus, paternum imperium adisset: reliqui sibi, diversis, arbitrio quisque suo, agri partibus occupatis, opida communière: Pallantium Pallas.* Deinde: *At natu minimus Oenotrus, pecuniâ & viris à fratre Nyctimo acceptis, classe in Italiam transmisit. à quo fuit ea, in qua consedit, terra de regis nomine Oenotria nuncupata. Atque hæc omnium prima è Græciâ colonia deducta fuit.* Mox: *In omni autem liberorum virilis sexus numero filia Lycaoni fuit Calisto: quam Iupiter, amore captus, compressit.* Paullo pòst: *Mortuo Nyctimo, Arcas, Calistûs filius, regnum suscepit. Ab hoc rege & ipsa, quæ antè Pelasgia dicebatur, Arcadia terra, & gens, Pelasgi qui fuerant, Arcades nominati sunt.* In Iustiniani etiam Constantionibus ita scriptum est: Περὶ δ' πραίτωρ Λυκαονίας, Διάταξις κέ· Τὸ Λυκαόνων ἔθνος μείζονι τῆς νῦν ὄσης δεχῆς καταστημῆναι δίκαιον φήσημι, ὁπαβλέποντες εἰς τὰς πρώπας δεχὰς, ὅθεν αὐτὸ συγκλῶσι παρέδοσαν ἡμῖν οἱ τὰ παλαιὰ συγγράφοντές τι καὶ διηγούμενοι· καὶ ὅτι συγγενέστατόν ἐστι Ῥωμαίοις, καὶ σχεδὸν ἐκ τῶν αὐτῶν σπερμάτισμένον πεφάσαν. Λυκάονι γὰρ τῷ πρώλω Ἀρκαδίας τῆς ἐν Ἑλλάδι βεβασιλεύκοτι, καὶ τῶν Ῥωμαίων οἰκῆσαι γένος γλῶ ἐστὶν πρώλω Οἰνωτρες πρεσλαβόντι, τῇ Ῥωμαίων δεχῇ δοῦναι πεφοίμιον (Φασὶν δὲ ταῦτα δὴ τὰ παλαιὰ, ἃ πολλῷ τῶν Λινείᾳ τι καὶ Ῥωμύλᾳ χρόνων πρεσβύτερα) καὶ ὁποικίαν ὅπῃ ἃ τῇδε εἰλαῦν μέρη, μοῖραί τινα τῆς Πισιδίας ἀφελέσθαι, ταύτῃ τε δοῦναι τῶν αὐτοῦ πεφυγμένων, Λυκαονίαν τε ἐξ αὐτοῦ καλέσαι τῶν χώραν. Id est: *De prætore Lycaoniæ, constitutio* XXV. *Quum ad prima illa principia, ex quibus Lycaonum gentem antiquarum rerum scriptores & enarratores constitisse tradiderunt, respicimus; & quòd maximam cum Romanis adfinitatem habeat, quódque ex eâdem fermè occasione in unum coacta sit; maiore, quàm hactenus, magistratu eam exornare iustum putavimus. siquidem usu venit, ut olim Lycaon, qui Arcadiæ in Hellade rex fuit, & Romanum solum incoleret, & adsumptis quondam Oenotris, Romano imperio daret veluti principium; (dicimus autem vetera illa, quæ longo antè tempore Aeneæ & Romuli ætates præcesserunt) & deductâ in hasce partes coloniâ, Pisidiæ bonam partem adimeret; eique deinde suum nomen inderet; & regionem ex se Lycaoniam adpellaret.* Dionysius dicto lib. 1 duos Lycaonis filios in Italiam colonias deduxisse tradit, *Oenotrum* atque *Peucetium:* hunc Apuliæ parteis apud sinum Hadriaticum, illum proxima Siculo freto, (quæ postea Lucani atque Brutii tenuêre,) expulsis inde antiquissimis Italiæ incolis *Ausonibus*, occupasse: unde in superiora Italiæ suggressi, Siculos tandem sedibus suis ejecerunt: ut suprà lib. 1 cap. 1 ostensum. Pergit itaque Dionysius dicto lib. 1 in hæc verba: Τὰ μὲν οὖν ὑπὸ τῶν παλαιῶν εἰρημένα ποιητῶν τε καὶ μυθογράφων πεῖ τε οἰκήσεως καὶ ἠθῶν τῶν Οἰνωτρων τοιαῦτά ἐστιν· οἷς ἐγὼ πεῖσμαι, εἰ τῷ ὄντι Ἑλληνικὸν φῦλον ἦν τὸ τῶν Αὐσονίων, ὡς Κάτωνι καὶ Σεμπρωνίῳ τε πολλοῖς ἄλλοις εἴρηται, τούτων ἔγγονοι αὐτὸ τῶν Οἰνωτρων πείσομαι. τὸ γὰρ δὴ Πελασγικὸν καὶ τὸ Κρητικὸν, καὶ ὅσα ἄλλα ἐν Ἰταλίᾳ ᾤκησαν, ὑστέροις διέσκω χρόνοις ἀφικόμενα. παλαιότερον δὲ πού τε φόλον ἀπανασαίτα τῆς Ἑλλάδος εἰς τὰ πεφεσπερία τῆς Εὐρώπης ἔθνη δυνάμει καταμαθεῖν. Τὰς δὲ Οἰνώτρους τῆς τ' ἄλλης Ἰταλίας πολλὰ χωρία οὔσμει καταλαχεῖν, τὰ μὲν ἔρημα, τὰ δ' Φαύλως οἰκούμενα καταλαβόντας, καὶ δὴ καὶ τῆς Ὀμβρικῶν γῆς ἐστιν ὃν ὑποτεμέσθαι. κληθῆναι δὲ Αὐσονίνας ὑπὸ τῆς ἐν ὄρεσιν οἰκήσεως· Ἀρκαδικὸν γὰρ τὸ Φιλοχωρεῖν ὄρεσιν· ὡς Τ' περικλείς λιναὶ καὶ Παρκλίνες Ἀθηνᾶσιν. Τῶν δὲ πόλεων, ἐν αἷς τὸ πρῶτον ᾤκησαν Αὐσονῖνες, ὀλίγας πεῖσαν ἐπ' ἐμοῦ. αἱ δὲ πλεῖσται, ὑπό τε πολέμων καὶ ἄλλων κακῶν οἰκφθόρων βαρηθεῖσαι, ἔρημοι ἀφεῖνται· ἦσαν δ' ἐν τῇ Ῥαλίνῃ γῇ, τῶν Ἀπεννίνων ὀρῶν ἀμακρὰν, ὡς Βάρρων Τερέντιος ἐν Ἀρχαιολογίαις γράφει, ὑπὸ τ' Ῥωμαίων πόλεως αἱ τὸ βραχύτατον ἀπέχεσαι ἡμερήσιον Διάστημα ὁδοῦ. Hoc est: *Atque hæc sunt ab antiquis poëtis ac priscorum sermonum scriptoribus de sede ac genere Oenotrorum prodita. quos ego sequutus, si, ut Cato ac Sempronius multique alii prodiderunt, Aboriginum gens re verâ fuit Græcanica, credo, eam Oenotrorum istorum fuisse progeniem. namque Pelasgos atque Cretenseis, & quotquot alii in Italiam deducti sunt, posterioribus eò venisse temporibus, reperio. antiquiorem autem hac migrationem è Græciâ in parteis occiduas Europæ invenire nequeo. Cæterùm Oenotros, præter alios Italici agros, quos illi vel desertos vel malignè cultos occuparunt, reor etiam Vmbris partem aliquam ademisse. dictos verò Aborigines à montanis*

tanis sedibus. quidpe Arcadicum est delectari habitatione in montibus. qua ratione etiam Athenienſium quidam Hyperacrii vocati ſunt, & Paralii. Opida autem, quæ primùm incoluerunt Aborigines, pauca ætate meâ ſupererant. plurima bellis aliisque calamitatibus exitioſis deſolata ſunt. Erant autem in Reatino agro, haud procul Apenninis montibus, ut auctor eſt Varro Terentius in Antiquitatibus. aberantque à Româ, quæ minimum, iter unius diei. Ea hinc omnia recenſet. quorum pleraque nos ſuprà lib. II cap. VIIII in Sabinorum deſcriptione indicavimus. Pergit inde Dionyſius in hæc verba: Τῶν μὲν οὖν πρώτων οἴκησιν Ἀβοριγῖνες ἐν τόποις λέγονται ποιήσασθαι τοῖς τόποις, ἐξελάσαντες ἐξ αὐτῶν Ὀμβρικούς. Ἐνθένδε ἤδη ὁρμώμενοι, τοῖς τε ἄλλοις βαρβάροις καὶ πάντων μάλιστα Σικελοῖς, ὁμοτρόπως ἔχουσιν, ὥσπερ τῆς χώρας ἐπολέμουν· τὸ μὲν πρῶτον ἱερά τις ἐξελθοῦσα νεότης, ἄνδρες ὀλίγοι, καὶ βίᾳ ζήτησιν ὑπὸ τῶν ἀναμιγνύντων ὀπτεκελεύσεις· οἱ δὲ Σικελοὶ ἄγοντές τι καὶ φέροντες διετέλουν, ἐπιδὴ τῶν ἑαυτῶν ἐξέλιπον. Ὡς δ' ἅπαξ ἔτοι χωρίων τινῶν τῆς πολεμίας ἐκράτησαν, ἐκ τοῦ ἀσφαλεστέρου ἤδη καὶ οἱ λοιποὶ Ἀβοριγῖνες, οἱ δεύτεροι γῆς, τῆς κατὰ σφᾶς ἕκαστοι ἐπεχείρουν τοῖς ὁμόροις. καὶ πόλεις ἔκλασον ἄλλας τε ἴσας καὶ τὰς μέχρι τῆδε οἰκουμένας, Ἀντιμνάτας τε καὶ Τελλινεῖς καὶ Φικουλέας καὶ Τιβουρίνους· παρ' οἷς ἔστι καὶ εἰς τόδε χρόνου μέρος τι τῆς πόλεως ὀνομάζεται Σικελίων. καὶ ἦσαν ἁπάντων μάλιστα τῶν προσοικούντων λυπηροὶ τοῖς Σικελοῖς. Ἀνίστανται δ' ἐκ τούτων τῶν διαφορῶν τοῖς ἔθνεσιν ὅλοις πόλεμος, ὅσος οὐδεὶς τῶν πρότερον ἡμῶν ἐν Ἰταλίᾳ, οὐ προῆλθεν ἄχρι πόρρω, χρόνῳ μηκυνόμενος. Ἔπειτα Πελασγῶν τινες, τῶν οἰκιστῶν ἐν τῇ καλουμένῃ Θετταλίᾳ, τῶν ἑαυτῶν ἀναγκασθέντες ἐκλιπεῖν, συνοικοῦσι γίνονται τοῖς Ἀβοριγῖσι, καὶ κοινῇ μετ' ἐκείνων ἐπολέμουν πρὸς τοὺς Σικελούς. Id eſt: *Has igitur primas ſedeis, pulſis inde Vmbris, habitaſſe dicuntur Aborigines. Inde excurrendo, tùm alios barbaros, tùm maximè confineis Siculos infeſtabant; bellum cum eis gerentes ſuper agrorum poſſeſſione. Primùm finibus egreſſa eſt ſacra quædam juventus, exigua numero, ad quærendum victum à ſuis emiſſa parentibus. Hi Siculorum res agere atque ferre haud deſierunt, ex quo patriam reliquerunt. Vt verò hi ſemel partem aliquam agrorum ex hoſtico adepti ſunt; tutiùs jam & reliqui Aborigines, agrorum inopes, adgrediebantur ſuos quisque contermines: &, præter alias civitates, condiderunt has, quæ nunc quoque incoluntur, Antemnates, Tellenenſeis; Ficuleos, ac Tiburtinos: apud quos hodiè quoque pars opidi vocatur Sicilio. nec ullam aliam finitimarum gentium magis infeſtabant, quàm Siculos. His tandem controverſiis integræ gentes ad arma conſurgunt. bellumque inde exortum, quale ad eam diem aliud nullum in terrâ Italiâ, longo tempore trahitur. Poſthinc Pelaſgorum quidam, Theſſaliam patriam linquere coacti, recipiuntur ab Aboriginibus: communibusque opibus bellum geritur contra Siculos.* Incoluerunt igitur primùm *Aborigines* eam Siculorum agri partem, quàm poſteà *Sabini* inter Apenninum montem, Narem, Tiberim, Anienemque amneis tenuêre. Eam mox ab initio dictam fuiſſe Aboriginibus

SATVRNIA regio. SATVRNIAM *terram*, patet ex ſuprà ſcriptis oraculi verſibus: ubi Pelaſgi jubentur *Saturniam terram & Cotylen Aboriginum* urbem ac lacum cum *fluctuante inſulâ, quærere*, Verba oraculi hæc ſunt:

Στείχετε μηλόβοροι Σικελῶν Σατορνίαν αἶαν,
Ἣν δ' Ἀβοριγίνεων Κοτύλην, ἵ νᾶσος ὀχεῖται.
Pergite quærentes Siculûm Saturnia rura
Atque Aboriginiden Cotylem, ubi ſe inſula vectat.

Σικελῶν dixit Σατορνίαν αἶαν, id eſt, *Siculorum Saturniam terram*; non, quòd ab Siculis jam inde ante Aboriginum adventum ita adpellata fuerit: ſed, quia Siculi eam ante Aborigines tenuerint. quidpe non Siculorum, ſed Aboriginum, qui poſteâ Latini dicti ſunt atque Romani, fuiſſe deum *Saturnum*, pluribus documentis auctorumque teſtimoniis claret. Trogi epitomator Iuſtinus lib. XLIII: *Italiæ cultores primi Aborigines fuêre. quorum rex Saturnus tantæ juſtitiæ fuiſſe traditur, ut neque ſervierit ſub illo quisquam; neque quidquam privatæ rei habuerit; ſed omnia communia & indiviſa omnibus fuerint: veluti unum cunctis patrimonium eſſet. ob cuius exempli memoriam cautum eſt, ut Saturnalibus, exæquato omnium jure, paſſim in conviviis ſervi cum dominis recumbant. itaque Italia à regis nomine Saturnia adpellata eſt; & mons, in quo habitabat, Saturnius: in quo nunc, veluti à Iove pulſo ſedibus ſuis Saturno, Capitolium eſt. poſt hunc tertio loco regnaſſe Faunum ferunt. ex filiâ Fauni & Hercule, qui eodem tempore, exſtincto Geryone, armenta, victoriæ præmia, per Italiam ducebat, ſtupro conceptus Latinus procreatur. quo tenente regnum, Æneas ab Ilio, Troiâ à Græcis expugnatâ, in Italiam venit.* Euſebius Chronicor. lib. I: Πρῶτόν φασι Πέικον, υἱὸν Κρόνου, βασιλεῦσαι

σαι χώρας Λαυρέντε λζ' ἔτη· εἶναι δὲ τὴν χώραν ἔως τῆς νῦν Ῥώμης πόλεως. μεθ' ὃν Φαῦνον, τὸν υἱὸν τοῦ Πείκου, ἔτη μδ'. ἔπειτα Λατῖνον. Id est: *Primum ferunt Picum, Saturni filium, regnasse annis* XXXVII *in Laurenti agro; qui ad urbem usque, quæ nunc Roma dicitur, extendebatur. post hunc verò Faunum annis* XLIIII. *post eum fuisse Latinum.* Virgilius Aeneid. lib. VII

——— Rex arva Latinus & urbeis
Iam senior longâ placidas in pace regebat.
Hunc Fauno & nymphâ genitum Laurente Maricâ,
Accipimus. Fauno Picus pater. isque parentem
Te, Saturne, refert: tu sanguinis ultimus auctor.

Herodianus lib. I: Νέου μὲν ἔτους σέβεσι τὴν ἑορτὴν Ῥωμαῖοι, εἰς θεὸν ἀρχαιότατον τῆς Ἰταλίας ἀποχώρημον ἀναφέροντες. Φασὶ γὰρ, αὐτὸν καὶ Κρόνον, ὑπὸ Διὸς ἐκβληθέντα τῆς ἀρχῆς, καὶ ἐλθόντα εἰς γῆν, ἡμέρας ξένον. δεδιότα δὲ τὴν τοῦ παιδὸς δυναστείαν, παρ' αὐτῷ κρυπτόμενον λαθεῖν. ὅθεν καὶ τὸ ὄνομα δοθῆναι τῷ χώρῳ τῆς Ἰταλίας· Λατίου τι κληθῆναι, ἀπὸ τῆς Ἑλλάδος φωνῆς εἰς τὴν ἀποχώρημον ἁρμοχθέν. Id est: *Anno ineunte diem Romani festum agunt, ad vetustissimum Italiæ deum referentes: cuius etiam Saturnum ipsum, quum, ab Iove filio regno pulsus, in terram descendisset, fuisse hospitem prædicant: veritumque filii dominatum, absconditum apud eum latuisse. unde & nomen illi Italiæ loco impositum volunt; & Latium adpellatum fuisse, vocabulo è Græco sermone in patrium translato.* Intelligere Herodianum *Ianum antiquissimum deum*, eo clarè indicat, quòd διπρόσωπον cognominat continuò post, id est, *bifrontem*. Sed eamdem historiam narrat & Macrobius Saturnalior. lib. I. cap. VII. *Regionem*, inquit, *istam, quæ nunc vocatur Italia, regno Ianus obtinuit. Hic quum Saturnum, classe pervectum, excepisset hospitio: &, ab eo edoctus peritiam ruris, ferum illum & rudem ante fruges cognitas victum in melius redegisset; regni eum societate muneravit. Hos unà concordesque regnasse; vicinaque opida communi operâ condidisse*, præter Maronem, qui refert,

Ianiculum huic, illi fuerat Saturnia nomen,

etiam illud in promptu est, quòd posteri quoque duos eis contuos menseis dicarunt; ut December sacrum Saturni, Ianuarius alterius vocabulum possideret. Quum inter hæc subitò Saturnus non comparuisset; excogitavit Ianus honorum eius augmenta. ac primùm terram omnem ditioni suæ parentem Saturniam nominavit. aram deinde cum sacris tamquàm deo condidit, quæ Saturnalia nominavit. Regni eius tempora felicissima feruntur; cùm propter rerum copiam, tùm etiam, quòd nondum quisquam servitio vel libertate discriminabatur. quæ res intelligi potest, quòd Saturnalibus tota servis licentia permittitur. Hinc Virgilius etiam poëta Aeneid. lib. VIII Euandrum fingit ita Aeneæ narrantem:

Hæc nemora indigenæ Fauni Nymphæque tenebant;
Gens virûm truncis & duro robore nata:
Queis neque mos neque cultus erat: nec jungere tauros
Aut componere opes norant, aut parcere parto:
Sed rami atque asper victu venatus alebat.
Primus ab æthereo venit Saturnus Olympo;
Arma Iovis fugiens, & regnis exsul ademptis.
Is genus indocile ac dispersum montibus altis
Composuit; legesque dedit: Latiumque vocari
Maluit; his quoniam latuisset tutus in oris.
Aureaque, ut perhibent, illo sub rege fuêre
Sæcula. sic placidâ populos in pace regebat.
Deterior donec paullatim ac decolor ætas,
Et belli rabies, & amor successit habendi:
Tum manus Ausoniæ & gentes venêre Sicanæ:
Sæpius & nomen posuit Saturnia tellus.

Et aliquanto pòst:

Hæc duo præterea disjectis opida muris
Reliquias veterumque vides monimenta virorum?
Hanc Ianus pater, hanc Saturnus condidit arcem.
Ianiculum huic, illi fuerat Saturnia nomen.

Et Ovidius Fastor. lib. I Iano deo hæc adfingit verba:

Hæc

Hæc ego Saturnum memini tellure receptum.
Cœlitibus regnis à Iove pulsus erat.
Inde diu genti manſit Saturnia nomen.
Dicta quoque eſt Latium terra, latente deo.

Iſidorus Origin. lib. XIIII cap. IIII: *Italia olim à [Saturni] regis nomine Saturnia appellata eſt. mox & Latium dicta, eò, quod idem Saturnus, à Iove ſedibus pulſus, ibi latuerit.* Columella in præfatione rerum ruſticarum: *In hoc Latio & Saturniâ terrâ, ubi dii cultus agrorum progeniem ſuam docuerunt.* Virgilius Aeneid. lib. VII; ubi Latinus rex ita adfatur Aeneæ legatos:

——— Neve ignorate Latinos,
Saturni gentem, haud vinclo nec legibus æquam;
Sponte ſuâ veterisque dei ſe more tenentem.

Eosdem mores eis tribuit lib. V; ubi Anchiſæ umbra in Siciliâ Aeneam, Italiam petentem, ita monet:

——— Lectos juvenes, fortiſſima corda,
Defer in Italiam. gens dura atque aſpera cultu
Debellanda tibi Latio eſt.

Et Salluſtius in libro de bello Catilinario: *Vrbem Romam condidêre atque habuêre initio Troiani; qui, Aeneâ duce profugi, ſedibus incertis vagabantur: cumque his Aborigines: genus hominum agreſte, ſine legibus, ſine imperio, liberum atque ſolutum.* Idem facit & Ariſtoteles Πολιτ. lib. VII cap. X: niſi, quòd antiquiori nomine *Oenotros* vocat, quos Salluſtius *Aborigines*; & regem eorum ille *Italum*, quem alii *Saturnum*. Ἰταλόν φασιν, inquit, ἡγεῖσθαι βασιλέα τὸ Οἰνωτρέας, ἀφ' οὗ τὸ πρόνομα μεταβαλόντας Ἰταλοὺς αὐτοὺς Οἰνωτρῶν κληθῆναι, καὶ τὴν ἀπτὴν τούτων τῆς Εὐρώπης Ἰταλίαν τετάρτην λαβεῖν, ὅση πεπτύχηκεν ἐντὸς ὅπου τῶν κόλπων ἔστι τε Σκυλλητικὸς καὶ Λαμητῖνος. Τοῦτον δή λέγουσι τὸν Ἰταλὸν νομάδας τοὺς Οἰνωτρέας οἴσας, ποιῆσαι γεωργούς: καὶ νόμους ἄλλους τε αὐτοῖς θεῖναι, καὶ συσσίτια καταστῆσαι πρῶτον. διὸ ἔτι νῦν ἔνιοι τῶν ἀπ' ἐκείνου ἐνίους χρῶνται τοῖς συσσιτίοις καὶ τοῖς νόμοις ἐνίοις. Hoc eſt: *Italum quendam Oenotriæ regem fuiſſe aiunt, à quo, mutato nomine, Itali pro Oenotriis fuerint adpellati; & hæc Europæ ora, quæ Scylletico Lametinoque ſinubus includitur, Italia ſit vocata. Atque hunc Italum, ferunt, Oenotros, quum paſtores eſſent, primum agricolas feciſſe; & cùm alias eis leges ſcripſiſſe, tùm ſodalitia & epulationes publicas inſtituiſſe. quapropter etiam nunc nonnulli ex eius poſteris ſodalitiis illis utuntur, & quibusdam aliis legibus.* Falsò ab Ariſtotele &, quem ille ſequutus, Antiocho Syracuſano *Italum* hunc, qui Siculorum in veteri inter Narem Tiberisque oſtia & inferum mare Siciliâ fuit rex, antiquiſſimæ illi ad fretum Siculum ac primæ *Oenotriæ* eſſe tributum, ſuprà lib. I cap. I pluribus documentis oſtenſum. & heic ex hactenus allatis ſatis jam clarè patet, Aboriginum, non Siculorum, nec aliorum ante hos indigenarum, regem habitum fuiſſe in Latio *Saturnum*: atque ab Aboriginibus demum Latio, ſeu priſcæ illi Siculorum *Italiæ*, inditum eſſe nomen *Saturniæ*: cuius etiam incolas Aborigines dictos fuiſſe SATVRNIOS, ſuprà dicto lib. I cap. I docui. Antiochum fortaſſis decepit, quòd hæc quoque regio ab initio adventus OENOTRIA dicta fuit. Servius ad Virgilii Aeneid. lib. I: *Oenotria dicta eſt vel à vino optimo, id eſt, ἀπὸ τοῦ οἴνου, quod in Italiâ naſcitur: vel, ut Varro dicit, ab Oenotro, rege Sabinorum. Alii, patrem Itali Oenotrum, tradunt, ex Arcadiâ in Italiam veniſſe, & eam ſibi cognominem feciſſe.* Et ad Aeneid lib. VII: *Oenotria tellus; propriè Sabinorum tractus, ab Oenotro rege.* Lycophron in Alexandra:

Τὸν δ' Αἰζάρις τε ῥεῖθρα καὶ βραχύπολις
Οἰνωτρίας γῆς κεγχρίτης βεβρωμένον,
Κείμενα φίτρᾳ δέξεται μιαφόνον.

Hoc eſt:

Alium Aeſari fluenta & opidum parvum
Oenotriæ terræ, ab hydro morſum,
Crimiſſa recipiet, facis occiſorem.

OENOTRIA regio.

Ad hæc ita Iſacius Tzetza: Ἔνθα νῦν ἡ Ῥώμη ἐστὶν, χωρίον ἦν πρῶτον λεγόμενον Οἰνωτρία· ὅπου ὁ Φιλοκτήτης καθώκησεν μετὰ τὴν τῆς Ἰλίου πόρθησιν, καθὰ Διονύσιος καὶ Δίων καὶ πάντες οἱ τὰ Ῥωμαϊκὰ ἱστορήσαντες. Id eſt: *Vbi nunc Roma eſt, locus primùm Oenotria dicebatur: in quo Philoctetes,*

tes, post Ilii excidium consedit; ut Dionysius atque Dio & omnes alii, qui res Romanas conscripserunt, tradunt. Sanè *Oenotriam* heic intellexit Lycophron primam illam & antiquissimam in Brutio agro; ubi etiam nunc *Aesarus* fluvius vulgò dicitur *Esaro*, apud Crotonem urbem: in qua orâ Philocteten opidum condidisse *Crimissam*, infrà in Brutiorum explicatione monstrabitur. At Tzetza Philocteten Romano agro induxisse videtur, quia hunc etiam aliquando *Oenotriam* dictum alicubi legerat. De cætero quando & unde eamdem regionem adpellare cœperint Aborigines LATIVM, planè incertum est. nam fabulis de *Saturni latibulâ* credere piget pudetque. Ne ipsis quidem Romanorum peritissimis de origine huius vocabuli quidquam constitisse, patet ex iis, quæ M. Terentius Varro tradidit. is quidpe de de Lingvâ Latinâ lib. IIII, *Quæ ad humum sunt*, inquit, *aut à re, ut Sabini & Lucani, aut declinata ab hominibus, ut Appulia & Latium: utrumque, ut Etruria & Tusci. quà regnum fuit Latini, vniversus ager dictus Latium.* At Servius ad Virgilii Aeneid. lib. VIII ita scribit: *Virgilius Latium vult dici, quòd illic Saturnus latuit, fugiens Iovem. Fabula nota est, quòd Saturnus filios suos deo progenitos voraverit: quum audisset, à filio se regno esse pellendum: & quòd ei uxor, nato Iove, lapidem pro infante obtulerit devorandum. Varro autem Latium dici putat, quòd latet Italia inter loca Alpium & Apenninni. Quidam ferunt, à Latino dictum Latium. alii, ipsum Latinum à Latio.* Hoc sanè illo longè probabilius. illud verò de *Italiâ* inter *Alpeis & Apenninum latente* omnium est ineptissimum & maximè ridiculum: primò, quia Apenninus non cingit Italiam; sed mediam fermè secat in duasque parteis dividit: tum non omnis Italia Alpeis inter & fretum Siculum eo nomine adpellata est ab initio; sed antiqua illa *Siciliæ* tantùm, seu Siculorum *Italia*, ab rege eorum *Italo* sic dicta: quam Aborigines etiam *Saturniam* vocitarunt. Quin illa haud dubiè tantùm Siculorum agri pars initio adpellata est *Saturnia* simul & *Latium*, quæ Narem inter & Anienem amneis porrecta. unde illud Macrobii suprà dicto Saturnalior. lib. I cap. VII: *Nec illam causam, quæ Saturnalibus adsignatur, ignoro: quòd Pelasgi, sicut Varro memorat, quum, sedibus suis pulsi, diversas terras petissent, confluxerunt plerique Dodonam; &, incerti quibus hærerent locis, eiusmodi accepère responsum:*

Στείχετε μητρόθυροι Σικελῶν Σαβορνίαν αἶαν,
Ἣ δὴ Ἀβοριγίνεων Κοτύλιν, ἔνθα ποτ' ἐκεῖνοι
Οἷς αὐαμυχθέντες δεκάτην ἐκπέμψατε φοίβῳ,
Καὶ κεφαλὰς Ἄϊδη, καὶ τῷ πατρὶ πέμπετε φῶτα.

[Hoc est:

Pergite quærentes Siculûm Saturnia rura,
Atque Aboriginiden Cotylem, ubi se insula vectat.
Queis missi, decimas Clario transmittite Phœbo,
Et Diti capita; & transmittite lumina patri.]

Acceptâ sorte, quum Latium post errores adpulissent, in lacu Cutilienſi enatam insulam deprehenderunt. hoc miraculo deprehenso, has sibi sedeis prædictas esse, didicerunt. vastatisque Sicilienſibus incolis, occupavère regionem; decimâ prædæ, secundùm responsum, Apollini consecratâ; erectisque Diti sacello & Saturno arâ; cuius festum Saturnalia nominarunt. Recepti in hunc Siculorum agrum, sive in hanc *Saturniam terram*, simulque in societatem belli contra Siculos fuère Pelasgi ab Aboriginibus: ut Dionysius dicto lib. I. narrat. Hæc igitur inter Narem atque Anienem terra primùm, nescio unde, dicta fuit *Latium*: non illa demum inter Anienem & mare inferum à *Latino* rege. Atque hæc haud dubiè causa fuit, cur antiquissimi Latinorum poëtæ, vel fortassis etiam theologi, quos posteà Virgilius atque Ovidius & alii imitati sunt, à primo Aboriginum rege *Saturno* id nominis terram accepisse finxerint. nam omnia, quæ de *Saturno* hoc quidam narrant auctores, alios *Euandro* & *Pelasgis* sive *Arcadibus* tribuisse, sequenti hinc ostendam capite, in descriptione urbis Romæ. A terrâ quin statim incolæ Aborigines dicti fuerint LATINI, nemo ambigat. Hinc diversa illa ab se ipsâ mens Virgilii: qui aliàs à terrâ longè ante Aeneam, aliàs à Latino rege Aeneæ tempore *Latinos* dictos ostendit. quidpe Aeneid. lib. I sic de Aeneâ canit:

Multa quoque & bello passus, dum conderet urbem
Inferretque deos Latio; genus unde Latinum
Albanique patres atque altæ mœnia Romæ,

At

At lib. XII Iunonem introducit Iovem de Aeneæ adversùs Turnum Rutulosque & Latinos victoriâ sic precantem:

Et nunc cedo equidem, pugnasque exosa relinquo.
Illud te, nullâ fati quod lege tenetur,
Pro Latio obtestor, pro maiestate tuorum:
Quum jam connubiis pacem felicibus (esto)
Component; quum jam leges & fœdera jungent;
Ne vetus indigenas nomen mutare Latinos,
Neu Troas fieri jubeas, Teucrosve vocari:
Aut vocem mutare viros, aut vertere vestes.
Sit Latium: sint Albani per sæcula reges;
Sit Romana potens Italâ virtute propago.
Occidit, occideritque, sinas, cum nomine Troia.

De isto igitur primo inter Narem & Anienem *Latio* quum Ovidius quoque apud antiquiores auctores legisset; *Picum*, Latini regis avum, non minus huius, quàm illius inter Anienem & mare fecit regem Μεταμορφώσεων lib. XIII, his versibus:

Ille suos Dryadas Latiis in montibus ortas
Verterat in vultus: illum fontana petebant
Numina Naïades: quas Albula, quasque Numici,
Quas Anienis aquæ, cursuque brevissimus Almo,
Narve tulit præceps, & opacæ Farfarus undæ.

Vulgaris tamen apud Romanos opinio obtinuit, ab *Latino* rege post Aeneæ in Italiam adventum dictos fuisse Aborigines mutato nomine *Latinos*. atque ita ferè tradiderunt rerum Romanarum scriptores. Dionysius suprà citato lib. I: Καὶ διέμειναν ἔτι ἐπὶ τὴν αὐτῆς οἰκήσεως, ὀνομάτων ἀλλαγῆς αὐτῆς οἱ αὐτοὶ ἄνθρωποι προσαγορεύόμενοι, μέχρι μὲν τῶν Τρωϊκῶν πολέμων τῷ ἀρχαίων τὸ Ἀβοριγίνων ὀνομασίαν ἔτι σώζοντες· ἐπὶ δὲ Λατίνου βασιλέως, ὃς τὸν Ἰλιακὸν πόλεμον ἐδυνάστευσε, Λατῖνοι ἀρξάμενοι καλεῖσθαι. Hoc est: *Easque sedeis deinde perpetuò tenuit eadem gens, mutatis tantùm adpellationibus. nam ad belli Troiani usque tempora vetus Aboriginum nomen servarunt. inde à Latino rege Latini dici cæperunt.* Stephani epitomator: Ἀβοριγῖνες, ἔθνος Ἰταλικὸν, ὡς Ἰόβας ἐν Ῥωμαϊκῆς ἱστορίας πρώτῃ. Μέχρις οὖν τῶν Τρωϊκῶν πολέμων τῷ ἀρχαίαν Ἀβοριγίνων διέζων. [scribe, ut apud Dionysium est, unde hæc transscripta, τῷ ἀρχαίων Ἀβοριγίνων ὀνομασίαν διέζων.] Λατῖνος δὲ βασιλεύσας ἔτων πεντηκοντάδος. τὰ αὐτὰ καὶ Χάραξ. Hoc est: *Aborigines, gens Italica; auctore Iubâ, Romanæ historiæ lib. I. Ad Troiani equidem belli tempora vetus Aboriginum nomen servarunt. at Latino regnante ab hoc denominati sunt.* Non vivente etiamdum rege *Latino* adpellatos fuisse Aborigines *Latinos*, sed jam mortuo, complures tradiderunt auctores. Livius sub initium lib. I: *Iam primùm omnium satis constat, Troiâ captâ in cæteros sævitum esse Troianos: duobus Aeneâ Antenoreque, & vetusti jure hospitii, & quia pacis reddendæque Helenæ semper auctores fuerant, omne jus belli Achivos abstinuisse.* Mox: *Aeneam, domo profugum, sed ad maiora rerum initia ducentibus fatis, primò in Macedoniam venisse; inde in Siciliam quærentem sedeis delatum. ab Siciliâ classe Laurentem agrum tenuisse. Ibi egressi Troiani, ut quibus ab immenso propè errore nihil, præter arma & naves, supereſſet, quum prædam ex agris agerent, Latinus rex Aborigines-que, qui tum ea tenebant loca, ad arcendam vim advenarum, armati ex urbe atque agris concurrunt.* Et paullo post: *Inde fœdus ictum inter duces, inter exercitus salutationem factam. Aeneam apud Latinum fuisse in hospitio. Ibi Latinum apud penates deos domesticum publico adjunxisse fœdus; filiâ Aeneæ in matrimonium datâ. Tares utique Troianis spem adfirmat, tandem stabili certâque sede finiendi erroris. opidum condunt. Aeneas ab nomine uxoris Lavinium adpellat. Bello deinde Aborigines Troianique simul petiti. Turnus, rex Rutulorum, cui pacta Lavinia ante adventum Aeneæ fuerat, prælatum sibi advenam ægrè patiens, simul Aeneæ Latinoque bellum intulerat. Neutra acies læta ex eo certamine abiit. victi Rutuli: victores Aborigines Troianique ducem Latinum amisère. Inde Turnus Rutulique, diffisi rebus, ad florentes Etruscorum opes Mezentiumque, eorum regem, confugiunt. qui haud gravatim socia arma Rutulis junxit. Aeneas, adversùs tanti belli terrorem ut animos Aboriginum sibi conciliaret; ne sub eodem jure solùm, sed etiam nomine omnes essent, Latinos utramque gentem adpellavit.* Eamdem de Aeneâ atque Latino historiam Aurelius quoque Victor, in libro de Origine gentis Romanæ, variè ex variis

refert

refert rerum Romanarum scriptoribus: eamdemque gentem modò *Aborigines*; modò *Latinos* adpellat: quamvis hoc nominis unde & quando primùm habuerint, non ostendat. Strabo lib. v, post descriptum Sabinorum agrum sic pergit: Ἐξῆς δὲ ἡ Λατίνη κεῖται· ἐν ᾗ καὶ ἡ τῶν Ῥωμαίων πόλις, καὶ πολλὰς συμπεφύκασι τῶν μὴ Λατίνης ἀρχαίων. Αἴκοι γὰρ καὶ Οὐολσκοὶ καὶ Ἕρνικοι, Ἀβορίγινές τε, οἱ περὶ αὐτὴν τὴν Ῥώμην, καὶ Ῥουτοῦλοι οἱ τὴν ἀρχαίαν Ἀρδέαν ἔχοντες, καὶ ἄλλα συστήματα μείζω καὶ ἐλάττω τὰ περιοικοῦντα τοῦτ' ἦσαν Ῥωμαίων ὑπήκοα, ὥστε πᾶσαν ἐκλιπεῖν ἡ πόλις. Φασὶ δὲ Αἰνείαν καταφυγεῖν εἰς Λαύρεντον, κτίσαι πόλιν. ἐπελθόντα δὲ Λατῖνον, τὸν Ἀβορίγινων βασιλέα, τῶν εἰκαίτων τὸ πλεῖστον τῶν, ὅπερ νῦν ἡ Ῥώμη ἐστί, συμμάχοις χρήσασθαι τοῖς περὶ τὸν Αἰνείαν ἐπὶ τοὺς γειτνιάζοντας Ῥουτούλους, τοὺς Ἀρδέαν κατέχοντας. νικήσαντα δὲ, ἀπὸ τῆς θυγατρὸς Λαυϊνίας ἐπώνυμον κτίσαι πόλιν. πόλιν δὲ Ῥουτούλων συμβαλόντων εἰς μάχην, τὸν μὲν Λατῖνον πεσεῖν, τὸν δὲ Αἰνείαν νικήσαντα βασιλεῦσαι, καὶ Λατίνους καλέσαι τοὺς ὑφ' αὐτῷ. Hoc est: *Sequitur Latium. in quo & Romanorum urbs, & complura alia comprehenduntur opida, quæ ab initio non fuerunt in Latio. quidpe & Aequi & Volsci atque Hernici, & circa ipsam Romam Aborigines, & qui vetustam habuêre Ardeam Rutuli, aliæque maiores minoresque gentes quondam circùm Romanos sedeis suas habuêre, quum primùm urbs condita foret. quorum nonnulli liberè per vicos habitarunt; nulli communi adnumerati populo. Cæterò Aeneam tradunt Laurentum adpulisse, urbemque illic condidisse. superveniſſe deinde Latinum, regem Aboriginum, qui tum ea loca incolebant, ubi nunc est Roma; auxilioque Aeneæ usum adversùm finitimos Rutulos, qui Ardeam veterem tenebant. partâque victoriâ, urbem in propinquo condidisse, Laviniæ filiæ cognominem. post hæc Rutulis rursùm acie congressis cecidisse Latinum. victorem Aeneam regno potitum, subjectisque sibi populis nomen Latinorum imposuisse.* Troianis tantùm *Latinorum* nomen ab Aeneâ impositum si voluit Strabo, prior illa oratio de Aboriginibus circa Romam recens conditam incolentibus satis constabit. At ipse Aeneam ait Latino occiso victorem regno potitum. quod nullum fuit aliud, nisi idem quod Latinus anteà obtinuerat in Aborigines. Hoc igitur etiam, unà cum suis Troianis, uti sub unum imperium, sic sub idem *Latinorum* nomen eum subdidisse, maximè certum est. nec ullum circa Romam posteà Aboriginum duravit nomen. Dionysius iterum eodem lib. I posteà ita tradit: Δευτέρα δ' ὕστερον γῆρᾳ μὲν τῶν Ἡρακλέους ἄπαρξιν, ἔτη δὲ πέμπτῳ καὶ πεντηκοστῷ μάλιστα, ὡς αὐτοὶ Ῥωμαῖοι λέγουσι, βασιλεὺς ὢν Ἀβορίγινων ὧν Λατῖνος, ὁ Φαύνου, πέμπτον καὶ τεσσαρακοστὸν ἔτος ἔχειν τὴν ἀρχήν. κτίζει δὲ τὸν χρόνον τοῦτον Τρῶες, οἱ σὺν Αἰνείᾳ Δαρδανοῦ ἐξ Ἰλίου, τῆς πόλεως ἁλούσης, καταίχουσι εἰς Λαύρεντον, αἰγιαλὸν Ἀβορίγινων. λαβόντες δὲ παρὰ τῶν Ἀβορίγινων χωρίον εἰς οἴκησιν, ἐφ' ὅσον ἠξίωσαν, πολίζουσι μικρὸν ἀποχρώντως ἀπὸ θαλάττης, ἐπὶ λόφῳ τινί, Λαυίνιον ὄνομα τῇ πόλει θέμενοι. ὀλίγῳ δ' ὕστερον χρόνῳ τὴν ἀρχαίαν ἀλλαξάντες ὀνομασίαν, ἅμα τοῖς Ἀβορίγισιν, ἀπὸ δὲ βασιλέως τὴν χώραν Λατῖνοι ὠνομάσθησαν. Hoc est: *Post Herculis discessum, ætate alterâ, seu anno* LV, *ut ipsi Romani perhibent, rex Aboriginum fuit Latinus, Fauni filius; annum agens regni sui* XXXV. *Per id tempus Troiani, cum Aeneâ post captum Ilium profugi, adpulerunt Laurentum, Aboriginum litus. acceptoque ab Aboriginibus ad habitandum agro, & quidquid petierant; oppidum condunt, non procul à mari, in quodam colle, nomine Lavinium. Nec ita multo pòst, vetere adpellatione mutatâ, unà cum Aboriginibus à regionis rege nominati sunt Latini.*

Sed age; videamus tandem, quàm certa huic *Latino* regi stirps, quàm certi tributi fuerint parentes. *Fauni* filium fecisse ipsos Romanos, disertè heic testatur Dionysius. eiusque rei exemplum suprà citavimus ex Virgilii Aeneid. lib. VII; ubi ita canit:

——— *Rex arva Latinus & urbeis*
Iam senior longâ placidas in pace regebat.
Hunc Fauno & nymphâ genitum Laurente Maricâ,
Accipimus. Fauno Picus pater. isque parentem
Te, Saturne, refert: tu sanguinis ultimus auctor.

A Romanis haud dubiè habuit sua Eusebius, quæ suprà ibidem attulimus. Sed hunc *Faunum* deum à Romanis fuisse habitum, vulgò notum est. Virgilius initio Γεωργικῶν libri I:

——— *Vos ô clarissima Mundi*
Lumina, labentem cœlo quæ ducitis annum,
Liber & alma Ceres;
Et vos agrestum præsentia numina Fauni,
Ferte simul Faunique pedem Dryadesque puellæ.
Munera vestra cano.

Ad hæc ita Servius: *Præsentia numina Fauni.*] *Præsentia: quoniam dicuntur usque ad ea tempora, quibus fuit Faunus, qui dictus est à fando, visa esse numina. Quidam Faunos putant dictos ab eo, quòd frugibus faveant. Cincius & Cassius aiunt ab Euandro Faunum deum adpellatum: ideóque ædes sacras faunas primò adpellatas; posteà fana dicta. & ex eo, qui futura præcinerent, fanaticos dici. Sed quum unus Faunus sit, cur pluraliter posuit?* [Interiit hèic responsio, qua ratio eius rei reddebatur.] *Sed Varro ad Ciceronem ita ait: Dii Latinorum ita, ut Faunus sit per * ex versibus, quos vocant Saturnios, in silvestribus locis solitos fari futura: atque inde Faunos dictos.* Apud ipsum Varronem, de Lingvâ Latinâ lib. VI, is locus ita legitur: *Fauni, dei Latinorum: ita, ut Faunus & Fauna sint in versibus, quos vocant Saturnios. in silvestribus locis, traditum est, solitos fari. à quo fando Faunos dictos.* Isidorus Origin. lib. VIII cap. XI: *Fauni à fando, velut* κατὰ τὴν φωνῆς, *dicti: quòd voce, non signis, ostendere viderentur futura. in lucis enim consulebantur à paganis: & responsa illis non signis, sed vocibus dabant.* Servius ad suprà scriptum Virgilii locum Aeneid. lib. VII: *Quidam deus est Fatuellus: huius uxor est Fatua. idem Faunus; & eadem Fauna. Dicti autem sunt Faunus & Fauna à vaticinando, id est, à fando. unde & fatuos dicimus inconsideratè loquenteis. Ergo Faunæ & Fatuæ nomen, quasi asperum, fugit pœta; & Maricam dixit uxorem fuisse Fauni. Est autem Marica dea literis Minturnensium juxta Lirim fluvium.* Sex. Aurelius Victor in prædicto libro de Origine gentis Romanæ: *Certum est, priorem* [scilicet *Saturno*] *Ianum in Italiam devenisse: ab eoque posteà venientem exceptum esse Saturnum.* Et deinde: *Ferunt, Creusam, Erithei regis Athenienſium filiam speciosissimam, stupratam ab Apolline enixam puerum; eumque Delphos olim educandum esse missum: ipsam verò à patre, istarum rerum nescio, Xipheo cuidam comiti collocatam. ex qua quum ille pater non posset exsistere; Delphos eum petiisse, ad consulendum oraculum, quomodò pater fieri posset. tum illi deum respondisse; Vt quem postero die obvium habuisset, eum sibi adoptaret. itaque suprà dictum puerum, qui ex Apolline genitus erat, obvlam illi fuisse; eumque adoptatum. Quum adolevisset, non contentum patrio regno, cum magnâ classe in Italiam devenisse: occupatoque monte, urbem ibidem constituisse; eamque ex suo nomine Ianiculum cognominasse. Igitur Iano regnante apud indigenas radeis incultosque, Saturnus, regno profugus, quum in Italiam venisset, benignè exceptus hospitio est; ibique, haud procul à Ianiculo, arcem suo nomine Saturniam constituit. isque primus agriculturam edocuit; ferosque homines & rapto vivere adsvetos ad compositam vitam eduxit.* Aliquanto pòst: *Aborigines advenienteis Picus excepit; permissos vivere, ut vellent. Post Picum regnavit in Italiâ Faunus. quem à fando dictum volunt: quòd is solet futura præcinere versibus, quos Saturnios dicimus. Hunc Faunum plerique eumdem Silvanum à silvis, & Inuum deum, quidam etiam Pana esse dixerunt.* Servius in Aeneid. lib. VI: *Inuus Latinè adpellatur, Græcè* πάν. *idem* Ἐφιάλτης *Græcè, Latinè Iucubus. idem Faunus, Fatuellus.* Rutilius Itinerarii lib. I:

Iam Cæretanos demonstrat navita fineis.
Aevo deposuit nomen Agylla vetus.
Stringimus absumptum & fluctu & tempore Castrum.
Index semiruti porta vetusta loci.
Præsidet exigui formatus imagine saxi,
Qui pastorali nomina fronte gerit.
Multa licèt priscum nomen deleverit ætas,
Hoc Inui castrum fama fuisse putat.
Seu Pan Tyrrhenis mutavit Mænala silvis:
Sive sinus patrios incola Faunus init:
Deum renovat longo mortalia semina fœtu,
Fingitur in Venerem pronior esse deus.

Virgilius Aeneid. lib. VIII, de eodem Etruriæ litore:

Est ingens gelidum lucus prope Caeritis amnem,
Religione patrum latè sacer. undique colles
Inclusêre cavi, & nigrâ nemus abiete cingunt.
Silvano, fama est, veteres sacrasse Pelasgos,
Arvorum pecorisque deo, lucumque diemque:
Qui primi fineis aliquando habuêre Latinos.

Livius lib. I: *Iam tum in Palatino monte Lupercal hoc fuisse ludicrum ferunt; & à Pa-*

lantéo,

lantéo, urbe Arcadicâ, Palantium, deinde Palatinum montem adpellatum. ibi Euandrum, qui ex eo genere Arcadum multis antè tempestatibus ea tenuerant loca, solenne adlatum ex Arcadiâ instituisse, ut nudi juvenes, Lycæum Pana venerantes, per luxum atque lasciviam currerent; quem Romani deinde vocarunt Inuum. Ovidius Fastor. lib. II:

Tertia post Idus nudos aurora Lupercos
Adspicit; & Fauni sacra bicornis erunt.
Dicite Pierides, sacrorum quæ sit origo:
Attigerint Latias unde petita domos.
Pana deum pecoris veteres coluisse feruntur
Arcades: Arcadicis plurimus ille jugis.
Pan erat armenti, Pan illic numen equarum:
Munus ob incolumeis ille ferebat oveis.
Transtulit Euander silvestria numina secum.
Heic, ubi nunc urbs est, tunc locus urbis erat.
Inde deum colimus devectaque sacra Pelasgis.
Flamen ad hæc prisco more dialis erat.

Et Fastor. lib. V:

Exsul ab Arcadiâ Latios Euander in agros
Venerat; impositos attuleratque deos:
Sacraque multa quidem, sed Fauni prima bicornis
Has docuit genteis, alipedisque dei.
Semicaper coleris cinctutis Faune Lupercis,
Quum lustrant celebreis vellera secta vias.

Livius lib. II; ubi pugnam narrat inter Etruscos atque Romanos pugnatam: *Adjiciunt miracula huius pugnæ. silentio proximæ noctis ex silvâ Arsiâ ingentem editam vocem. Silvani vocem eam creditam, hæc dicta: Vno plus Etruscorum cecidisse in acie: vincere bello Romanum.* Eadem penè verba citat & Valerius Maximus lib. I cap. VIII. At eâdem de re Dionysius lib. V, Ἐκ δ' ὕλης, inquit, παρ' ὃν ἐστρατοπεδεύοντο, φώνης ἠκούσθη πᾶς δυνάμεσιν ἀμφοτέραις γενομένη, ὡς δ' ἅπαντας αὐτὴς ἀκοῦσαι, ἔτε δ κατεχοῦσ τὸ τέμενος ἥρως, εἴτε δ καλούμενα φαῦνος· τούτῳ γὰρ αἰνίττεσθαι τῷ δαίμονι Ῥωμαῖοι τὰ παυικὰ καλοῦσι φάσματα. Id est: *E silvâ, apud quam castra habebant, vox quædam ad utriusque exercitus aureis perlata est, ut ab omnibus exaudiretur: sive ea heroïs fuit, cuius istud fanum est, sive eius, quem vocant Faunum. ad hunc enim tamquàm auctorem Romani solent referre Panicos terrores omnisque generis spectra.* Sed ex hactenus allatis satis manifestò jam patet, non hominem aliquem, sed *deum* fuisse habitum Latinis *Faunum*; ab Euandro Pelasgo, quem Cincius quoque & Cassius apud Servium commemorant, veneratione eius ex Arcadiâ, ubi *Pan* dicebatur, in Italiam deportatâ. Falsùm igitur est, atque à poëtis fabulosè confictum, quòd is *Pici filius, Latini* verò *pater* traditur, ad quem Euander ex Arcadiâ pervenerit. At alii Herculis filium, ex Fauni filiâ progenitum, dixerunt esse Latinum. Trogi breviator Iustinus lib. XLIII: *Fauno fuit uxor nomine Fatua: quæ adsiduè divino spiritu impleta, velut per furorem futura præmonebat. unde adhuc, qui inspirari solent, fatuari dicuntur. Ex filiâ Fauni & Hercule, qui eodem tempore, exstincto Geryone, armenta, victoriæ præmia, per Italiam ducebat, stupro conceptus Latinus procreatur. quo tenente regnum, Aeneas ab Ilio, Troiâ à Græcis expugnatâ, in Italiam venit.* Nescio, an plureis numero habere dictus sit filias Faunus. sic quidpe est apud Servium in Virgilii Aeneid. lib. VIII: *Hic Faunus habuisse filiam dicitur omam castita & disciplinis omnibus eruditam.* [loco hoc mendoso incertum, an nomen proprium eius expresserit Servius; an verò scripserit, *unam, castitate & disciplinis omnibus eruditam.*] *quam quidam, quòd nomine dici prohibitum fuerat, Bonam deam adpellatam volunt.* Lactantius de Falsâ religione lib. I. cap. XII: *Faunus in Latio & Saturniâ nefaria sacra constituit, & Picum patrem inter deos honoravit, & sororem Fatuam Faunam, eamque conjugem, consecravit. quam C. Baßus Faunam nominatam tradit, quòd mulieribus fata canere consuevisset, ut Faunus viris. eamdem Varro scribit tantæ pudicitiæ fuisse, ut nemo eam, quoad vixerit, præter virum suum, mas viderit, nec nomen eius audierit. idcircò illi mulieres in aperto sacrificant; & Bonam deam nominant.* De hac ita Cicero in Oratione pro domo suâ loquitur adversùs P. Clodium: *Quid tibi necesse fuit, anili superstitione, homo fanaticè, sacrificium, quod alienæ domi fieret, invisere? Quæ*

autem te tanta mentis imbecillitas tenuit, ut non putares, deos satis posse placari, nisi etiam muliebribus religionibus te implicuisses? Quem umquàm audisti maiorum tuorum, (qui & sacra privata coluerunt, & publicis sacerdotiis præfuerunt) quum sacrificium Bonæ deæ fieret, interfuisse? Et in oratione de Haruspicum responsis: *Suaconcio risit hominem illum, qui pulvinaribus Bonæ deæ stuprum intulerit; eaque sacra, quæ viri oculis ne imprudentis quidem adspici fas est, non solùm adspectu virili, sed flagitio stuproque violârit; in concione de religionibus neglectis conqueri.* Et eâdem oratione posteà: *Quod sacrificium tam vetus est, quàm hoc? quod à regibus æquale huic urbi accepimus. quod autem tam occultum, quàm id, quod non solùm curiosos oculos excludit; sed etiam erranteis? quò non modò improbitas, sed ne imprudentia quidem possit intrare. quod quidem sacrificium nemo ante P. Clodium in omni memoriâ violavit; nemo umquàm adiit; nemo neglexit; nemo vir adspicere non horruit. quod fit per virgines Vestaleis: fit pro populo Romano: fit in eâ domo, quæ est in imperio: fit incredibili cæremoniâ; fit ei deæ, cuius ne nomen quidem viros scire fas est.* Si igitur hæc una habita est antiquis illis mortalibus Fauni filia; sanè ne ipsa quidem Latini ex Hercule mater esse potuit. Verùm de hoc Herculis per Italiam transitu juvat audire gravissimi rerum Romanarum scriptoris testimonium T. Livii: qui lib. v, ubi de Gallorum transitu in Italiam narrat, *Alpes inde*, inquit, *oppositæ erant. quas inexsuperabileis visas, haud equidem miror; nulla dum viâ, quòd quidem continens memoria sit, (nisi de Hercule fabulis credere libet) superatas.* Alii nihilo minùs tamen Latinum eiusdem Herculis fecêre nepotem, Telephi filium. Cedrenus in Annalibus: Τῆς δὲ Ἰταλίας ἐβασίλευσεν ὁ υἱὸς τοῦ Ἡρακλέους ἀπὸ τῆς Αὐγῆς Τήλεφος· ᾧ μετ' αὐτὸν υἱὸς αὐτοῦ Λατῖνος ἔτη ιη'· ὃς δὴ Κήτους ἐπωνόμασε Λατῖνος. Id est: *Italiæ tum regnum tenuit Herculis ex Auge filius Telephus: & post hunc filius eius Latinus annos* XVIII: *qui Cetæos de se adpellavit Latinos.* Svidas: Λατῖνοι, οἱ νῦν Ῥωμαῖοι. Τήλεφος γὰρ υἱὸς Ἡρακλέους ὁ ἐπικληθεὶς Λατῖνος, μεταὼνόμασε δὲ πάλαι Κήτους λεγομένους νῦν Λατίνους. Id est: *Latini, qui nunc Romani. Telephus enim, Herculis filius, cognomento Latinus, eos, qui olim Cetii vocabantur, mutato nomine vocavit Latinos.* A *Cethi*, Iavanis filio, Iapeti nepote, Noaci pronepote, tamquàm primo auctore, falsò posterioris sæculi Christianos scriptores adpellasse Italos *Cetæos*, suprà lib. I cap. VI ostensum est. Cæterùm eo Svida à Cedreno differt, quòd hic Herculis nepotem, ille filium faciat *Latinum*. Alii rursus Circes deæ & Vlyssis natum pronunciarunt. In his antiquissimus poëta Hesiodus circiter annis ante Romam conditam ita ait in fine Θεογονίας·

Κίρκη δ', Ἠελίου θυγάτηρ Ὑπεριονίδαο,
Γείνατ' Ὀδυσσῆϊ θαλασσίφρονι ἐν φιλότητι
Ἄγριον ἠδὲ Λατῖνον ἀμύμονά τε κρατερόν τε·
Οἳ δὴ πάλα τῆλε μυχῷ νήσων ἱεράων
Πᾶσιν Τυρσηνοῖσιν ἀγακλυτοῖσιν ἄνασσον.

Hoc est:

Circe autem, filia Solis Hiperionidæ,
Peperit Vlyssis arumnosi in amore
Agrium atque Latinum, inculpatum fortemque:
Qui sanè valdè procul in recessu insularum sacrarum
Omnibus Tyrrhenis admodùm inclytis imperarunt.

Tyrrhenorum nomine heic omnem Italiam intelligi, suprà lib. I cap. I, & lib. II cap. I docui. Porrò Marcianus Heracleensis in Περιηγήσει·

Μετὰ τοὺς Λιγυστικοὺς Πελασγοί δ' εἰσιν, οἱ
Πρότερον καλοικίζαντες ὀκτὼ τῆς Ἑλλάδος,
Κοινῶς δὲ Τυρρηνοῖσι χώραν νεμόμενοι.
Εἰσὶ δ' ἐπάνω μὲν τῶν Πελασγῶν Ὀμβρικοί,
Οὓς ὤκισεν ὁ ἐκ Κίρκης Ὀδυσσεῖ γεγονὼς
Λατῖνος· Αὔσονές τε, μεσόγειον τινὰ
Ἔχοντες, Αὔσονας σωφρονίσαι δοκεῖ,
Ὀδυσσέως παῖς καὶ Καλυψοῦς γεγονώς.
Ἐν τοῖς ἔθνεσι τούτοις ἡ Ῥώμη τὸ πάλαι·
Ἣν τὴν Λατίνην Ῥωμύλον δ' αὖτις κλῆσαι,

Θέμενον

Θέμβρον ἀΦ' αὐτῦ, Φασί, τῦγομα.
Μετὰ δ' Λαῦνες εἰσὶν ἐν Ὀπικοῖς πόλις,
Τῆς λεγομένης λίμνης Ἄορνι πλησίον,
Κύμη.

Hoc est:

Post Liguriam sunt Pelasgi: qui
Quondam huc transmigrarunt è Græciâ:
Communem autem cum Tyrrhenis regionem incolunt.
Supra Pelasgos sunt Vmbri:
Quos condidit è Circe Vlyssi prognatus
Latinus. tum Ausones, mediam regionem
Tenentes: quos Auson condidisse putatur,
Vlyssis Calypsûsque filius.
In his gentibus Roma est urbs.
In Latino agro Romulum hanc condidisse
Ferunt; impositâ ei de suo nomine adpellatione.
Pòst Latinos est in Opicis urbs,
Prope Avernum lacum,
Cuma.

Interiisse heic unum vel plureis versus, quibus significabatur, post Vmbros esse *Latinorum* gentem, suprà lib. II cap. IIII in Vmbris docui. At *Latinum* atque *Ausonem* fratres germanos fecêre alii rursus auctores. Eustathius Præfatione in Vlyssêam Homeri: Ὁ Λατῖνος καὶ ὁ Αὔσων, οἱ ἐξ Ὀδυσσέως καὶ Κίρκης, καθά Ἴνας. Id est: *Latinus atque Auson, Vlyssis ac Circes filii; ut quidam tradunt. Alii porrò Latinum Vlyssis fecêre nepotem, ex eâdem Circe Telemacho, Vlyssis filio, progenitum.* Hyginus Μυθολογικῶν cap. CXXVII: *Telegonus, Vlyssis & Circes filius, missus à matre, ut genitorem quæreret, tempestate in Ithacam est delatus: ibique, fame coactus, agros depopulari cœpit. cum quo Vlysses & Telemachus ignari arma contulerunt. Vlysses à Telegono filio est interfectus: quòd ei responsum fuerat, ut à filio caveret mortem. quem postquàm cognovit qui esset; jussu Minervæ cum Telemacho & Penelope in patriam redierunt in insulam Aeaam; [&] ad Circen Vlyssem mortuum deportarunt; ibique sepulturæ tradiderunt. Eiusdem Minervæ monitu Telegonus Penelopen, Telemachus Circen, duxerunt uxores. Circe & Telemacho natus est Latinus: qui ex suo nomine Latinæ linguæ nomen imposuit. ex Penelope & Telegono natus est Italus: qui Italiam ex suo nomine denominavit.* Sic scilicet immanis illa Græcorum fabulositas omnia mirificè confudit. Par huic exemplum exstat apud Isidorum Origin. lib. VIIII cap. II. *Romani*, inquit, *à Romuli nomine nuncupati, qui urbem Romam condidit, gentique & civitati nomen dedit. Hi antè à Saturno Saturnii, à Latino Latini vocati sunt. nam Latinus Italiæ rex fuit: qui ex suo nomine Latinos adpellavit; qui posteà Romani nuncupati sunt. Italus quoque & Sabinus & Sicanus fratres fuerunt; ex quibus nomina populis imposita & regionibus sunt. nam ab Italo Itali, à Sabino Sabini, à Sicano Sicani; qui & Siculi cognominati sunt: iidem & Sicilienses. Italum* Siculorum fuisse regem, regionemque eorum ab eo fuisse dictam *Italiam*, suprà hoc capite & lib. I cap. I ostensum est. *Sabinos* Opicam fuisse gentem, lib. II cap. VIII monstratum. *Sicanos* fuisse indigenas Sicaniæ insulæ populos, quæ posteà ab novis cultoribus Siculis dicta est Sicilia, in huius insulæ descriptione docetur. Treis igitur longè diversissimi inter se generis genteis ab unâ eâdemque stirpe deduxerunt auctores isti, à quibus id habuit Isidorus. Sed æquè fabulosum esse suprà memoratum Aboriginum regem *Latinum*, vel ex eo satis claret, quòd neque patrem neque matrem certam illi umquàm adsignare potuerint vel antiquissimi illi poëtæ ac μυθολόγοι.

Nunc in avum quoque Latini *Picum*, Fauni patrem, Saturni filium, inquiramus; cuius generis is fuerit. De hoc ita Virgilius Aeneid. lib. VII:

Picus equûm domitor: quem capta cupidine conjux
Aureâ percussum virgâ, versumque venenis,
Fecit avem Circe, sparsitque coloribus alas.

Eamdem fabulam prolixiùs repetit Ovidius Μεταμορφώσεων lib. XIIII; ubi *Venilian*, eamdemque *Canentem*, ait Pici fuisse uxorem, infit autem ita:

Picus in Ausoniis, proles Saturnia, terris
Rex fuit, utilium bello studiosus equorum.

Ad Virgilii locum ita commentatur Servius: *Aurea per ironiam dixit. conjux verò, non quæ erat; sed, quæ esse cupiebat. Fabula talis est: Picum amavit Pomona, dea pomorum; & eius volentis est sortita conjugium. posteà Circe quum eum amaret, & sperneretur; irata eum in avem picum Martium convertit. Hoc autem ideò fingitur, quia augur fuit; & domi habuit picum, per quem futura noscebat; quod Pontificales indicant libri. Benè autem huic suprà lituum dedit; quòd est augurum proprium.* Mirâ sanè sorte & ipse rex, Saturni filius, *Picus* dictus est, simulque *avem picum Martium* domi aluit, *per quem futura noscebat*. nisi fortè ab ave regem sibi id nominis adsumpsisse suspiceris: quod nemo hactenus tradidit. Pontificalium libros innumeras alias quoque continuisse immaneis fabulas, passim apud auctores facile dispectu est. At huius fabulæ origo apud Dionysium exstat lib. 1; ubi opida recenset, quæ prima Aborigines in Reatino habuerunt agro. Τίωρα, inquit, ἡ καλουμένη Μαλιλών. ἐν ταύτῃ δὲ λέγεται χρηστήριον Ἄρεος ἡμέρᾳ πάνυ δρυμὸν ἀρχαῖον. ὁ δὲ τρόπος αὐτοῦ παραπλήσιος ἐστὶ, ὡς φασὶ, τῷ παρὰ Δωδωναίοις μυθολογουμένῳ ποτὲ ἡμέρᾳ· πλησίον ἕλος ἐκεῖ μὲν ὄντι δρυὸς ἱερᾶς καθιζούσης περιστερᾶς ἠκούσθη φθέγγεσθαι λέγοντος, περὶ ἧς τοῖς Ἀβοριγίσι μαντεῖόν ἐστιν, ὃ καὶ τοῖσδε καλοῦσιν, ὅτι κίονος ξυλίνης φαινομένου, τὸ αὐτὸ ἕδρα. Hoc est: *Tiora, cognomine Matiena. in hac aiunt fuisse oraculum Martis antiquissimum, non absimile illi Dodonæo, in sermonibus antiquis celebrato: nisi, quòd illic in sacrâ quercu sedentem columbam dicunt vaticinari solitam: apud Aborigines avis divinitus missa, quem illi picum vocant, idem faciebat in columnâ lignea.* Ergo, ut illa Iovis Dodonæi columba, sic & iste Martis picus non in privatâ aliquâ domo, sed in publico dei sive templo seu nemore habitus fuit. & de Pico rege, qui eam avem domi suæ aluisse nonnullis traditus est, nihil hoc loco Dionysius agnoscit. Quapropter hic etiam Aboriginum rex, non minùs, quàm filius eius *Faunus* neposque *Latinus*, fabulosus erit. De *Æneâ*, qui ad Latinum perveniisse dicitur, item de *Saturno*, Pici patre, rem pòst examinabimus. De cætero, duæ gentes quæ in unum LATINORVM nomen corpusque coiviſse dicuntur *Pelasgi* atque *Aborigines* fuêre, postquàm conjunctâ operâ atque viribus Siculos ex agro, qui posteà Sabinorum fuit, inter Narem & Anienem amneis ejecissent, regionemque hanc LATIVM adpellassent. qua de re plurimis agetur documentis proximo hinc capite. Dionysius Halicarnassensis, diligentissimus sagacissimusque antiquitatum Romanarum indagator, suprà citato lib. 1; postquàm narravit, qua ratione Aborigines loca inter dictos amneis, expulsis inde Siculis, occupaverint, opidaque circa Anienem *Antemnas*, *Tellenas*, *Ficuleam*, atque *Tibur*, communierint; hæc continuò subjungit: Ἐπὶ πᾶσι Πελασγῶν ἦσαν, οἳ οἰκήντων ἐν τῇ καλουμένῃ Θετταλίᾳ, τὴν ἑαυτῶν αὐαγκασθέντες ἐκλιπεῖν, συῳκισθέντες τοῖς Ἀβοριγίσι, καὶ κοινῇ μετ' ἐκείνων ἐπολέμουν πρὸς τοὺς Σικελούς. Ἐδέξαντο δὲ αὐτοὺς οἱ Ἀβοριγῖνες, ἴσως μὲν καὶ διὰ τὴν ὠφελησόμενοι ἐλπίδα, ὡς δ' ἐγὼ πείθομαι, καὶ διὰ τὸ συγγενὲς μάλιστα· ἦν γὰρ δὴ καὶ τὸ τῶν Πελασγῶν γένος Ἑλληνικὸν, ἐκ Πελοποννήσου τὸ ἀρχαῖον· ἐχρήσαντο δὲ τύχαις δυσπότμοις, εἰς πολλὰ μὲν ἄλλα, μάλιστα δ' εἰς τὴν πολύπλανόν τε καὶ ἀδηνὸς τότε βέβαιον οἴκησιν. πρῶτον μὲν γὰρ περὶ τὸ καλούμενον νῦν Ἀγχαῖον Ἄργος ᾤκησαν, αὐτόχθονες ὄντες, ὡς οἱ πολλοὶ περὶ αὐτῶν λέγουσι. τὴν δ' ἐπωνυμίαν ἔλαβον ἐξ ἀρχῆς ταύτην ἀπὸ Πελασγοῦ βασιλέως. ἦν δὲ ὁ Πελασγὸς ἐκ Διὸς, ὡς λέγει, καὶ τῆς Νιόβης, θυγατρὸς Φορωνέως· ἣ πρώτη γυναικῶν θνητῶν μίσγεται ὁ Ζεὺς, ὡς ὁ μῦθος ἔχει. ἔκτην δ' ὕστερον γενεᾷ Πελοποννησίων ἐκλιπόντες, εἰς τὴν τότε μὲν Αἰμονίαν, νῦν δὲ Θετταλίαν ὀνομαζομένην μεταναέστησαν. ἡγοῦντο δὲ τῆς ἀποικίας Ἀχαιὸς καὶ Φθίος καὶ Πελασγὸς, οἱ Λαρίσσης καὶ Ποσειδῶνος υἱοί. ἀφικόμενοι δ' εἰς τὴν Αἰμονίαν, τάς τε κατοικεσθείσας ἐν αὐτῇ βαρβάρους ἐξελαύνουσι, καὶ νέμουσι τὴν χώραν τειχῇ, τοῖς ἡγεμόσι ποιήσαντες ὁμωνύμους τὰς χώρας, Φθιῶτιν δὲ Ἀχαΐαν καὶ Πελασγιῶτιν. πέντε δὴ μοίρας αὐτόθι ἔλαχον, ἃς τὴν ἔκτην ἔλαχον Θετταλίας ὑπό τε Κρητῶν καὶ Λελέγων, οἳ νῦν Αἰτωλοὶ καὶ Λοκροὶ καλοῦνται, καὶ συχνῶν ἄλλων, τὴν περὶ τὸν Παρνασσὸν οἰκούντων, ἡγεμόνες τε πλεμίων Δευκαλίων καὶ Προμηθέως, μητρὸς δὲ Κλυμένης, τῆς Ὠκεανοῦ. σχεδὸν δὲ ἑβδόμῃ καὶ τὴν Φυγὴν, οἱ μὲν εἰς Κρήτην ἀπῆλθον, οἱ δὲ τὰς Κυκλάδων νήσους ἔλαχον κατέσχον, οἱ δὲ τὴν Ὄλυμπόν τε καὶ τὴν Ὄσσαν τε καλουμένην Αἰολίδα ὠκησαν· ἄλλοι δὲ εἰς τε Βοιωτίαν καὶ Φωκίδα καὶ Εὔβοιαν διεκομίσθησαν· οἱ δ' εἰς τὴν Ἀσίαν περαιωθέντες, τῆς τε τὸν Ἑλλήσποντον περαλίας πολλὰ χωρία κατέσχον. τὸ δὲ πλεῖον αὐτοῖς μέρος καὶ μεσογείας τραπόμενοι, πρὸς τοὺς ἐν Δωδώνῃ κατοικοῦντας σφῶν συγγενεῖς, οἷς ἐδόκει ἠρέμα ὀπιφέρειν πόλεμον, ὡς ἱεροῖς, χρόνον μέν τινα ἐμμετρον αὐτόθι διέτριψαν. ἐπεὶ δὲ λυπηροὶ ὄντες αὐτοῖς ἠθάνοντο, καὶ οὐκ ἐπαύοντο τρέφειν τε γῆς, ἐκλείπουσι τὴν χώραν, χρησμῷ πειθόμενοι, κελεύοντι πλεῖν εἰς Ἰταλίαν, ἣ τότε Σατουρνία ἐλέγετο.

ἐλίγετο. Καταστρωσάμενοι δὲ ναῦς πολλὰς, περαιοῦνται τὸν Ἰόνιον· ἀποβάντες μὲν πολέμιοι τῆς ἔντὸς τῆς Ἰταλίας ἄψαντο χωρίων. ὑπὸ δὲ νόσου πολλῆς καὶ ἀηδίας τοῦ τόπου μεταίροι ἐνεχθέντες, καὶ πρὸς ἐνί τε τῶν Πάνδωρ στομάτων ὁρμισάμενοι, Σπινῆτι καλουμένῳ, ναῦς μὲν αὐτοῦ ταύτῃ καταλείπουσι, καὶ τὸν ἥκιστα δυσάρμοστον ταλαιπωρεῖν ὄχλον, φυλακὴν ἐπ' αὐτὰς καταστησάμενοι, ὡς ἔχοιεν, εἰ μὴ προχωροίη σφίσι τὰ πράγματα, καταφυγήν. Καὶ οἱ μὲν ὑπομείναντες ἐν τούτῳ τῷ χωρίῳ, τείχει τῷ στρατοπέδῳ περιβαλόμενοι, ἐπειδὴ καὶ γνώμῃ ἐδόκει αὐτοῖς χωρεῖν τὰ πράγματα, πόλιν ἔκτισαν ὁμώνυμον τῷ στόματι καὶ τῷ ποταμῷ. Οἱ δὲ μετοικίᾳ τραπόμενοι, τὴν ὀρεινὴν τῆς Ἰταλίας κατέβαλόντες, εἰς τὴν Ὀμβρικῶν ἀφικνοῦνται χώραν, τῶν ὁμορούντων Ἀβοριγίνων. Τὸ μὲν οὖν κατ' ἀρχὰς ἐκράτουν οἱ Πελασγοὶ τῶν χωρίων, ἔνθα τὸ πρῶτον ἱδρύσαντο, καὶ πολισμάτια τῶν Ὀμβρικῶν καθελόντα λάβοντά τινα. στρατευόντων δὲ ἐπ' αὐτοὺς μεγάλα στρατῷ, δείσαντες τὸ πολέμιον τὸ πλῆθος, εἰς τοὺς Ἀβοριγίνων ἀπίοντες πρέσβεις). Καὶ οἱ μὲν Ἀβοριγῖνες ἄτε πολεμίοις ἐδικαίουν αὐτοῖς προσφέρεσθαι· καὶ σωθῆναι ἐκ τῆς ἔντὸς χωρίων βαβαχῆς, ὡς ἀναστάντες αὐτούς. Οἱ δὲ Πελασγοὶ (τυγχάνουσι γὰρ ἐν τούτῳ τῷ χρόνῳ καὶ δαίμονα περὶ Κοτύλιν πόλιν Ἀβοριγίνων αὐλιζόμενοι, πλησίον τῆς ἱερᾶς λίμνης) ὡς τὴν τε νησίδα τὴν ἐν αὐτῇ περιδονουμένην κατέμαθον, καὶ ἀπὸ τῶν αἰχμαλώτων, ἃς ἐκ τῶν ἀγρῶν ἔλαβον, ἤκουσαν τὸ τῆς ὀπιχωρίων ὄνομα, τέλος ἔχειν σφίσι τὸ θεοπρόπιον ὑπέλαβον. ὁ γὰρ ἐν Δωδώνῃ γενόμενος αὐτοῖς χρησμὸς (ἦν φησι Λύκιος Μάμιος, αἰεὶ δὲ ἄσημος, αὐτὸς ἰδεῖν ἐπιλίμενος τὸν ἐν τῷ τετρώβολον Διὸς κριμένων τετράποδων, χαλκοῖς δρεπανηφόροις ἐγκεχαραγμένον) ὧδε εἶχε·

Στείχετε μυρόμενοι Σικελῶν Σαλπορνίαν αἶαν,
Ἠδ' ὅθι Ἀβοριγίνεων Κοτύλιον, ἔνθα ναίουσι·
Οἷς αὖθ' ἁμιχθείσης δεκάτῳ ἐκπέμψατε φοίβῃ,
Καὶ κεφαλὰς Ἄιδῃ, καὶ τῷ πάλιν πέμπετε φῶτα.

Ἐλθοῦσι δὲ τοῖς Ἀβοριγῖσι σὺν πολλῇ στρατιᾷ, ἱκετηρίας οἱ Πελασγοὶ προβεβλημένοι, ὁμόσε χωροῦσιν αὐτόκλητοι· φράζοντές τε τὰς ἑαυτῶν τύχας, καὶ δεόμενοι πρὸς φιλίαν δέξασθαι σφᾶς σωτῆρας, ἀλυκτῆρας ἐσομένους· ἐπεὶ καὶ τὸ δαιμόνιον αὐτοὺς εἰς τήνδε μόνην ἄγαν τὴν χώραν· ἐξηγεῖσθαι τὸ λόγιον. Τοῖς δὲ Ἀβοριγῖσι ταῦτα πυθομένοις ἐδόκει πείθεσθαι τῷ θεοπρόπῳ, καὶ λαβεῖν συμμαχίαν Ἑλληνικὴν καὶ τῶν διαφόρων σφίσι βαρβάρων, πονεῖσθαι τῷ πρὸς τοὺς Σικελοὺς πολέμῳ. Σπένδονται γε δὴ πρὸς τοὺς Πελασγοὺς· καὶ διδόασιν αὐτοῖς χωρία, τῶν ἑαυτῶν ὑποδασάμενοι, τὰ περὶ τὴν ἱερὰν λίμνην· ἐν οἷς δὴ τὰ πολλὰ ἐλῴδη· ἀνῃροῦντο δὲ καὶ τὸν ἀρχαῖον τῶν διαλέκτων τρόπον, Οὐέλια ὀνομάζοντες). Ἐπὶ τοῖς μοίραις αὐτῶν τὸν ἐλαχίστην, ὡς ἡ γῆ πᾶσιν τὸν ἀπέρχεσθαι, πείσαντες τοὺς Ἀβοριγῖνας σωφρονεῖσθαι σφίσι τὸ διεξόδῳ, στρατεύουσιν ἐπὶ τοὺς Ὀμβρικούς, καὶ πόλιν αὐτῶν διδαίμονα καὶ μεγάλην ἁφνω προσπεσόντες αἱροῦσι Κρότωνα· ταύτην φρουρήσαντες καὶ ἐπιτειχίσαντες καὶ τὸ Ὀμβρικῶν χωρίωμα. πολλῶν δὲ ἄλλων ἐκράτησαν χωρίων· τοῖς τε Ἀβοριγῖσι τὸ πρὸς τοὺς Σικελοὺς πόλεμον ἐπισωσῶσι πολλῇ προθυμίᾳ σωδιέφερον, ἕως ἐξήλασαν αὐτοὺς ἐκ τῆς σφετέρας. καὶ πόλεις πολλὰς, τὰς μὲν οἰκισθείσας ἐκ προτέρου ὑπὸ τῶν Σικελῶν, τὰς δὲ αὐτοὶ καταστρεψάμενοι, ὧνπερ οἱ Πελασγοὶ κοινῇ μετὰ τῶν Ἀβοριγίνων· ὧν ἐστιν ἥ τε Καιρεταναῖων πόλις, Ἀγύλλα δὲ τότε καλουμένη, ἐκ Πίσης καὶ Σατορνίας καὶ Ἄλσιον, ἐκ ἄλλαι τινὲς, αἳ αἰὰ χρόνου ὑπὸ τῶν Τυρρηνῶν ἀφῃρέθησαν· Φαλέριον δὲ καὶ Φασκέλιον ἔτι καὶ εἰς ἐμὲ ἦσαν οἰκήσεις ὑπὸ Ῥωμαίων, μικρὰ ἄττα διαζώσασαι ζώπυρα τοῦ Πελασγικοῦ γένους, Σικελῶν ὑπαρχόντων πρότερον. Hoc est: *Posthinc Pelasgorum quidam, Thessaliam patriam linquere coacti, ab Aboriginibus in partem agrorum recipiuntur: bellumque communibus opibus contra Siculos cum iis gerunt. Hanc autem manum Aborigines receperunt, sive fortassis auxilii: ego tamen propter cognationem potiùs id factum crediderim: quando Pelasgorum quoque natio Græca fuit, oriunda è Peloponneso; agitata variis casibus; sed erroribus maximè; nusquàm valens certum domicilium figere. nam primùm habitarunt apud Argos, quod nunc Achaicum cognominatur; loci eius, ut plerique opinantur, indigenæ; à rege Pelasgo sortiti antiquum hoc vocabulum. Hunc aiunt Iovis fuisse filium è Niobe, Phoronei filiâ; quam primam mortalium feminarum complexus est Iupiter: ut prisci ferunt sermones. Sextâ pòst ætate relinquentes Peloponnesum, mi raverunt in Hæmoniam; quæ nunc Thessalia dicitur. duces eius coloniæ fuerunt, Achæus & Phthius ac Pelasgus, Lariſſæ & Neptuni filii. Vt verò in Hæmoniam ventum est; pulsis inde cultoribus barbaris, regionem in treis parteis dividunt; adpellantque ex suis ducibus Phthiotin, Achaiam, Pelasgiotin. Ibi ætates v quum exegissent; circiter sextam ætatem eos inde Curetes & Leleges ejecerunt; qui nunc Ætoli ac Locri vocantur; cumque his & alii complures Parnassi adcolæ; duce Deucalione, filio Promethei & Clymenes, Oceani filiæ. Atque profugorum tunc alii Cretam petierunt; alii Cycladum insularum nonnullas occuparunt: pars Olympo atque Ossæ contiguam regionem, nomine Hestiotin, insederunt: pars migraverunt in Bœotiam, Phocidem, atque Eubœam. alii, trajicientes in Asiam, multa circa Hellespon-*

tum occuparunt loca maritima. at maxima eorum pars per loca mediterranea se contulit ad consanguineos suos Dodonæos: quos, ut sacros, nemo fas putabat bello adgredi. ibique manserunt sat longo tempore. Deinde, ubi senserunt, gravari ab se cæteros; quòd terra omnibus alendis non sufficeret; reliquerunt eam regionem; oraculo moniti navigare in Italiam; quæ tunc dicebatur Saturnia. Paratâ itaque classe, mare Ionium trajiciunt; cupientes proximam oram Italiæ contingere. sed flante austro, & locorum ignari, provecti longiùs adplicuerunt ad unum è Padi ostiis, nomine Spinetem: ibique naveis reliquerunt & turbam ferendis laboribus imparem; non sine præsidio: ut refugium haberent, si res non succederent ex sententiâ. Hi eo loco manentes, castra cinxerunt mœnibus. &, quum eis ex voto cederent omnia; urbem condiderunt ostio fluminis cognominem. At illi, qui mediterranea petierunt, superatis Italiæ montibus, pervenerunt in Vmbrorum agrum, Aboriginibus finitimum. Initio igitur Pelasgi in potestatem suam redegerunt agros, in quibus primùm consederant; potiti etiam quibusdam Vmbrorum opidulis. sed quum adversùs eos convenisset ingens exercitus; territi hostium multitudine, contulerunt sese in Aborigínum regionem. Hi decreverunt bello eos, ut hosteis, persequi. ac mox è proximis locis confluxerunt celeriter, delendi eos animo. Pelasgi verò; qui tum fortefortunâ circa Cutiliam, Aboriginum urbem, prope sacrum lacum, stativa habebant; postquàm contemplati sunt fluitantem in eo insulam; & ex captivis, quos in agris interceperant, audiverunt adpellationem eius regionis hominum: crediderunt, finem jam habere suum oraculum. namque apud Dodonam redditum eis responsum (quod L. Mamius, vir non obscurus, ait se ipsum vidisse in templo Iovis, cuidam sacrorum tripodum vetustis literis insculptum) sic habebat:

Pergite quærentes Siculûm Saturnia rura,
Atque Aboriginiden Cotylem, ubi se insula vectat.
Queis misti, decimas Clario transmittite Phœbo,
Et Diti capita; & transmittite lumina patri.

Adventantibus igitur cum magno exercitu Aboriginibus occurrunt Pelasgi cum oleæ ramis inermes ac supplices. expositisque suis casibus, orant, ut recipiantur in amicitiam & partem sedium; nequaquàm graves ipsis futuri. & exponentes oraculum, aiunt, sese ad ea loca sola deûm monitu delatos. His auditis adsenserunt Aborigines: quòd fessis bello Siculo placeret Græca societas contra infensos sibi barbaros. Itaque cum Pelasgis fœdus feriunt; partemque agrorum illis adsignant circa sacrum lacum: quorum pleraque erant palustria; dicta nunc prisco linguæ more Velia. At verò deinde bona eorum pars, quum agri omnibus non sufficerent, Aboriginibus in expeditionem adscitis, bello Vmbros adgreditur: urbemque eorum florentem ac magnam Crotonem repentino incursu capiunt: qua mox pro arce belli contra Vmbros usi sunt. posthinc alia quoque loca multa in potestatem suam redegerunt: & Aboriginibus contra Siculos promptam præstiterunt operam; donec eos ejecerunt suis sedibus. In his multa opida, partim antè ab Siculis habitata, partim recèns ab se condita, tenuerunt indivisa sociæ gentes Pelasgi & Aborigines. ex quibus sunt Cære, Agylla tunc dictum, Pisa, Saturnia, Alsium, & quædam alia: quæ postmodùm à Tyrrhenis occupata sunt. Falerium autem & Fescennium, etiam meâ tempestate à Romanis habitata, parvas quasdam scintillas Pelasgici generis servant; quum initio Siculorum fuerint.

En, disertissimis verbis testatur ex antiquissimorum scriptorum monimentis Dionysius, κοινῇ, id est, *communiter, conjunctè* atque *individuè* tenuisse Aborigines cum Pelasgis opida Siculis adempta. quis igitur dubitet, quin κοινὼν etiam inter se habuerint πολιτηγορίαν, id est, *communem* quasi unius gentis *adpellationem*? Hæc autem nulla alia fuit, nisi qua de regionis, quam unà incolebant, nomine *Latio* dicebantur *Latini*. Hinc illud videtur esse Virgilii dicto Aeneid. lib. VIII:

Silvano, fama est, veteres sacrasse Pelasgos,
Arvorumque pecorisque deo, lucumque diemque:
Qui primi fineis aliquando habuêre Latinos.

Notandum autem, non omnem *Pelasgorum* gentem in Latinorum cum Aboriginibus concessisse corpus nomenque: sed eam tantùm partem, quæ in Sabino agro cum Aboriginibus mansit. alteram verò μείζονα οὐκ ἐλαχίστην, id est, *magnam eorum partem* Vmbrorum occupasse solum, inter Apenninum montem, Arnum amnem, mare inferum ac Tiberim flumen situm. quam regionem in XII populos seu urbeis principatusque eos divisisse, ac postmodùm Etruscos, quum hi à Gallis Circumpadanâ regione pellerentur, in partem agrorum recepisse, suprà lib. II cap. I docui.

docui. Cæterùm Dionysius eodem libro posteà ita pergit: Τὸ δὴ ἓν Πελασγικὸν φῦλον, ὅσον μὴ διεφθάρη τε ὑπ' αὐτῆς ἀποικίας διεσπάσθη (διέμενε δ' ὀλίγον ἀπὸ πολλοῦ) μίξ' τῶν Αὐσονίων πολιόμενον, ἐν τόποις ὑποδεεστέροις χωρίοις, ὅπερ σοὶ χρόνῳ Ῥώμῃ οἱ ἔκγονοι αὐτῶν σὺν τοῖς ἄλλοις ἐπολίσαντο. Μεθ' ἣν δ' πολλῷ χρόνον στόλος ἄλλος Ἑλληνικὸς εἰς ταὐτὰ τὰ χωρία τῆς Ἰταλίας καθορᾷ), ἐξηκοστῷ μάλιστα ἔτει πρότερον τῶν Τρωϊκῶν, ὡς αὐτοὶ Ῥωμαῖοι λέγουσιν, ἐκ Παλαντίου, πόλεως Ἀρκαδικῆς, αἰτιᾶται. ἡγεῖτο δὲ ἀποικίας Εὔανδρος, Ἑρμοῦ μὲν καὶ νύμφης τινὸς Ἀρκάδος ἐπιχωρίας· ὃν οἱ μὲν Ἕλληνες Θέμιν εἶναι λέγουσι, θεοφορήτου ἀποφαίνουσιν· οἱ δὲ τὰς Ῥωμαϊκὰς συγγραφὰς ἀρχαιολογίας τῇ πατρῴᾳ γλώσσῃ Καρμέντιν ὀνομάζουσιν. Ἐτύγχανε δὲ τότε τῷ βασιλεύοντι τῶν Αὐσονίων παρεληφὼς φαῦλος, Ἄρεως, ὡς φασιν, ἀπόγονος. ἔτος ὁ ἀνὴρ δεξάμενος καὶ πολλὴ φιλοτιμία σὺν Ἀρκάδας, ὀλίγους ὄντας, ἀδίδωσιν αὐτοῖς τῆς αὐτῆς χώρας ὅσην ἐβούλοντο. οἱ δὲ Ἀρκάδες, ὡς ἡ Θέμις αὐτοῖς ἐπῳδυμάζουσα ἔφραζεν, αἱρεῖνται λόφον, ὀλίγον ἀπέχοντα τοῦ Τιβέριος, ὃς ἐστι νῦν ἐν μέσῳ μάλιστα τῆς Ῥωμαίων πόλεως· καὶ κατασκευάζονται πρὸς αὐτῷ κώμην βραχεῖαν, δυσὶ ναυσὶν πληρώμασιν, ἐν οἷς ἀπανέστησαν τῆς Ἑλλάδος, ἐπιχωρῆσαν. ὀνομὰ δὲ τῷ πολίσματι τούτῳ θέντο Παλάντιον, ὡς ἀπὸ τῆς ἐν Ἀρκαδίᾳ σφῶν μητροπόλεως. νῦν μὲν τοι Παλάτιον ὑπὸ Ῥωμαίων λέγεται), συγχέασι δὲ χρόνῳ τῷ ἀκριβοῦσθαι. * — * Ὀλίγοις δὲ ὕστερον ἔπεσι μὲν σὺν Ἀρκάδας, ἄλλος εἰς Ἰταλίαν ἀφικνεῖται στόλος Ἑλληνικὸς, ἄγοντος Ἡρακλέους, ὃς Ἰβηρίαν καὶ τὰ μέχρι δυσμῶν ἡλίου χθαμαὶ ὧδε καὶ ὧδε ἐπιὼν ἐκαθάρισε τῆς ἀγριότητος, ἐκ θεοῦ τινος ἐπιπνοίᾳ ἐπὶ τοῦτο ἐλθών. ἐξ ὧν τινες Ἡρακλέα ὠνόμασαν ἐπὶ τῇ τῆς ἀγριότητος ἀφέσει, ἐπεὶ ταῦτα τὰ χωρία ὑπέμενον· καὶ πολίζουσι λόφον ὀπίσθιον ὄρους τοῦ Κρόνιος, τριακοσίοις δὲ μάλιστα μήκεσι Παλατίου διέχοντα· ὃς νῦν μὲν Καπιτωλῖνος ὀνομάζεται), ὑπὸ τῶν τότε ἀνθρώπων Σατόρνιος ἐλέγετο. Hoc est: *Ergo Pelasgicæ gentis quantum superfuit, neque in colonias distractum erat, (id quod ex magno ad modicum redactum fuit numerum) inter Aborigines degens, in iis resedit locis, ubi posteà Romam eorum posteri cum aliis condiderunt. Haud multo pòst alia classis Græcorum in eam Italiæ partem adpulit, LX fermè annis ante bellum Troianum: ut ipsi Romani tradunt; profecta à Palantio, urbe Arcadicâ. Eam coloniam deduxit Euander, Mercurii filius & nymphæ cuiusdam Arcadicæ, quam Græci Themin fuisse dicunt; divino adflatu instinctam; Romanarum verò antiquitatum scriptores Carmentam patriâ linguâ vocant. Fortè tunc apud Aborigines regnum, à maioribus traditum, tenebat Faunus, à Marte, ut ferunt, oriundus. is paucos illos Arcadas, comiter exceptos, donavit agrorum, quantam ipsi vellent, portionem. elegerunt autem, sicut eos Themis pòst rem divinam peractam præmonuerat, tumulum non longè distantem à Tiberi; qui nunc fermè in meditullio Romanæ urbis situs est. apud eum exstruxerunt parvum vicum; capacem hominum, quot duæ naves advexerant è Græciâ. nomenque huic opidulo de veteris patriæ vocabulo imponunt Palantium: quod nunc Palatium Romanis dicitur; corruptâ voce temporum injuriâ.* Aliquanto pòst: *Paucis aliquot annis pòst Arcadum adventum elapsis, alia manus Græcorum in Italiam venit, Herculis ductu; qui Hispaniam, & quidquid terrarum ad occidentem usque Solem protenditur, domuerat. Horum quidam, missione ab Hercule impetratâ, circa hæc loca consederunt. & nacti opportunum tumulum, tribus fermè stadiis distantem à Palantio; in opidi formam eum communiverunt. Is nunc Capitolinus adpellatur. illius verò sæculi hominibus vocabatur Saturnius.* Narrat hinc de Aeneæ cum Troianis in Italiam adventu; ut suprà retulimus. tandem historiam de Romanæ gentis conditoribus in hæc verba concludit: Τὰ μὲν δὴ συμπεπλεγμένα ἔθνη καὶ κοινωσάμενα, ἐξ ὧν τὸ Ῥωμαίων γένος ὥρμηται, πέλαν, ὡς νῦν ἔχει, οἰκεῖσθαι πόλιν, ταῦτά ἐστιν· Αὐσονίων μὲν πρῶτον· οἱ Σικελοὺς ἐξαναστήσαντες ἐκ τούτων τῶν χωρίων, Ἕλληνες ὄντες τὸ ἀρχαῖον ἐκ Πελοποννήσου, ὕστερον μιγέντες καμόντων τὴν αἴκησιν ἐκ τῆς καλουμένης νῦν Ἀρκαδίας, ὡς ἐγὼ πείθομαι. ἔπειθ' οἱ μεταστάντες ἐκ τοῦ τότε μὲν Αἱμονίας, νῦν δὲ Θετταλίας καλουμένης, Πελασγοί. τρίτοι δή, οἱ σὺν Εὐάνδρῳ θεοφορηθέντες εἰς Ἰταλίαν ἐκ Παλαντίου πόλεως. μίξ' δὲ τούτοις, τοῖς σὺν Ἡρακλεῖ στρατευομένοις Πελοποννησίοις Ἑπαφοῦ τε καὶ Φανεάτου· οἷς καὶ Τρωϊκόν τι ἐμέμικτο. τελευταῖοι δή, οἱ Αἰνείᾳ τε ἅμα καὶ Ἰλίου τε καὶ Δαρδανίας καὶ τῶν ἄλλων Τρωϊκῶν πόλεων. Id est: *Atque hæ sunt gentes, è quibus, in unum convenientibus, Romanum genus concrevit. primùm Aborigines: qui ex his locis ejecerunt Siculos; ipsi Græci generis, oriundi ex Peloponneso; cum Oenotro ex eâ, quæ nunc Arcadia dicitur, profecti; ut mea fert opinio. deinde Pelasgi; qui migrarunt ex Hæmoniâ, quæ nunc dicitur Thessalia. tertii, qui ex opido Palantio in Italiam cum Euandro venêre. pòst hos, è Peloponnesiis, Herculi militantibus, Epêi atque Pheneatæ: quibus & Troiani generis nonnihil admixtum erat. postremi, qui cum Aeneâ elapsi erant ex Ilio Dardanoque & aliis Troianis opidis.* Eamdem totius historiæ αἰτιαν Φαλαίωσιν repetit posteà ad finem huius libri primi: atque iterum paullo latiùs initio statim libri II:

ubi

ubi ita scribit: οἱ δὲ καταλαχόντες τὴν τῶν Ῥωμαίων πόλιν πρῶτοι τῶν μνημονευομένων, βάρβαροί τινες ἦσαν αὐτόχθονες, Σικελοὶ λεγόμενοι, πολλὰ δὲ ἄλλα τῆς Ἰταλίας χωρία καταλαβόντες. τούτους ἐκβαλόντες Ἀβορίγινες, αὐτοὶ κατέσχον τὸν τόπον, οἰνωτρῶν ὄντες ἀπόγονοι, τῶν κατοικούντων τὴν ὑπὸ Ταρᾶντι καὶ μέχρι Ποσειδωνίας θάλασσαν. ἱερά τις αὐτῶν νεότης, καθοσιωθεῖσα θεοῖς, καὶ τὰ ἐπιχώρια νόμιμα ὑπὸ τῶν πατέρων ἀποστελλομένη λέγεται, χώραν οἰκήσειν τὴν ὑπὸ δαίμονι καὶ σφίσι δεδηλωμένην. Ἀβορίγινων δὲ κατασχόντων τὰ χωρία, πρῶτοι μὲν αὐτοὶ γίνονται σιωνοῖκοι Πελασγοῖς παλαιᾶτις ἐκ τῆς νῦν καλουμένης Αἱμονίας, νυνὶ δὲ Θεσσαλίας· ἐν ᾗ χρόνον τινὰ ᾤκησαν. Μετὰ δὲ τοῦτο Πελασγοὶ Ἀρκάδες ἐκ Παλαντίου πόλεως ἐξελθόντες, Εὔανδρον ἡγεμόνα πεπεισμένοι τῆς ἀποικίας· οἱ πολίζουσι πρὸς ἑνὶ τῶν ἑπτὰ λόφων, ὃς ἐν μέσῳ μάλιστα κεῖται τῆς Ῥώμης, Παλάντιον ὀνομάσαντες τὸ χωρίον, ὅθεν ἐκ Ἀρκαδίας παλαιᾶς. Χρόνοις δὲ ὕστερον, Ἡρακλέους καταχθέντος εἰς Ἰταλίαν, ὅτε τὰ βοσκήματα ἐξ Ἐρυθείας οἴκαδε ἀπήγαγε, μοῖρά τις τῶν ἀφεστώτων ἐν αὐτῇ τῆς δυνάμεως Ἑλλήνων, πλησίον ἱδρυθέντες Παλαντίου, πρὸς ἕτερῳ τῶν ἐμπεπολισμένων τῇ Ῥώμῃ λόφων, ὃς τότε μὲν ὑπὸ τῶν ἐγχωρίων Σατούρνιος ἐλέγετο, νυνὶ δὲ Καπιτωλῖνος ὑπὸ Ῥωμαίων. Ἔποικοι τούτων πλείους ἦσαν ἐκ πόλεως Ἤλιδος ἐξαναστάντες, ἀφ' ἑστίας ἀφικόμενοι τὰς πατρίους καὶ ὑφ' Ἡρακλέους. Γενεᾷ δὲ ἑνὶ καὶ δεκάτῃ μετὰ τὸν Τρωϊκὸν πόλεμον, Ἀλβανοὶ συνοικίζουσιν ἄμφω τὰ χωρία ταῦτα, τείχει περιβαλόντες ἓν ἅπαντα. πλησίον δὲ ὧν αὐλία βουκολίων τε καὶ ποιμένων, καὶ τῶν ἄλλων κατάγαιον βοτόρων. Γένος δὲ καὶ τὸ Ἀλβανὸν μικτὸν ὧν ἔκ τε Ἀρκάδων καὶ Πελασγῶν, καὶ τῶν ἐξ Ἤλιδος ἐληλύθότων Ἐπειῶν, πλευτάτων δὲ τῶν μετ' Ἰλίαν ἅλωσιν ἀφικομένων εἰς Ἰταλίαν Τρώων· ὧν ὧν Αἰνείας, ὁ Ἀγχίσου καὶ Ἀφροδίτης. Εἰνὸς δὲ καὶ βαρβαρικὸν ἐκ τῶν περιοίκων ἢ παλαιῶν οἰκητόρων ὑπολιπὲς τῷ Ἑλληνικῷ συγκαταλλαγῆναι. ὄνομα δὲ κοινὸν οἱ σύμπαντες ἔσχον Λατῖνοι κληθῆναι ἀπὸ ἀνδρὸς ἡγησαμένου τῶν πάντων Λατίνου τοῦ κατὰ ἔθνος ὀνομασίας ἀφαιρεθέντες. Hoc est: *Vrbem Romanam primi post hominum memoriam tenuerunt barbari quidam indigenæ, Siculi dicti. His pulsis, Aborigines eum locum occuparunt: progenies Oenotrorum, qui oram à Tarento ad Posidoniam usque incoluerunt. hi fuerunt quædam diis sacra juventus, patrio ritu à parentibus missa, ad incolendas, quas fortuna datura erat, sedeis. Postquàm Aborigines hæc loca occuparunt, primi cum eis sedeis conjunxerunt Pelasgi, gens vaga, ex eâ, quæ tum Hæmonia, nunc Thessalia dicitur: in qua sedem aliquamdiu habuerant. Post Pelasgos, Arcades; profecti ab opido Palantio, Euandrum coloniæ ducem sequuti. qui domicilium fixerunt ad unum è septem collibus, in mediâ ferè nunc Româ situm. quem locum ab Arcadicâ patriâ adpellarunt Palantium. Haud multo pòst, adpulso in Italiam Hercule, quando exercitum ex Erythéa domum reducebat, relicta copiarum Græcarum pars quædam prope Palantium substitit; altero ex iis, quos nunc urbs complectitur, colle occupato: qui tunc Saturnius, nunc verò Romanis Capitolinus dicitur. horum bona pars Epéi fuère; profecti ab Elide, post devastatam Herculis armis patriam. Decimâ sextâ verò post bellum Troianum ætate, Albani utrumque locum mœnibus ac fossâ complexi, ibi habitavêre; ubi ad id temporis bubulcorum, opilionum, aliorumque pastorum stabula fuerant. Cæterò Albanorum genus erat mixtum, ex Arcadibus & Pelasgis Epeisque Elidensibus, ac postremò Troianis, cum Aeneâ, Anchisæ Veneriscque filio, in Italiam post Ilii excidium profecti. At veri est simile, barbarici quoque generis reliquias nonnullas è finitimis aut priscis incolis cum Græcis sese conjunxisse. Horum omnium commune nomen fuit Latini, deductum ab Latino, regionis huius principe: obliteratis singularum gentium adpellationibus.* Sanè, quantum ego ex auctoribus colligere, quantumque judicio meo disquirere valeo; *Euander* iste non sub Troiani demum belli tempestatem ex Arcadiâ cum exiguâ manu in Italiam venit, sedemque apud Tiberis ripam posuit: sed jam inde eorum dux fuit Pelasgorum, qui ex Hæmoniâ sive Thessaliâ, quò maiores eorum ex Arcadiâ migraverant, per Dodonen & Padi ostia in eum agrum, qui posteà Sabinus dictus est, ad Aborigines pervenerunt; communique simul cum his nomine *Latini* dicti sunt. Hinc *Pelasgus* à quibusdam auctoribus adpellatus est ipse Euander. Dionysii δ' περιηγητοῦ de Italiæ gentibus verba hæc sunt:

Τυρρηνοὶ μὲν πρῶτ', ὀπὶ δέσφισι φῦλα Πελασγῶν
Οἵ πρὶν Κυλλήνηθεν ἐφ' ἑσπερίην ἅλα βάντες,
Αὐτόθι νήσαντο σὺν ἀνδράσι Τυρρηνοῖσι.
Τοῖς δ' ἐπὶ μέρμερον ἔθνος ἀγαυῶν ἔσκε Λατίνων.

Hoc est: *Primi sunt Tyrrheni, post hos gentes Pelasgorum:*
Qui quondam à Cyllene occiduo mari profecti
Heic habitarunt cum Tyrrhenis.
Post eos sagax gens illustrium est Latinorum.

Ad

Ad hæc ita Dionysii scholiastes Eustathius: Ὅτι ὅτι Τυρρηνοῦ εἰσι Πελασγοὶ, οἱ ἀφ' πενίαν ἀποφοίδες μεθοικήσαντες ἦλθον πόλε κ) ἐκεῖ, μαχρὰν ἀπὸ τ κ) Ἀρκαδίαν Κυλλήνης, κ) ὑπήκοον, Εὐάνδρ ἡγεμόν ἡγησαμένε τ ἀποικίας αὐτοῖς· ὃς ὅτι ἄρχοντ Ἀρκαδίας Ἀγαμήδες τ Στυμφαλίν, θεοφορήτῳ μητρὶ, φασὶ, πεισθεὶς, κ) λαὸν ἀγείρας, κὴ ἐλθὼν ἐκεῖ, κατίπαυσε, τῷ Παλλαντείων ἱδρύσας, κ) λόφον ὀχυρωσάμεν, ὃν Παλλάντιον ὠνόμασεν ἀπὸ τ υἱ Παλλαντ, τ κὴ ἐπ' ἄκρ τ λόφ θάψαντ αὐτὸν ἐνθάδε, κ) τ Ἡρακλέα ξενίσαντ ἀπὸ τῶν τ Γηρυόνε ἐπανιόντα βοῶν. Hoc est: *Post Tyrrhenos ait esse Pelasgos; qui ob egestatem palantes coloniamque transducentes huc pervenerunt, longè ab Arcadicâ Cyllene: sedeùsque hèic locarunt; Euandro duce coloniæ exsistente. qui, principatum in Arcadiâ obtinente Agamede Stymphalio, à matre, divino numine, ut ferunt, adflatâ, monitus, collectâ manu huc profectus est; Panique templum constituit; & collem communivit, impositò ei nomine Pallantii, à Pallante filio: qui etiam mortuum ipsum in vertice collis sepelivit; ac Herculem hospitio excepit, ab Geryonis bobus revertentem.* Hæc, puto, à variis diversisque auctoribus habuisse Eustathium. nam Dionysius Halicarnassensis, loco suprà perscripto, disertè tradit, eos vocatos fuisse propriè *Pelasgos*, qui antiquissimis temporibus ex Arcadiâ in Hemoniam sive Thessaliam migraverint. atque ita alii etiam auctores, quos suprà lib. II cap. I citavi, *Pelasgos* è Thessaliâ deducunt. Cæterùm Dionysius Halicarnassensis dicto lib. I de Arcadibus loquens, quos Euander in Italiam ad Tiberis ripam deduxerit; Λέγουσ) δ', inquit, κ) γραμμάτων Ἑλληνικῶν χρῆσιν εἰς Ἰταλίαν πρῶτοι ἀφικόμενοι, νεωστὶ φανεῖσιν Ἀρκάσι. Id est: *Dicuntur etiam Græcarum literarum usum recèns Arcadicæ genti ostensum, primi in Italiam detulisse.* Tacitus Annal. lib. XI: *In Italiâ literas Etrusci ab Corinthio Damarato, Aborigines Arcade ab Euandro didicerunt.* Sex. Aurelius Victor, in libro de Origine gentis Romanæ: *Primus omnium Euander Italicos homines legere & scribere edocuit, literis partim quas ipse antè didicerat. idemque fruges, in Græciâ primùm inventas, ostendit: serendique usum edocuit; terræque excolendæ gratiâ primus boves in Italiâ junxit.* Hoc, ut suprà intelleximus, plerique *Saturno* tribuerunt; Aristoteles verò *Italo*. Sed de literis ita tradit Plinius lib. VII cap. LVI: *In Latium literas attulerunt Pelasgi.* Apud Virgilium Aeneid. lib. VIII Euander ita Aeneam adloquitur:

Gnatum exhortatur; ni, mixtus matre Sabellâ,
Hinc partem patriæ traheret.

In Sabino igitur agro duxit uxorem Euander. Servius ad Virgilii Γεωργικῶν lib. I: *Cincius & Cassius aiunt ab Euandro Faunum deum adpellatum.* Nempe *Panis*, Arcadici dei, sacra & cultum Euandrum in Italiam detulisse, ubi posteà *Faunus* dictus & *Silvanus* atque *Inuus*, jam anteà demonstratum est. Hunc Faunum in antiquissimo illo ac primo Latio inter Narem & Anienem amnem, qui posteà Sabinus ager dictus, primùm fuisse cultum, ex hoc Svetonii patet loco in Vitellii vitâ, cap. I: *Exstat Q. Eulogii ad Q. Vitellium, divi Augusti quæstorem, libellus, quo continetur, Vitellios Fauno, Aboriginum rege, ex Vitelliâ, quæ multis locis pro numine coleretur; ortos, toto Latio imperasse. horum residuam stirpem ex Sabinis transisse Romam.* Sed præcipuum omniumque validissimum documentum, quo probetur, Euandrum in Italiam venisse cum iis Pelasgis, qui apud *Cutiliam* urbem & lacum ab Aboriginibus in partem agrorum fuêre recepti, ex eo sumi potest, quòd heic quoque vetustissimum exstitit opidum *Palantium*. Dionysius dicto lib. I; ubi opida recensèt, quæ Aborigines habuerint in Reatino agro: Παλάντιον μὲν πόλε πρὸς τῇς ἑπτὰ σταδίοις ἀφεστὼς Ῥεάτε· *Palatium, XXV stadia disitum ab Reate.* Varro de Lingvâ Latinâ lib. IIII: de Romano Palatio loquens: *Palatium, quòd palantes cum Euandro venerunt. aut, quòd Palatini, qui & Aborigines, ex agro Reatino, qui adpellatur Palatium, ibi consederunt.* Hanc historiam Solinus cap. VIII per summum errorem mirificè invertit. De eodem urbis Romanæ Palatio loquens; *Palatium*, inquit, *nemo dubitaverit, quin Arcades habeat auctores. à quibus primùm Palantéum opidum conditum. quod aliquando Aborigines habitarunt. sed propter incommodum vicinæ paludis, quam præterfluens Tiberis fecerat, profecti Reate, postmodùm reliquerunt.* Imò heic in Reatino primùm habitabant agro, apud paludem, quam Velini lacus amnisque stagnantes effecerant aquæ. qui locus, ut suprà didicimus, à Pelasgis Aboriginibusque acceptum vocabulum ἀπὸ τ ἑλῶν, id est *à paludibus*, etiam Dionysii tempore *Velia* vocabatur. Ex hoc igitur agro Reatino *Latini*, id est, *Pelasgi* cum *Aboriginibus* profecti, ejectis ex vetustissi-

vetuſtiſſimâ urbe Româ Siculis, parteis eius in recordationem *priſcæ ſedis Palatium & Veliam* vocavêre. Varro loco præſcripto paullo pòſt: *Huic [Palatio] Germalum & Velias conjunxerunt.* Statim: *Veliæ unde eſſent, plureis accepi cauſas: in queis, quòd ibi paſtores Palatini ex ovibus, ante tonſuram inventam, vellere lanam ſint ſoliti.* Adeò ſcilicet omnes urbis ſuæ antiquirates in obſcuro fuêre Romanis. Verùm de his plura dicentur proximo hinc capite, in demonſtratione originis urbis Romæ. in præſens ſufficiat oſtendiſſe, & *Euandrum* cum *Pelaſgis* in hæc primùm veniſſe loca, & *Pelaſgos*, ab *Aboriginibus* in partem ſedium receptos, unà cum his à regionis nomine Latio dictos fuiſſe Latinos. Hinc aliis etiam auctoribus in Sabino agro memorantur *Pelaſgi*; iidemque in eo, quod poſteà inter Anienem mareque inferum fuit *Latium*. hinc item inter maiores ſeu conditores populi Romani fuêre connumerati. Varro Ruſticar. rer. lib. III cap. I: *Lingvâ priſcâ & in Græciâ Aeoles [&] Bœotii ſine adflatu vocant collis tebas; & in Sabinis, quò è Græciâ venerunt Pelaſgi, etiam nunc ita dicunt. cuius veſtigium in agro Sabino viâ Salariâ, non longè à Reate, milliarius clivus adpellatur Tebæ.* Plinius lib. III cap. V: *Latium antiquum à Tiberi Circeios usque ſervatum eſt millium paſſuum* L *longitudine. tam tenues primordio imperii fuêre radices. Colonis ſæpe mutatis, tenuêre alii aliis temporibus, Aborigines, Pelaſgi, Arcades, Siculi, Aurunci, Rutuli.* Columella Rer. ruſticar. lib. I cap. III: *Niſi aliter exiſtimamus diverſum Orbem genteis univerſas petiiſſe, relicto patrio ſolo; Achæos dico & Theros, Albanos quoque, nec minus Siculos; &, ut primordia noſtra contingam, Pelaſgos, Aborigines, Arcadas: quàm quia malos vicinos ferre non potuerant.*

At quamdiu primum illud inter Narem Amnemque Latium primi illi *Latini*, id eſt, conjuncti in unum corpus populi *Aborigines & Pelaſgi* tenuerint, incertum eſt. Cæterùm migrandi hinc, &, transgreſſo Aniene, ex reliquo etiam agro Siculos exigendi cauſam habuêre, non, quod *incommoda paludis*, ut innuit prædictus Solinus, in Reatino agro ferre non potuerint; ſed quia ipſi ab Sabinis, Opicâ gente, ut ſuprà lib. II cap. VIII oſtenſum, pellerentur. Dionyſius lib. II: Κάτων δ' πόρκιος πρώτην τῶν Σαβίνων οἴκησιν ἀποφαίνει χωρίδιον κώμην τινὰ καλουμένην Τετρίναν, ἀγχοῦ πόλεως Ἀμιτέρνης κειμένην· ἐξ ἧς ὁρμηθέντες ἅμα τοῖς Σαβίνοις, εἰς τὴν Ῥεατίνην ἐμβαλεῖν, Ἀβορίγινων τότε κατοικούντων, καὶ πόλιν αὐτῶν τὴν ὀπικίαν τῷ Σαβίνων πολέμῳ χειρωσαμένους κατασχεῖν· ὑπὸ δὲ Ῥεατίνης ὀπικίας ἀποσείλαντας ἄλλας τε πόλεις κλίσαι πολλὰς, ἐν αἷς οἰκεῖν αὐτόχθονας, καὶ δὴ καὶ τὰς περιοικομένας Κυρείτας. Hoc eſt: *Porcius Cato primam Sabinorum ſedem ait fuiſſe vicum quemdam Teſtrinam nomine, haud procul Amiternâ urbe ſitum. unde expeditione factâ, Sabinos Reatinum invaſiſſe agrum, Aboriginibus tunc habitatum: urbemque horum nobiliſſimam Cutilias armis occupaſſe. miſſi que è Reatino agro coloniis, inter alia opida compluria, ſed immunita, Cureis quoque condidiſſe.* Coacti igitur tunc fuêre *Aborigines* unà cum *Pelaſgis* id eſt, primi iſti *Latini*, novas quærere ſedeis. Proxima erat trans Anienem flumen, ex veteri illi Latio venientibus, *Roma* urbs, Siculorum haud dubiè caput; tum, quantum his agri reliquum erat, ab Aniene ad mare usque protenſum. *Romam* videntur primo loco occupaſſe. ſic quidpe Pompeius Feſtus: Sacrani *adpellati ſunt Reate orti: qui ex Septimontio Ligures Siculosque exegerunt. nam vere ſacro nati erant.* Non *Romam*, ſed *Septimontium* nominavit urbem, quia vulgaris apud Romanos tenebat opinio, *Romam* CCCC demum annis poſt bellum Troianum ab Aeneæ poſteris conditam eſſe: Siculi autem hinc pulſi fuerant ante id bellum. Eorumdem *Sacranorum* meminit quoque Virgilius fine libri VIII, his verſibus:

Ipſe inter primos præſtanti corpore Turnus
Vertitur.
Inſequitur nimbus peditum; clypeataque totis
Agmina denſantur campis; Argivaque pubes,
Auruncæque manus, Rutuli, veteresque Sicani,
Et Sacranæ acies, & picti ſcuta Labici:
Qui ſaltus, Tiberine, tuos, ſacrumque Numici
Litus arant, Rutulos exercent vomere colleis.

Ad hæc ita Servius: *Sacranæ acies. Dicunt, quemdam Corybantum veniſſe ad Italiam; & tenuiſſe loca, quæ Vrbi vicina ſunt. ex eo populos ducentes originem Sacranos adpellatos. nam ſacrati ſunt Matri deûm Corybantes.* Apud *Reate* quondam maximè cultam fuiſſe hanc deam, teſtatur Silius etiam poëta lib. VIII, his verbis:

—— *Magna-*

——— *Magnaque Reate dicatum*
Cœlicolûm matri.

Hæc igitur Servii longè probabilior fuerit sententia, quàm illæ Festi. ex qua sequeretur, sponte fuâ profectos ab Reate Aborigines sive Latinos occupasse Romam; non vi à Sabinis ejectos. A Româ porrò omnem invasêre reliquum Siculorum agrum ad mare usque: nomenque ei intulerunt à pristinâ inter Narem & Anienem sede LATII: quod perpetuò posteà, quoad *Romani* ipsi fuêre, hæc regio servavit. Siculi inde quò migraverint, inter alios auctores, quos in descriptione huius insulæ citamus, prædictus Dionysius ostendit lib. 1, his verbis: οἱ δὲ Σικελοὶ (ἐ γὰρ ἔτι αὐτόχθονες οἱ ἐν ταύτῃ ἦσαν ἀπὸ Πελασγῶν τινὰ καὶ Ἀβορίγινων πολεμούμενοι) πάντα καὶ γυναῖκας, καὶ χρημάτων ὅσα χρυσὸς ἢ ἄργυρος ἦν, ἀναστάντες ἀπῆλθον, μεθέντες αὐτοῖς ἅπασαν τὴν γῆν· πεζῇ δὲ διὰ τῆς ὀρεινῆς ἦλθον τὰ πρῶτα, καὶ διεξελθόντες ἅπασαν Ἰταλίαν τὴν κάτω, ἐπεὶ δὲ πανταχόθεν ἀπηλαύνοντο, σὺν χρόνῳ καταστάντες ἐπὶ τῷ πορθμῷ, καὶ φυλάξαντες καλὸν τὸ ῥοῦν, διὰ τῆς Ἰταλίας διέβησαν ἐπὶ τὴν ἐγγυτάτω νῆσον. Id est: *At Siculi, Pelasgis simul & Aboriginibus bello impares, liberis atque conjugibus cum auro & argento sublatis, totâ regione suâ eis cesserunt. versique per montana ad meridiem; & peragratâ omni inferiore Italiâ; quum undique pellerentur; tandem, paratis ad fretum ratibus, & observato secundo æstu, ex Italiâ trajecerunt in proximam insulam.* Atque hæc ferè sunt, quæ antiqui auctores, maximè verò Græcus scriptor Dionysius Halicarnassensis ex vetustissimorum Romanorum auctorum, Porcii Catonis, C. Sempronii, & complurium, ut ipse ait, aliorum monumentis de *Latinorum* origine & adpellatione adnotavit. Ac sanè originem genusque eorum quod attinet, præter alia validissima indicia, quæ hactenus allata sunt, vel una ipsa *lingua Latina* satis gravi firmoque fuerit documento, Græcam fuisse gentem *Oenotros*, sive *Aborigines*, qui posteà *Latini* dicti. quidpe illam diligentiùs si excutias; longè plurimam eius partem merè Græcis constare verbis vocabulisque deprehendas: quamquàm maior horum pars in tam novum modum atque formam sit detorta, uti origo eorum haud facilè, nisi altiùs rimantibus diligentiúsque, ut dixi, excutientibus, adpareat. id quod ipse Dionysius observavit, ad finem libri primi, hisce verbis: Ῥωμαῖοι δὲ φωνὴν μὲν οὔτ' ἄκρατον βάρβαρον, οὐδ' ἀπηρτισμένως Ἑλλάδα φθέγγονται, μικτὴν δέ τινα ἐξ ἀμφοῖν, ἧς ἐστιν ἡ πλείων Αἰολίς· τοῦτο μόνον δὲ πολλαχοῦ τῶν πολλῶν ἐπιμίξεων, τὸ μὴ πᾶσι τοῖς φθόγγοις ὀρθοεπεῖν. τὰ δ' ἄλλα, ὁπόσα γλῶτταί Ἑλληνικαί μιγνύμενα ἐστὶν, ὡς ἔχ' ἕκαστοι λύσεις τῶν ἀποικησάντων Δωριέων). ἐνταῦθα πρῶτον ἐξαμαρτόντες πρὸς φιλίαν ζῆν, ἰώμενα τὸν τύχῃ πολλῶν καὶ ἀγαθῶν ῥέοντα διδάσκαλον ἔχοντι τῶν καλῶν, οὐδ' ἀφ' ἑνὸς πρώτου ὡρέχθησαν τῆς Δημοκλείας, τὴν Καρχηδονίων καὶ Μακεδόνων ἐρχὼ καταλύσαντες· ἀλλ' ἐκ παντὸς ἐσωφρονίσθησαν χρόνου, βίον Ἑλληνα ζῶντες, καὶ οὐδὲν ἐκπεπιστερον ἐπιτηδεύσαντες πρὸς ἐρετὴν νυῦν, ἢ πρότερον. μυρία δ' εἰς τοῦτο λέγειν ἔχων, καὶ πολλοῖς τεκμηρίοις χρῆσθαι δυνάμενος, αὐδρῶν τε μαρτυρίας φέρειν οὐκ ἀξίων ἀπιστεῖσθαι, πάντα ἀναβάλλομαι ταῦτα εἰς τὴν περὶ τῆς πολιτείας αὐτῶν συγγραφησόμενον λόγον. Hoc est: *Sermone autem Romani utuntur nec prorsus barbaro, nec absolutè Græco: sed ex utroque mixto; accedente in plerisque ad proprietatem linguæ Aeolicæ; ex commercio tot admixtorum non omnia rectè efferentes vocabula. De cæterò, quæcumque sunt Græci generis indicia, ea magis, quàm ulli alii Græcorum coloni, retinent: ut qui non nunc primùm amicabilem & humanam vivendi rationem sequi cæperunt, ex quo eos prosperi successus, quibus adfluunt, honestos mores docuerunt; nec, postquàm animum adjecerunt ad transmarinum imperium, devictis Carthaginiensibus ac Macedonibus: sed, ex quo primùm in unam civitatem contracti sunt, moribus Græcis vixerunt; nihiloque studiosiores virtutis sunt nunc, quàm jam inde priscis temporibus fuerint. Id quum prolixâ oratione multisque documentis probare possim, virorumque gravium testimoniis confirmare; differre malo in librum, quem de eorum republicâ scribere instituí.* Haud dubiè ipsi Romani auctores, Cato, Sempronius, & complures illi alii, eisdem argumentis inducti, Græcam esse Latinos gentem, crediderunt. Dionysius autem de lingvâ eorum probè absolutéque judicare potuit: ut qui χρόνον ἐτῶν δύο καὶ ἕκοσι, ut ipse in præfatione operis testatur, id est, *annos* XXII, Romæ sub Augusto imperatore huius solius rei gratiâ egit, uti Δημοκλείτου τ' τῆς Ῥωμαϊκῆς ἀκουσθὼν, καὶ γραμμάτων ἐπιχωρίων λαβὼν ἐπιστήμην, id est, *Romanum sermonem literasque adsequutus*, eò certiora de rebus Romanis tradere posset. Ante Dionysium verò Tyrannio, Terentiæ, Ciceronis uxoris, libertus, inter alios libros scripsit etiam περὶ τῆς Ῥωμαϊκῆς διαλέκτου, ἥτι ἐστιν ἐκ τῆς Ἑλληνικῆς, id est, *de Romano sermone; eum à Græco esse ortum*; teste Suidâ.

LATINA *lingua origine Græca.*

Et aliquot sæculis post Dionysium Sex. Pompeius Festus ita tradit: *Romanos in libro* XI *Græcos adpellat Ennius, quum ait,*

Contendunt Græcos Graios memorare solent sos;
Quòd Græca lingua longos per temporis tractus
Gentibus Hesperiæ.

Non Romanos ait Græcè loquutos; quum Romulus, Vrbis conditor, verbis linguæ Latinæ loquutus sit: sed, quòd olim lingua Græcæ gentis fuerit eadem cum Latinâ, parum prolatione mutatâ. Hoc autem verum esse, indicat origo eius. quæ videtur quasi Græcæ usurpatio. Sed & LXXX haud ampliùs annis post Dionysium Plutarchus in Romulo; ubi varias adfert nominis *Talassii* explicationes: οἱ δὲ πλείους νομίζουσιν, ὧν ἐστὶ καὶ ὁ Γάϊος, παράκλησιν εἶναι καὶ παρακέλευσιν εἰς φιλεργίαν καὶ ἁλασίαν, ἅπερ τότε τοῖς Ἑλληνικοῖς ὀνόμασι τῶν Ἰταλικῶν ἐπικεχυμένων. Id est: *Plerique, inter quos Iuba est, adhortationem & incitationem ad laboris sedulitatem & lanificium* [hoc Græci ἁλασίαν vocant] *censent; nondum id temporis Italicis verbis cum Græcis confusis.* Servius in Virgilii Aeneid. lib. I: *Romulus autem Quirinus ideò dictus, vel, quòd hastâ utebatur, quæ Sabinorum linguâ curis dicitur; vel à κύριον, qui Græcè rex dicitur. constat autem Græcos fuisse Romanos.* Plutarchus in Camillo: de Româ loquens à Gallis captâ: Τῷ μὲν τοι πάθει καὶ τὸ ἀλώστως ἔοικεν ἀμυδρὰς ὀδοὺς εἰς τὴν Ἑλλάδα φήμη διελθεῖν· Ἡρακλείδης γὰρ ὁ Ποντικός, ἀπὸ πολὺ τῶν χρόνων ἐκείνων ὑστερήσας, ἐν τῷ περὶ ψυχῆς συγγράμματί φησιν, ἥκειν τὴν ἀπέρασι λόγον καταχθῆναι, ὡς στρατὸς ἐξ Ὑπερβορέων ἐλθὼν ἔξωθεν ἤρηκε πόλιν Ἑλληνίδα Ῥώμην, ἐκεῖ που καθ' ἡμᾶς περὶ τὴν μεγάλην θάλασσαν. Hoc est. *Hæc tamen captæ urbis calamitas obscuro rumore statim perlata in Græciam est. namque Heraclides Ponticus adfinis his temporibus, in libro de Animâ, adnunciatum ex occidente tradit, exercitum alienigenarum ex Hyperboreis progressum, Græcam urbem cepisse Romam, illo in tractu circa magnum mare sitam.* Festus iterum: *Latinè loqui à Latio dictum est. quæ loquutio adeò est versa, ut vix ulla pars eius maneat in notitiâ.* At alio loco à superiori sententiâ longè abire videtur, in his verbis: *Alumento pro Laumedonte à veteribus Romanis, nec dum adsuetis Græcæ linguæ dictum est. sic Melo, pro Nilo; Catamitus, pro Ganymede; Alphius pro Alphèo dicebatur.* Credo equidem, medio Romanæ gentis ævo pleraque illa externa nomina mirificè fuisse vulgari in usu detorta; donec posteà è Græcorum auctorum lectione ea recognoverint. Nec tamen mirari fas sit, in tantum dialecto suâ ab Græcorum idiomate abiviſse Latinam lingvam; quando & temporum, quibus in Italiâ fuerunt primi *Oenotri*, & regionum gentiumque, quas alias subinde atque alias à freto Siculo ad Tiberim usque peragraverunt, longinquitate plerorumque vocum formationes immutari necessum fuit; innumeris etiam gentium, quas transiverunt, maximè verò Oscorum sive Sabinorum atque Etruscorum, inter quos tandem confederunt, vocabulis adsumptis. Atque hinc factum, uti ipsi in Græciâ Græci non minùs Romanos, quàm alias omneis genteis, qui non Græci essent generis, *Barbaros* adpellarent. Plautus in Asinariâ:

——— Huic nomen Græcè Onagros est fabulæ
Demophilos scripsit: Marcus vortit Barbarè.
Asinariam vult esse; si per vos licet.

Et in Captiveis:

HEG. *Abi in malam rem ludis me.* ERG. *Ita me amabit sancta securitas*
Hegio, itaque suo me semper condecoret cognomine,
Vt ego vidi. HEG. *Meum gnatum?* ERG. *Tuum gnatum, & genium meum.*
HEG. *Et captivum illum Aulidensem?* ERG. Μὰ τὸν Ἀπόλλω. HEG. *Et servolum.*
Meum Stalagmum, meum qui natum surripuit? ERG. Νὴ τὼ Σώσιν.
HEG. *Iam diu?* ERG. Νὴ τὼ Φρυγιῶνα. HEG. *Videsis.* ERG. Νὴ τὼ Ἀλάτριον.
HEG. *Quid tu ber Barbaricas urbeis juras?* ERG. *Quia enim item asperæ*
Sunt, ut tuum victum antumabas esse.

Omnes Novi Latii erant urbes; ut infrà videbimus. Apud Livium lib. XXXI unus è Mace-

è Macedonum legatis in Aetolorum concilio ita peroratus contra Romanorum amicitiam atque fœdus: *Furor est, si alienigenæ homines, plus linguâ & moribus & legibus, quàm maris terrarumque spacio, discreti, hæc tenuerint, sperare quidquam eodem statu mansurum.* Mox: *Aetolos, Acarnanas, Macedonas, eiusdem linguæ homines leves ad tempus ortæ causæ disjungunt conjunguntque cum alienigenis. cum barbaris æternum omnibus Græcis bellum est, eritque. naturâ enim, quæ perpetua est, non mutabilibus in diem causis, hostes sunt.* Hæc magis hostiliter per odium atque iram ab hoste in hosteis dicta fuêre, quàm pro rei veritate. De linguâ tot audivimus testeis: de moribus etiam Dionysium, gravissimum auctorem. Sacra verò utriusque gentis si curatiùs introspicias, nihil fermè habuêre Romani, nisi quod ipsis commune fuerit cum Græcis. unum atque alterum exemplum ex uno Macrobio produxisse, sufficiat. is Saturnalior. lib. I cap. VII ita scribit: *Sed ex his causis, quæ de origine huius festi relata sunt, adparet, Saturnalia vetustiora esse urbe Romanâ: adeò, ut, ante Romam in Græciâ hoc solenne cœpisse, L. Accius in Annalibus suis referat his versibus:*

Maxima pars Graiûm Saturno, & maximè Athenæ
Conficiunt sacra; quæ Cronia esse iterantur ab illis.
Huncque diem celebrant. per agros urbeisque ferè omnes
Exercent læti: famulosque procurant
Quisque suos. nostrique itidem. & mos traditus illinc
Iste, ut cum dominis famuli epulentur ibidem.

Et eiusdem libri cap. XVI: *Latii verò veteres incolæ morem Græciæ, in numerandis mensium diebus sequuti sunt: ut, retroversùm cedente numero, ab augmento in diminutionem computatio resoluta desineret. ita enim nos decimum diem, deinde nonum, & posteà octavum, dicimus ut Athenienses δεκάτην καὶ ἐνάτην φθίνοντα soliti dicere.* Apud Dionysium lib. III ita in concilio Tullum Hostilium, Romanorum regem, adloquitur Fufetius, Albanorum dux: Ἡμεῖς, ὦ Τύλλε, καὶ τὴν ἄλλης ἀρχὴν ἄξιοι ἐσμὲν ἱπαλίας, ὅτι ἔθνος Ἑλληνικὸν καὶ μέγιστον τῶν κατοικούντων τοῦδε τοῦ γένους παρέχομεν· τοῦ δὲ Λατίνων ἔθνους, εἰ μηδενὸς τῶν ἄλλων ἐθνῶν, ἡγεῖσθαι δικαίως ἂν ἄρα αὐτὰς, ἀλλὰ κατὰ τὸν κοινὸν ἀνθρώπων νόμον, ὃν ἡ φύσις ἔδωκεν ἅπασι, τῶν ἐκγόνων ἄρχειν τοὺς προγόνους. * — * · Οὔτε τὸ μὲν Ἀλβανῶν γένος, οἷον ὂν πρὶν τῶν κτιζόντων τὴν πόλιν, τοσοῦτον ἕως τῶν καθ' ἡμᾶς χρόνων διαμένει· καὶ οὐκ ἂν ἔχοι τις ἀποδεῖξαι φῦλον ἀνθρώπων οὐδὲν, ἔξω τοῦ Ἑλληνικοῦ τε καὶ τοῦ Λατίνων, ὦ τῆς πολιτείας μεταδεδώκαμεν. ὑμεῖς δὲ τὴν ἀκέραιον τοῦ παρ' ἑαυτοῖς πολιτεύματος διεφθείρκατε, Τυρρηνούς τε ὑποδεξάμενοι καὶ Σαβίνους, καὶ ἄλλους ἴνας αὐτόχθονας καὶ πλανήτας βαρβάρους πάνυ πολλούς· ὥστε ὀλίγον τὸ γνήσιον ὑμῶν ἐστιν, ὅσον ἀφ' ἡμῶν ὡρμίσθη, μᾶλλον δὲ πολλοστὸν τοῦ ἐπείκλητε τε καὶ ἀλλοφύλου. Εἰ δὲ ἡμεῖς προχωρήσαιμεν ὑμῖν τῆς ἀρχῆς, τὸ νόθον ἄρξει τοῦ γνησίου, καὶ τὸ βάρβαρον τοῦ Ἑλληνικοῦ, καὶ τὸ ἐπείσακτον τοῦ αὐτόχθονος. Hoc est: *Nobis, Tulle, totius Italiæ imperium debetur; qui, à Græcis orti, nulli in hac terrâ genti secundi sumus magnitudine. quòd si non cæterarum gentium, certè Latinorum penes nos erit imperium jure optimo: nimirum, quod natura apud omneis ex æquo genteis valere voluit; ut generis auctores præsint suæ soboli.* Mox: *Albanorum genus quale olim sub urbis conditoribus fuit, tale ad nostra usque tempora permansit. nec ulla ostendi hominum natio potest, præter Græcos atque Latinos, quæ jus civitatis apud nos adepta sit. at vos exquisitum purumque reipublicæ genus apud vos corrupistis, Etruscis ac Sabinis in eam receptis, tum aliis per multis barbaris sine lare vagantibus. ita, uti germani genuique genuique generis nostri exiguus apud vos sit numerus: multipliciter superantibus exteris & adscititiis. Itaque, si vobis principatum cesserimus, germanis præerunt supposititii, Græcanicis barbari, indigenis adscititii.* Quum à *Barbarorum* nomine nulli eximerentur mortales Græcis, nisi unæ Græcæ gentes: heic verò *Barbari* opponuntur Latinis; certum est, hos quoque sub Græcorum genere comprehendi voluisse Fufetium: distinctionemque heic ab eo factam inter Latinos, Oenotrorum posteros, antiquitus è Græciâ ortos, & Græcos, qui post conditam Albam in jus civitatis recepti fuerint. Patet hoc quàm clarissimè lib. IIII ex Servii Tullii regis oratione. Ταῦτα δὴ, inquit Dionysius, καὶ τὰ ὅμοια τούτοις ὑποδιδοὺς λαβὼν, προθυμίαν ἔσχε καὶ αὐτὸς τὰς πόλεις τῶν Λατίνων ἡνίους συνέχειν καὶ συνάγειν, ἵνα μὴ συμπίπτωσι καὶ πολεμῶσι πρὸς ἀλλήλας· ὑπὸ τῶν προσοικούντων βαρβάρων τὴν ἐλευθερίαν ἀφαιρεθῶσι. γνοὺς δὲ ταῦτα, οὐκ ἀρχικὸς ἀνδρας ἐξ ἑκάστης πόλεως συνεκάλει, πρὶν μεγάλων καὶ κοινῶν φήσας πραγμάτων συμβούλους αὐτοὺς συγκαλεῖν. * · Ταῦτ' ἐδίδασκεν αὐτοῖς, ὡς χρὴ Λατίνους μὲν τοὺς προσοι-

περοίκων ἄρχειν, καὶ τὰ δικαία παρέχειν Ἕλλωνας ὄντας βαρβάροις. * — *. Ταῦτα διεξιὼν τε καὶ ὅσα ἄλλα ἔξεστιν ἀγαθὰ βουλευτὴν ἐγκαλασῆσαι μέλλοντα, πάντας ἔπεισε σφᾶς ἐν τῷ συνεδρίῳ παρόντας. καὶ μὴν τάτε κατασκευάζειν ἐξ ὧν ἅπασιν συνώκησαν αἱ πόλεις χρημάτων τὸν τῆς Ἀρτέμιδος ναὸν, ἢ ὅτι ἐν μέσῳ τῆς Ῥώμης λόφων ἱδρυμένον, Αὐεντίνου. καὶ σφᾶς νόμους συνέγραψε τοῖς πόλεσι πρὸς ἀλλήλας, καὶ τάλλα πρὸς τὸν ἑορτὸν ἐς πανήγυριν, ὃν Πανελλήνιον καλοῦσι τόπον, ἔθαζεν. ἵνα δὲ μηδὲν εἰς χρόνου αὐτὰς ἀφανίσῃ, σήλην καταστησάμενος χαλκῆν, ἔγραψεν ἐν αὐτῇ ἅπερ τε δόξαντα τοῖς συνέδροις καὶ τὰς μεταλλαγὰς τῆς συνόδου πόλεως. αὕτη διέμενεν ἡ σήλη μέχρι τῆς ἐμῆς ἡλικίας, ἐν τῷ τῆς Ἀρτέμιδος ἱερῷ κείμενη, γράμμασιν ἔχουσα χαρακτῆρας Ἑλληνικῶν, οἷς τὸ παλαιὸν ἡ Ἑλλὰς ἐχρᾶτο. ὁ καὶ αὐτὸς ποιήσειεν ἂν τις ἐν μικρὸν τεκμήριον δὲ μὴ βαρβάρους εἶναι τοὺς οἰκίσαντας τὴν Ῥώμην. ἐπεὶ γὰρ αὖ Ἑλληνικοῖς ἐχρῶντο γράμμασιν ὄντες βάρβαροι. Id est: *Horum & his similium exemplis sequutus Tullius, animum & ipsi adjecit ad constituendum velut unum corpus ex Latinorum populis: ne, intestinis bellis & dissidiis debilitati, subjugarentur à finitimis barbaris. Id postquàm apud se statuit; optimates convocavit è singulis urbibus; denuncians, se consultaturum cum eis de magnis rebus, & ad communem utilitatem pertinentibus.* Mox: *Atque ita docebat eos, oportere Latinos finitimis imperare, juraque reddere; nimirum Græcos barbaris.* Exiguo pòst: *Hæc & alia multa commoda proponens, quæ consequerentur, si communem curiam Romæ statuerent; omnibus persvasit, qui tum in consessu aderant. Collatis deinde opidatim pecuniis, Dianæ templum ædificavit in eminentissimo urbis tumulo Aventino: & fœderis leges conscripsit civitatibus; ritusque celebrandi festi & fori constituit. &, ne ullâ injuriâ temporum abolerentur; in æreâ columnâ incidit decreta concilii civitatesque eius conventus participes. Ea columna usque ad meam ætatem permansit, in templo Dianæ posita, literarum characteribus inscripta Græcanicis, qualibus olim utebatur Græcia. quod & ipsum haud leve argumentum est, Romæ conditores non fuisse barbaros. numquàm enim usi fuissent Græcis literis, si fuissent barbari.* Hinc & illud Plinii lib. VII cap. LVI: *In Latium literas attulerunt Pelasgi.* Et cap. LVIII: *Veteres Græcas fuisse easdem penè, quæ nunc sunt Latinæ, indicio erit Delphica tabula antiqui æris, quæ est hodiè in Palatio, dono principum Minervæ dicata in bibliothecâ, cum inscriptione tali:* Ναυσικράτης Τισαμένου Ἀθηναῖος Κόρᾳ καὶ Ἀθηνᾷ ἀνέθηκεν. [Id est: *Nausicrates, Tisameni filius, Atheniensis, Cereri atque Minervæ dedicavit.*] Tacitus prædicto Annal. lib. XI: *In Italiâ Etrusci ab Corinthio Damarato, Aborigines Arcade ab Euandro didicerunt literas. & formæ literis Latinis, quæ veterrimis Græcorum.* Verùm, *Romanorum* omniumque *Latinorum* genus è Græciâ fuisse ortum, satis hactenus abundéque comprobatum est. De cætero tempus migrationis *Oenotrorum* ex Arcadiâ in Italiam ostendit Dionysius suprà citato lib. I his verbis: Πρῶτοι Ἑλλήνων οἱ Ἀρκάδες, περαιωθέντες τὸν Ἰόνιον κόλπον, ᾤκησαν Ἰταλίαν, ἀγόντων αὐτὸς Οἰνώτρου, τοῦ Λυκάονος· οὗ δὲ πέμπτου ἀπὸ τε Αἰζέως καὶ Φορωνέως, τῶν πρώτων ἐν Πελοποννήσῳ διωασθέντων. Φορωνέως μὲν γὰρ Νιόβη γίνεται· ταύτης δὲ υἱὸς καὶ Διὸς, ὡς λέγεται, Πελασγός. Αἰζέως δὲ υἱὸς Λυκάων· τούτου δὲ Δηϊάνειρα θυγάτηρ· ἐκ δὲ Δηϊανείρας καὶ Πελασγοῦ Λυκάων ἕτερος· τούτου δὲ Οἴνωτρος, ἐπακμάσας γενεαῖς πρότερον τῶν ἐπὶ Τροίαν στρατευσάντων. Ὁ μὲν δὴ χρόνος, ἐν ᾧ τὴν ἀποικίαν ἔστειλαν Ἕλληνες εἰς Ἰταλίαν, ἔτος οὗ. ἀπανέστη δὲ τῆς Ἑλλάδος Οἴνωτρος, οὐκ ἀρκούμενος τῇ μοίρᾳ. δύο γὰρ καὶ ἔκτον πρὸ ἦν Λυκάονι γενεαὶ, εἰς τοσούτους ἔδει κληρους νεμηθῆναι τὴν Ἀρκάδων χώραν. ταύτης μὲν δὴ τὰς αἰτίας ἕνεκα Πελοποννησίων Οἴνωτρος ἐκλιπὼν, καὶ καταστασιάσας ναυτικὸν, διαίρει τὸν Ἰόνιον πάντα, καὶ σὺν αὐτῷ Πευκέτιος, τῶν ἀδελφῶν εἷς. Εἶπετο δὲ αὐτοῖς τοῦτε οἰκεῖος λαὸς συχνὸς, (πολυανθρωπον γὰρ δὴ τοῦτο λέγεται τὸ ἔθνος κατ' ἀρχὰς γενέσθαι.) καὶ τῶν ἄλλων Ἑλλήνων ὅσοι χώραν εἶχον ἐλάττω τῆς ἱκανῆς. Πευκέτιος μὲν οὖν, ἔνθα τὸ πρῶτον ὥρμισαντο τῆς Ἰταλίας, ὑπὲρ ἄκρας Ἰαπυγίας ἐκβιβάσας τὸν λεὼν, αὐτὸς καθιδρύεται· καὶ ἀπ' αὐτοῦ οἱ πρὸ ταύτης τὴν χώραν οἰκήσαντες Πευκέτιοι ἐκλήθησαν. Οἴνωτρος δὲ τὸν πλεῖον ἔρατος μοῖραν ἀγόμενος, εἰς τὸν ἔσπερον ἀφικνεῖται κόλπον, τὸν ἀπὸ τῶν ἑσπερίων μερῶν πρὸς τὴν Ἰταλίαν ἀναχεόμενον, ὃς τότε Αὐσονίου ἀπὸ τῶν προσοικούντων Αὐσόνων ἐλέγετο. * Ἐκαλεῖτο δὲ ἡ τε χώρα πᾶσα πολλὴ οὖσα, ὅσον κατέχειν, Οἰνωτρία, καὶ οἱ ἄνθρωποι πάντες, ὅσων ἦρξεν, Οἰνωτροι. Hoc est: *Primi Græcorum Arcades, trajecto sinu Ionio, domicilium in Italiâ statuerunt; deducti ab Oenotro, Lycaonis filio. is quintus fuit ab Aezéo & Phoroneo, primis Peloponnesi principibus. nam è Phoroneo genita est Niobe: ex hac & Iove, ut fertur, natus Pelasgus. Aezéi verò filius fuit Lycaon: & huius filia Deianira. ex Deianirâ & Pelasgo prognatus est alter Lycaon: cuius Oenotrus fuit filius, XVII ætatibus antè, quàm apud Troiam bellatum est. Et tempus quidem hoc est emisse à Græciâ in Italiam coloniæ. migravit*

gravit autem Oenotrus è Græciâ, non contentus portione patrimonii sui. quam enim forent Lycaoni XXII *filii; opus erat in totidem sorteis dividi Arcadiam. Hanc ob causam Oenotrus, relictâ Peloponneso, classeque paratâ, trajecit mare Ionium; unáque cum ipso Peucetius, unus è fratrum numero: comitantibus eos bonâ parte popularium. aiunt quidpe hanc gentem olim fuisse frequentissimam. tum & alii Græci illis sese adjunxerunt; quibus non sufficiebat ager proprius. Cæterùm, Peucetius, quò primùm adpulerunt in Italiam, ad Iapygium promontorium suis expositis, sedem ibi fixit: & ab eo horum locorum incolæ adpellati sunt Peucetii. Oenotrus verò cum maiore parte exercitus in alterum sinum pervênit; qui adluit occidentale Italiæ latus. is tunc ab adcolentibus Ausonibus dicebatur Auso-*
10 *nius.* Mox posteà: *Id igitur totum, quantum agri obsedit (fuit autem haud exiguum) Oenotria vocata est; Oenotrique regionis eius homines.* Comprehensam fuisse hanc ab initio intra isthmum Lametini Scylleticique sinuum, quorum hic nunc vulgò *Golfo di Squillaci*, ille *Golfo di S. Eufemia* dicitur; suprà lib. I cap. I ostensum est. incolebant ante Oenotrorum adventum cùm hanc oram, tùm & aliàs huic cohærenteis terras versùs interiora Italiæ *Ausones:* quibus pulsis, tandem ad alterum protulerunt Oenotri Oenotriam suam isthmum, qui erat inter Tarentum opidum & Pæstanum sinum vulgò nunc *Golfo di Salerno* dictum; ut ibidem docui. In hac igitur Oenotriâ terrâ quàm diu subsstiterint, quantoque temporis spacio expeditionem hinc in Reatinum usque agrum reliquamque regionem quæ posteà Sabinorum facta
20 est confecerint, perquàm difficile dispectu est: in tantum auctores antiqui in horum temporum chronologiâ inter se discrepant. Aetates XVII secundùm Dionysii computationem esse annos CCCCLVIIII, suprà hoc capite ostendimus. Oenotri igitur circa annum à condito Orbe terrarum ↀↃↃↃCCC, ante natum Iesum ↀↃↃCI, in Italiam migrarunt. Porrò idem auctor, ut suprà relatum, tradit, *Pelasgos* hoc nominis primùm accepisse à rege suo *Pelasgo, Iovis & Niobes, filiæ Phoronei, filio*; scilicet prædicti Lycaonis patre, Oenotri avo. Sub idem igitur fermè sæculum & *Pelasgorum* gens constituta est, & *Oenotrorum* colonia in Italiam deducta. At sextâ demum ætate pòst, relictâ Peloponneso, migrasse Pelasgos in Thessaliam, ait Dionysius. ubi v ætates postquàm exegissent, circa sextam rursùs ætatem pulsos inde fuisse à Cu-
30 retibus & Lelegibus, duce Deucalione, Promethei filio. pulsorum maximam partem primùm Dodonam, mox inde in Italiam ad Padi ostia, atque hinc in Reatinum agrum ad Aborigines perveniss: quibus posteà junctos, unà cum ipsis fuisse *Latinos* adpellatos, paullo antè ostendimus. Deucalionis tempestate Pelasgos in Italiam venisse, Diodorus quoque lib. XIIII ex vetustiorum monumentis tradit. De campis Italiæ inter Alpeis Apenninumque circa Padum sitis loqnens: Τινὲς δέ φασιν, inquit, Πελασγὸς, πρὸ τῶν Τρωϊκῶν ἐκ Θετταλίας φυγόντας τὴν ὑπὸ Δευκαλίωνα λοιμὸν καὶ κλυσμὸν, ἐν τούτῳ τῷ τόπῳ κατοικῆσαι. Id est: *Quidam autem aiunt Pelasgos, ante belli Troiani tempora diluvium Deucalionis è Thessaliâ fugienteis, in hic locis consedisse.* Hunc *Deucalionem* patremque eius *Promethea* plerique Chronologi in Cecropis Cranai-
40 que Athenienssium regum ætatem conferunt. apud Clementem verò Alexandrinum Strommate I vetusti cuiusdam auctoris chronographion per certa quædam intervalla ab inundatione Deucalionis ad primam usque Olympiadem annos colligit ↀCCXXXVII. unde inundatio illa sub Cecrope rege, anno à condito terrarum Orbe ↀↃCↃCCCCXXXVII fuisse deprehenditur. Ab hoc anno ad bellum usque Troianum anni computantur CCCXX. hos à suprà dictis annis CCCCLVIIII, quibus Oenotri ante idem bellum in Italiam venisse traduntur, si demas; CXXXVIII annis post Oenotros Pelasgi in Italiam adpulisse inveniuntur. Tot igitur circiter annorum spacio Oenotri & in primâ illâ ad fretum Siculum Oenotriâ hæserunt; & tandem per dimidium totius Italiæ, quà longa est, intervallum in Reatinum usque agrum
50 pervenerunt: Porrò, quo temporis progressu, quibusque intervallis, è dicto Reatino agro unà cum Pelasgis profecti, Siculos primùm ad Anienem usque amnem sedibus suis ejecerint; deinde verò, quum ipsi à novâ Sabinorum gente, ex Opicis profectâ, hinc pellerentur, reliquum Siculorum agrum ab Aniene ad mare usque obsederint, nusquàm dispicio: nisi quòd Dionysius eodem lib. I ita tradit: τὸ μὲν οὖν Σικελικὸν γένος ἔτως ἐξέλιπεν Ἰταλίαν ὡς μὲν Ἑλλάνικος ὁ Λέσβιός φησι, τρίτην γενεᾷ πρὸ τῶν Τρωϊκῶν· ὡς δὲ Φίλιστος ὁ Συρακούσιος ἔγραψε, χρόνῳ μὲν τῆς διαβάσεως ὕστερον, οὐδοηκοστὸν πρὸ τοῦ Τρωϊκοῦ πολέμου. Id est: *Atque ita Siculorum gens reliquit Ita-*

liam; ut Hellanicus Lesbius auctor est, ante bellum Troianum ætate III. *ut verò Philistus Syracusanus tradidit, trajecerunt anno* LXXX *ante dictum bellum.* Ætates III continent annos LXXXI. A suprà dicto diluvii anno ad octagesimum ante bellum Troianum annum numerantur anni CCXL: intra quod temporis spacium *Aborigines* cum *Pelasgis*, id est *Latini*, res contra Siculos gesserunt; donec tandem his omnino pulsis, intra Anienem & mare inferum quieti consederunt in *Latio* suo.

Fines nunc igitur etiam huius *Latii* monstrentur. De his ita tradit Dionysius dicto lib. I: Τὴν ἡγεμόνα γῆς ἁπάσης πόλιν, ἣν νῦν κατοικοῦσι Ῥωμαῖοι, παλαιότατον τῶν μνημονευομένων λέγεται καθέξειν βάρβαροι Σικελοὶ, ἔθνος αὐθιγενές. χρόνῳ δ' ὕστερον Ἀβοριγῖνες αὐτὴν ἐξαναστήσαντες, πολέμῳ μακρῷ δὴ ἔχοντας ἀφελόμενοι· οἱ τὸ μὲν πρότερον ἐπὶ τῆς ὀρείας ᾤκουν αὐθ' ὑψηλῶν κορυφῶν καὶ ἀπορράδες· ἐπειδὴ Πελασγοί τε καὶ τῶν ἄλλων Ἑλλήνων τινὲς συναμιχθέντες αὐτοῖς σωφρονεῖν ἔδοξαν καὶ πρὸς τοὺς ὁμοτίμους πολέμους, τὸ Σικελικὸν ἔθνος ἀπανασπάσαντες ἐκ τῆς, πόλεις ἐβεβάλοντο συχνὰς, καὶ παρεσκεύασαν ὑπήκοον αὐτοῖς ἡγεμόσι πᾶσιν, ὅσῳ ἐρίζουσι πλῶμοι λίμνης καὶ Τίβεριος. καὶ διέμειναν ἐπὶ τὰ αὐτῆς οἰκήσεως, οὐκέτι πρὸς ἑτέρων ἐξελαθέντες, ὀνομάτων ἀλλαγῆς αὐτῶν οἱ αὐτοὶ ἄνθρωποι προσαγορεύόμενοι· μέχρι μὲν δὴ τοῦ Τρωϊκοῦ πολέμου τὴν ἀρχαίαν τῶν Ἀβοριγίνων ὀνομασίαν ἐπισώζοντες ἐπὶ ἡ Λατίνου βασιλέως, ὃς κατὰ τὸν Ἰλιακὸν πόλεμον ἐδυνάστευσε, Λατῖνοι δεδήμοι καλοῦνται. Hoc est: *Vrbem terræ marisque totius principem, quam nunc Romani habitant, primi in omni memoriâ tenuisse feruntur barbari Siculi. posteà temporis, pulsis longo bello priscis cultoribus, Aborigines eam occuparunt. qui primùm in montibus passim sine mœnibus vicatim habitaverunt. sed postquàm Pelasgi & cæterorum Græcorum nonnulli, ipsis admisti, opem in debellandis finitimis attulerunt: exactâ inde Siculorum gente, opida crebra communiverunt: subigeruntque sibi totum id terrarum spacium, quod Lirim Tiberimque amneis interjacet. Eas sedeis deinde perpetuò tenuit idem genus hominum; mutatis tantùm adpellationibus; vetus Aboriginum nomen servantes ad Troiani usque belli tempora; quando à Latino rege denominati sunt Latini.* Ergo jam inde à principio, postquàm Siculi totâ hac regione expulsi, Latii fines extensi fuêre ab Tiberi usque ad Lirim amnem? Idem equidem Virgilius quoque innuit Aeneid lib. VII, his verbis:

Quis Latio antiquo fuerit status, advena classem
Quum primùm Ausoniis exercitus adpulit oris,
Expediam. ———
——— *Rex arva Latinus & urbeis*
Iam senior longâ placidas in pace regebat.
Hunc Fauno & nymphâ genitum Laurente Maricâ,
Accipimus.

Adhæc sic Servius: *Maricam dixit uxorem fuisse Fauni; quæ est dea litoris Minturnensium, juxta Lirim fluvium. Quòd si voluerimus accipere uxorem Fauni Maricam, non procedit. dii enim τοπικοὶ, id est locales, ad alias regiones numquàm transeunt. Sed potest dictum esse per poëticam licentiam, Laurente Maricâ; quum sit Minturnensis.* Fuisse *Maricæ* lucum atque cultum apud Lirim amnem, infrà suo loco videbimus. Cæterùm quum regia sedes Latinorum fuerit *Laurentum*, haud ita procul ab Tiberi flumine; totum inde Latium *Laurentis agri* cognomen quorumdam hominum usurpatione habuit. unde illud etiam Eusebii in Chron. lib. I: Πρῶτον φασι Πείκων, υἱὸν Κρόνου, βασιλεῦσαι χώρας Λαυρεντικῆς λζ ἔτη. εἶναι δὲ τὴν χώραν ἕως τῆς νῦν Ῥώμης πόλεως. Id est: *Primum ferunt Picum, Saturni filium, regnasse annis* XXXVII *in Laurenti agro; qui ad urbem usque, quæ nunc Roma vocatur, extendebatur.* Hinc igitur Virgilius, quum unà cum Dionysio *antiquum* illud *Latium* ad *Lirim* usque poëticâ licentiâ extensum fuisse vellet; *Maricam deam*, quæ apud hunc amnem colebatur, *Laurentem* adpellavit. LATIVM inter Anienem & mare fuisse duplex; alterum PRISCVM sive VETVS & ANTIQVVM, à Tiberi ad Circæum usque promontorium, quod nunc vulgò *Monte Circelli* vocatur; alterum, NOVVM, quod præter Latinorum populos alias quoque, quas mox indicabo, genteis complectebatur, ad Lirim usque amnem; ex compluribus disco auctoribus. Dionysius eodem lib. I: Κατὰ δὲ τὸν χρόνον τοῦτον Τρῶες, οἱ σὺν Αἰνείᾳ διαφυγόντες ἐξ Ἰλίου τὴν πόλεως ἅλωσιν, καταίσχουσιν εἰς Λαύρεντον. αἰγιαλὸν Ἀβορίγινων. λαβόντες δὲ παρὰ Ἀβορίγινων χωρίον εἰς οἴκησιν, καὶ ὅσα ἠξίουν, πολίζουσι μικρὸν ὑποχώριον ὑπὸ θαλάττης, ὑπὸ λόφῳ τινὶ, λακίνιον ὄνομα τῇ πάλαι θέμενοι. ὀλίγῳ δὲ ὕστερον χρόνῳ τὴν ἀρχαίαν ἀλλάξαντες ὀνομασίαν, ἅμα τοῖς Ἀβορίγινοι ὑπὸ τοῦ βασιλέως τὴν χώραν Λατῖνοι ὠνομάσθησαν. καὶ μοναυκίαν ἐκ τοῦ

Λακινίου,

Λαυϊνίᾳ, κτισῆ μ῎ετ᾽ Ἰπιχωρίων μείζονα πεβάλλον) πόλιν, ἰῶ Ἀ῎λβα ὀκάλεσαν, ἐξ ἧς ἀποικισθέντες πολλὰς μὲν καὶ ἄλλας πόλεις ἔκτισαν τ῎ κληθέντων Περσικῶν Λατίνων. Id est: *Per id tempus Troiani, cum Aeneâ post captum Ilium profugi, adpulerunt Laurentum, Aboriginum litus. acceptoque ab Aboriginibus ad habitandum agro, & quidquid petierunt: opidum condiderunt haud procul à mari in quodam colle, nomine Lavinium. Haud ita multo post, vetere adpellatione mutatâ, unà cum Aboriginibus à regionis rege nuncupati sunt Latini. & relicto Lavinio, unà cum indigenis maiorem muniverunt urbem, quam Albam vocarunt. ex qua & alia compluria opida deduxerunt, quæ Priscorum Latinorum adpellantur.* Livius lib. I: *Revocatis deinde ad concilium Latinis, Tarquinius ita verba fecit: Posse quidem se vetusto* 10 *jure agere: quòd, cum omnes Latini ab Albanâ oriundi sint, in eodem fœdere teneantur, quo ab Tullo res omnis Albana cum colonis suis in Romanum cesserit imperium.* Dionysius lib. VI: Ὅπ῎ τ῎ Ἀ῎λβανῶν πόλιν, ἐξ ἧς αὐτοὶ ἀπῳκίσθησαν, ἁ Λατίνων πᾶσαι πόλις, ἐν ἡμέρᾳ καθελεῖν ἔγνωσαν μιᾷ. Id est: *Quod Albanorum urbem, unde ipsi omneisque Latinorum urbes deductæ, unâ die delendum decreverint.* Et lib. III: Ἡ μὲν δὴ τ῎ Ἀ῎λβανῶν πόλις, ἡ τὰς τελάκοντα Λατίνων ἀποικίσασα πόλις, ἅπασι τ῎ χρόνον ἡγεμὼν ἔθνεσι, μέχρι τ῎ ἐσχάτης ἀποικίσεως καθυπερθέσθαι, ἔρημος εἰς τόνδε χρόνον διαμένει. Id est: *Sic Alba, xxx opidorum Latinorum mater, & gentis eius toto illo tempore princeps, à novissimâ suâ coloniâ solo æquata, hodiéque deserta permanet.* Et eodem libro posteà: Αἱ δὲ τῶν Λατίνων πόλις Ῥωμαίοις ἐφίεντο τότε πρῶτον διάφοροι, ὅτι ἀξιοῦσαι καλεσκαμμένης τ῎ Ἀ῎λβανῶν πόλεως τῆς ἀνηρη- 20 κυίαν αὐτὴν Ῥωμαίοις τ῎ ἡγεμονίαν πεδιδοῦναι. ἐτῶν γὰρ διακοσιοστῶν πεντεκαιδέκατον μ῎ετ᾽ ἀφανισμὸν τ῎ Ἀ῎λβας, πέμψασ᾽ ἀποστόλους ὁ τ῎ Ῥωμαίων βασιλεὺς εἰς τὰς ἀποίκους τι ἁ Ἀλβανίδος αὐτῆς τελάκοντα πόλις ἠξίου πείθεσθαι τοῖς ὑπὸ Ῥωμαίων διπλασιασθεῖσιν, ὡς πεφληφότων αὐτῶν ἅμα τῆς ἄλλοις, οἷς εἶχον Ἀ῎λβανοὶ, ἁ τὴν ἡγεμονίαν τοῦ Λατίνων ἔθνους. Hoc est: *Latinæ verò urbes tum primùm à Romanis dissidere cœperunt: quòd, Albâ dirutâ, eversoribus eius Romanis imperium tradere recusarent. anno quidpe post illius excidium XV rex Romanus, dimissis per XXX eius colonias legatis, postulabat, ut imperata facerent: quòd ad victores cum cæteris Albanorum rebus transisset etiam Latinæ gentis imperium.* Tacitus Annal. lib. IIII, in rebus Tiberii imperatoris: *Quamquàm insideret urbem proprius miles; III urbanæ, VIIII prætoriæ cohortes; Etruriâ fermè Vmbriâque dilectæ, aut vetere Latio & colo-* 30 *niis antiquitus Romanis.* Hactenus auctores id intellexêre *Priscum Latium*, quod Tarquinius Superbus, debellatâ proximâ parte Volscorum gentis, capiteque eorum *Sueſsâ Pometiâ*, super Circæum sitâ promontorium, occupatâ, coloniâque Circeios deductâ, ad dictum usque promontorium produxit. Hinc Plinius lib. III cap. V: *Latium antiquum à Tiberi Circeios usque servatum est, millium passuum L longitudine. tam tennes primordio imperii fuêre radices. Coloniis sæpè mutatis, tenuêre alii aliis temporibus, Aborigines, Pelasgi, Arcades, Siculi, Aurunci, Rutuli: & ultra Circeios, Volsci, Osci, Ausones. unde nomen modò Latii processit ad Lirim amnem.* Satis, mehercle, turbatoriè & confusè, ne dicam absurdè. nam hoc voluit: nempe, Latium antiquum fuisse à Tiberi usque ad Circeios. inde verò novum Latium adjectum, ad 40 Lirim usque amnem: quam oram olim incoluerint *Volsci, Osci, Ausones.* Aliquanto pòst, *Colonia*, inquit, *Minturnæ; Liri amne divisa, Glani quondam adpellato. opidum Sinuessa, extremum in adjecto Latio. hinc felix illa Campania est.* Strabo lib. V: Νυνὶ μὲν δὴ ἡ περαία μέχρι πόλεως Σινουέσσης ἀπὸ τ῎ Ὠστίων Λατίνη καλεῖται· πρόσθεν δὲ μέχρι Κιρκαίας ὄρους μόνον ἐκτείνουσι τὴν ἐπίδοσιν· ἁ τ῎ μεσογαίαν δὲ πρόσθεν μὲν ὀλίγην, ὕστερον δὲ ἁ μέχρι Καμπανίας διατείνει ἁ Σαυνιτῶν καὶ Πελιγνῶν ἁ ἄλλων τ῎ Ἀπεννῖνον κατοικούντων. Hoc est: *Nunc quidem, ora omnis ab Ostiâ ab Sinuessam usque adpellatur Latium. anteà verò non ultra Circeium montem nomen id protendebatur. in mediterraneis quoque ab initio haud multa occupavit. posteà verò ad Campaniam usque & Samnitas ac Pelignos aliosque Apennini adcolas prolatum.* Ad *Pelignos* equidem usque falsò id profert Strabo; 50 quum *Marsorum* interceſserit gens. quorum opidum *Albam* falsò eum adscribere Latio, suprà in eius gentis descriptione ostensum. Cæterùm de *Antiquo Latio* testis etiam est antiquus in primis auctor Scylax in Περίπλῳ. Ἀπὸ Ἄρνου δ῎, inquit, Τυῤῥηνοὶ ἔθνος μέχρι Ῥώμης πόλεως. Τυῤῥηνίας ἔχουσι Λατῖνοι, μέχρι δ῎ Κιρκαίης· ἁ τὸ δ῎ Ἐλπηνόρος μνῆμά ἐστι Λατίνων. Λατίνων δὲ ἔχουσι Οὖλσκοι. Id est: *Ab Arno Tyrrhenorum est gens ad Romam urbem usque. Tyrrheniæ continuantur Latini, usque ad Circæum. nam & Elpenoris monimentum est in Latinis. His continuantur Volsci.* Et Scylace antiquior Theophrastus, Aristotelis auditor atque successor, Histor. planar. lib. V cap. VIIII:

Η δὲ τ Λατίνων ἔφυδρος πᾶσα. καὶ ἡ μὲν πεδιὰς δάφνῃ ἔχει καὶ μυρρίνῃ καὶ ὀξύλῳ θαυμασίως. τηλικαῦτα γὰρ μήκη τίμνεσι, ὥστ εἶναι ἁρμὸν νεὼς τ Τυρρηνίδων ὑπὸ τῶν τοίπιν. ἡ δ ὀρεινὴ πεύκῃσι καὶ ἐλάτῃσι. Τὸ δὴ Κιρκαῖον καλούμενον εἶναί φασι ἄκραν ὑψηλὴν, δασεῖαν δὲ σφόδρα· καὶ ἔχειν δρυσὶ καὶ δάφνῃσι πολλαῖς καὶ μυρρίνῃσι· λέγεσθαι δὲ ταύτην ἐγχωρίους, ὡς ἐνταῦθα ἡ Κίρκη κατῴκει· καὶ δεικνύουσι τ ἔτι Ελπανόρος τάφον. Hoc est: *Latinus ager agnis totus abundat. & plana quidem laurum habent & myrtum scissimamque mirandam. tantâ quidpe longitudine caditur, ut pro carinâ Etruscis navibus sufficiat. montana verò pinum atque abietem ferunt. Circæum autem heic excelsum quoddam esse aiunt promontorium, spissis nemoribus consitum; maximè verò robore, myrto, ac lauro. Circen id inhabitasse incolæ ferunt: tumulumque Elpenoris in eo ostentant.* Et lib. VIIII cap. XV: Φαρμακώδεις δὲ δοκοῦσιν εἶναι τόποι μάλιστα μὲν ἔξω τ Ελλάδος οἱ περὶ Τυρρηνίαν καὶ τ Λατίνην· ἐν οἷς ἐστὶ τ Κίρκης εἶναι λέγουσιν. Id est: *Tractus medicamentorum fertiles maximè traduntur extra Græciam circa Tyrrheniam & Latinum agrum; in quo Circen habitasse ferunt.* Ἔυδρος χώρα, id est, *aquis irrigua regio* in hoc Latio maximè erat *Pomptinus ager* apud Circæum montem; ut infrà docebitur. unde illud apud Priscianum Institution. grammat. lib. IIII: *Cato Censorius in secundo Originum: Lucum Dianium in nemore Aricino Egerius Lebius Tusculanus dedicavit, dictator Latinus; & hi populi communiter; Tusculanus, Aricinus, Lanuvinus, Laurens, Coranus, Tiburtis, Pometinus, Ardeatis, Rutulus.* At verò, quòd Plinius, loco proximè scripto, in hoc intra Circæum montem Latio *Auruncos* quoque recensuit populos, nescio an ex poëtâ Virgilio sumpserit: quando hos trans Tarracinam opidum aliis auctoribus, quos suo loco citabimus, referri video. Virgilius Aeneid. lib. XI Latinum regem introducit ita in concilio concionantem:

Est antiquus ager, Tusco, mihi, proximus amni,
Longus in occasum fineis super usque Sicanos:
Aurunci Rutulique serunt, & vomere duros
Exercent colleis, atque horum asperrima pascunt.
Hæc omnis regio & celsi plaga pinea montis
Cedat amicitiæ Teucrorum: & fœderis æquas
Dicamus leges; sociosque in regna vocemus.
Considant, si tantus amor, & mœnia condant.

Quum plerique, ut suprà intellectum, in hoc consenserint auctores, Aeneam ab Latino accepisse agrum inter Laurentum & Tiberim amnem; quo tractu nullus est *celsus mons*; nihil certius, quàm Virgilium poëticâ iterum quadam licentiâ heic innuisse antiquum illud populi Romani Latium, quod excelso eoque pineo monte finiebatur Circæo. unde etiam & Donatus & Clavarius, agrum hunc, quem Latinus offert Troianis, apud *Vfentem fluvium* esse dixerunt; teste Servio in hunc locum Virgilii. qui amnis prope Circæum haud procul Tarracinâ opido in mare effunditur. Sed & *Tarracinam* Polybius in antiquo refert Latio ex fœdere Romano primis urbis Romæ consulibus cum Carthaginiensibus facto. Verba eius lib III hæc sunt: Γίνονται συγγραφαὶ Ῥωμαίοις καὶ Καρχηδονίοις πρῶται καὶ Λευκίου Γένιον Βροῦτον καὶ Μάρκον Ὡράτιον, οὗτοι πρῶτοι καταστήσαντες ὑπάτους μετὰ τ τὰ βασιλέων καταλυσιν. * — *. Καρχηδόνιοι δὲ μὴ ἀδικείτωσαν δῆμον Ἀρδεατῶν, Ἀντιατῶν, Λαυρεντίνων, Κιρκαιατῶν, Ταρρακινιτῶν τῶν μηδ' ἄλλον μηδένα Λατίνων, ὅσοι αὐ ὑπήκοοι. Id est: *Primum igitur fœdus inter Romanos & Carthaginienses ictum est consulatu L. Iunii Bruti & M. Horatii, primorum post reges exactos consulum.* Et aliquanto post: Ὁμοίως δὲ καὶ Ῥωμαίοις περὶ τ Λατίνης τῶν οἰκούντων δεῖν τὰς Καρχηδονίους ἀδικεῖν Ἀρδεάτας, Ἀντιάτας, Κιρκαίτας, Ταρρακινίτας· αὐτῶν δὲ εἶναι αἱ πόλεις αἱ προσεχοῦσαι θαλάττῃ τ Λατίνων χώραν, ὑπὲρ ἧς ποιοῦνται τὰς συγγραφάς. Hoc est: *Similiter de Latio cavent, ne fiat ab Carthaginiensibus injuria Ardeatibus, Antiatibus, Circeiensibus, Tarracinensibus: quæ sunt opida maritima Latii, de quo fœdus hoc factum.* Ac *Circeios* quidem jam ante primos hosce consules rex Tarquinius Superbus coloniam deduxerat; testibus, Livio lib. I, Dionysio lib. IIII. *Tarracinam* verò expugnasse Romanos anno urbis suæ CCCXLVIIII, annis CIIII post prædictos consules, auctor est Livius lib, IIII: coloniam autem eò deductam anno CCCCXXV, tradit lib. VIII. Verùm & *Tarracina* & *Circeii*, & longè citra hæc *Antium* quoque ab initio, extra Latii, quod Siculi ante Latinos obtinuêre, fineis, *Volscorum* fuerunt opida; & citra Antium *Ardea* etiam fuit *Rutulorum:* quos & ipsos à Latinorum nomine ac genere exemerunt plerique auctores. In his Dionysius lib. V, ubi Q. Cluilio

Cluilio Siculo & T. Lartio Flavo consulibus, anno urbis Romæ CCLVI, bellum omnes Latini nominis populi Romanis denunciaverant; Ἡ βουλὴ, inquit, πολλαχῇ διαπέμψασα πρέσβεις, παρεκάλει τὰς πλησιοχώρους πόλεις ἐπὶ συμμαχίαν, ἀλλοπροσάλλων εἰς τὰς αὐτὰς πόλεις τῶν Λατίνων, καὶ πολλὰ τῇ Ῥώμῃ καταιτιωμένων. Ἔθνικες μὲν οὖν κοινῇ συνελθόντες, ὑπόπλια καὶ οὐδὲν ὑγιὲς ἀμφοτέροις τοῖς πρεσβείοις ἀπεκρίναντο. Ῥόπλοι δὲ Λατίνοις μὲν ἐπικουρίαν πέμπειν αὐτίκρυς ὑπέσχοντο. Ῥωμαίοις δὲ, αὖ βουληθῶσι καταλύσασθαι τὸν ἔχθραν, διὰ σφῶν μετριωτέρους παρέξειν Λατίνους ἔφασαν, καὶ τὰς συμβάσεις αὐτοῖς διατήσειν. Οὐολῦσκοι δὲ καὶ θαυμάζειν ἔλεγον τὴν Ῥωμαίων ἀναισχυντίαν. Id est: *Senatus, dimissis circùm finitimas urbeis legatis, societatem earum ambiebat: Latinis contrarias ad easdem urbeis legationes mittentibus; ac multa in populum Romanum congerentibus. Igitur Hernici neutris legatis quidquam sani responderunt: sed utrosque cum suspecto responso dimiserunt. Rutuli, Latinis auxilium diserte polliciti, Romanis tamen promittebant; si ponere inimicitias vellent, se suâ intercessione Latinos ipsis reddituros æquiores; pacemque conciliaturos. Volsci verò, mirari se, dicebant, Romanorum impudentiam.* Sic Livius lib. 1, sub rege Tarquinio Superbo: *Pererraturum se omne Latium: Volscosque se inde & Æquos & Hernicos petiturum.* Et Cicero in Oratione pro L. Cornelio Balbo: *Itaque & ex Latio multi & Tusculani & Lanuvini, & ex cæteris generibus gentes universæ in civitatem sunt receptæ; ut Sabinorum, Volscorum, Hernicorum.* Falsissimum est, quod Strabo tradit dicto lib. v his verbis: Ἔρνικοι οἱ πλησίον ᾤκουν τῷ τε Λαβικῷ καὶ τῇ Ἄλβᾳ καὶ αὐτῇ τῇ Ῥώμῃ· οὐκ ἄποθεν δ' ἦσαν Ἀρίκια καὶ Τελλῆναι καὶ Ἄντιον. Id est: *Hernici prope Lavinium & Albam ipsamque Romam incoluerunt, nec procul ab ipsorum finibus fuêre Aricia ac Tellenæ & Antium.* In medio scilicet eos locat Prisco Latio. quod falsissimum esse, vel unus satis refutaverit disertis verbis Livius, quæ lib. VI sunt huiusmodi: *Quum consules in Hernicos exercitum duxissent; non inventis in agro hostibus, Ferentinum, urbem eorum, vi ceperunt.* Et lib. VIII: *Id ægrè passi Hernici, concilium populorum habentibus Anagninis in circo, quem Maritimum vocant, præter Alatrinatem, Ferentinatemque & Verulanum, omnes Hernici populi populo Romano bellum indixerunt.* Et aliquanto pòst: *Hernicorum tribus populis, Alatrinati, Verulano, Ferentinati, suæ leges redditæ.* Omnia hæc opida retinent etiam nunc nomina sua antiqua, *Anagni, Alatro, Veroli, Ferentino,* vulgò dicta; longè interiùs circa Anienis fonteis & Lirim amnem, qui nunc est *Garigliano*, sita. *Rutulos* tamen, exiguam admodùm nationem, Latinorum gentis partem fecerunt poëtæ Virgilius Siliusque, ut infrà videbimus. Verùm omnes isti populi, *Prisci Latini, Rutili, Volsci, Æqui, Hernici, Ausones*, à Tiberi ad Lirim usque incolentes, in unum *Novi Latii* nomen posteà corpusque à Romanis contributi sunt; testibus suprà citatis Strabone Plinioque. Hinc etiam Silius lib. VIII, ubi totius ferè Italiæ chorographiam persequitur, omnium prædictorum populorum opidis mixtim enumeratis, transit inde ad Sabinos; inde ad Picenteis; mox Vmbros, Etruscos, Marsos, Pelignos, Sidicinos, Vestinos, Marrucinos, Frentanos, Campanos, Samnites, Apulos, Lucanos, Calabros, Selentinos. Et Cicero in Bruto: *Apud maiores nostros video disertissimum habitum ex Latio L. Papirium Fregellanum, Ti. Gracchi, P. F. ferè ætate. eius verò oratio est pro Fregellanis colonisque Latinis habita.* Ergo jam tum huius Ti. Gracchi, qui anno urbis Romæ IↃCXX, P. Mucio Scævolâ & L. Calpurnio Pisone, occisus est, temporibus *Latii* nomen atque fines ad Lirim usque prolati fuêre. nam opidum *Fregellæ* in dextrâ huius fluminis ripâ erat positum; ut infrà videbimus. Ac *Lirim* equidem Plinius, suprà dicto lib. III cap. V, terminum *Novo Latio* statuit. unde etiam epitomator eius Solinus cap. VIII, non tam auctore suo malè intellecto, quàm illius ævum cum tempestate suâ confundens; *Italia*, inquit, *in qua Latium antiquum anteà à Tiberis ostiis adusque Lirim amnem pertinebat, universa consurgit à jugis Alpium, porrecta ad Rheginum verticem.* Suam scilicet ætatem respexit: quæ *Campaniæ* nomen longè citra Lirim obtinebat. Verùm Plinius licèt *Lirim* constituat terminum Latii Novi; tamen paullo pòst etiam ultra hunc amnem memorat *opidum Sinuessam, extremum id adjecto Latio.* & in mediterraneis item *Aquinum, Arpinum, Atina*, & *Casinum*, opida in eodem fuisse Novo Latio, infrà patebit. Nec tamen solum Plinium hunc statuisse terminum; sed vulgò sic habitum fuisse; patet ex Ptolemæi quoque geographiâ; qui ita habet: Λατίνων ὁμοίως ἀπὸ τοῦ Τυρρηνικοῦ πελάγους· Τιβέριος ποταμοῦ ἐκβολαὶ, Ὠστία, Ἄντιον, Κλῶστρα, Κιρκαίου ἄκρον, Ταρρακίνα, Φορμίαι. Καμπανῶν ὁμοίως ἀπὸ τοῦ Τυρρηνικοῦ πελάγους·

Λειρίος·

Ἀπὸ δὲ τοῦ ποταμοῦ ἀκόλαι, Σινόεσσα, Οὐόλτουρνον, Κῦμαι. Id est: *Latinorùm itidem juxta mare Etruscum: Tiberis amnis ostium, Ostia, Antium, Clostra, Circæum promontorium, Tarracinæ, Formiæ. Item Campanorum ad Etruscum litus: Liris fluvii os, Sinuessa, Vulturnum, Cumæ.* Et longè ante Ptolemæum Polybius lib. III disertè Sinuessam inter Campaniæ urbeis connumerat; ut infrà cap. X in eius urbis descriptione videbimus. Certè quum etiam ultra Lirim multa fuerint Novi Latii opida; ut infrà cap. VIII videbimus; commodior eius fuisset terminus jugum montis, quod lævam Liris ripam eminus prosequitur; altero verò suo latere habet Campaniæ opida *Suessam & Teanum*. Mela, lib. II cap. IIII, quum satis disertè *Sinuessam* extra Campaniam tribuisset Latio: oratio eius à malè curiosis imperitisque exscriptoribus miserè confusa vitiataque est. eam ergo sic distingvo: *Buxentum, Velia, Palinurus, Pæstanus sinus, Pæstum opidum, Silarus amnis, Picentia, Petræ quas Sirenes habitavêre, Minervæ promontorium: opima Lucaniæ loca. sinus Puteolanus, Surrentum, Herculaneum, Vesuvii montis adspectus, Pompei, Neapolis, Puteoli, Lacus Lucrinus & Avernus, Baiæ, Misenum, Cumæ, Liternum, Vulturnus amnis, Vulturnum opidum; amœna Campaniæ litora. Sinuessa, Liris, Minturnæ, Formiæ, Fundi, Tarracina, Circes domus aliquando Circeii, Antium, Aphrodisium, Ardea, Laurentum, Ostia, citra Tiberim in hoc litore sunt. ultra Pyrgi, Alsium, Castrum novum, Graviscæ, Cossa, Telamon, Populonia, Cæcina, Pisæ; Etrusca loca & flumina.* Semper opida fluminaque priore loco enumerat: tandem subjungit regionis nomen, cuius illa fuerint. Verùm, quo faciliùs clariúsque antiquissimæ Romanorum res, hoc spacio inter Tiberim & Lirim sive Sinuessam gestæ, intelligantur; nos vetustissimorum populorum, id est, *Priscum Latinorum, Rutulorum, Hernicorum, Volscorum*, fineis atque opida singulatim explicabimus.

Cap. II.

De Prisci Latii *finibus, & principe eius urbium* Roma, *locisque proximè adjacentibus.*

Antiqvi igitur Latii fines fuêre isti: Ab Solis occasu, Anio fluvius, ab opido *Tibure* ad confluentem usque Tiberis: hinc ipse Tiberis, ad ostia usque: ab meridie, mare inferum, à Tiberis ostiis ad medium locum inter duo opida *Patricam & Ardeam*; quorum hoc *Rutulorum* fuisse, infrà patebit. hinc ab ortu hiberno limes fuit, quo Latinorum includebantur opida *Lavinium, Aricia, Lanuvium, Albanus mons, Labici, Prænestæ*; quæ vulgò nunc adpellantur, *S. Petronellà, L' Ariccia, Cività Lavinia, Gallicano, Pilastrina*. extra quem limitem *Ardea*, ut dictum, *Rutulorum* fuit, *Velitræ*, vulgò nunc *Beletri*, &, *Cora*, Volscorum. A septemtrionibus, ut suprà lib. II cap. XVI ostensum, Aequorum gens, veluti cuneo quodam, inter *Prænestæ & Tibur*, in Latinorum agrum ad Tusculanos usque monteis sese insinuabat; opido eorum prope Tusculum sito *Algido:* quo loco nunc diversorium publicum in viâ Latinâ esse dixi vulgari vocabulo *Osteria*. Tam arctis igitur fuêre Latinorum agri inclusi finibus, postquàm eos Sabini regione inter Narem Anienemque amneis, ut superiori capite ostensum, expulerunt. Patuêre in longum, à Tibure ad mare, xxxv millia; in latum, ab Tiberi ac Româ in Albanum montem, xx. De nonnullis trans Anienem opidis, quæ nonnulli auctores Latio, ceu Albanorum colonias, adscripserunt, quàm dubia sit res, suprà lib. II cap. VIII in Sabinis patuit. Potuerant tamen aliqua eorum Latini sive Aborigines condidisse, antequàm eâ regione à Sabinis ejecti fuerunt. Virgilius equidem Aeneid. lib. VI Anchisen introducit, apud inferos filio Aeneæ ita de futuris Albanorum regibus vaticinantem:

Hi tibi Nomentum & Gabios urbemque Fidenam,
Hi Collatinas imponent montibus arceis,
Laude pudicitiæ celebres; addentque superbos
Pometios, Castrumque Inui, Bolamque Coramque.
Hæc tum nomina erunt: nunc sunt sine nomine terræ.

Sanè *Suessa Pometia* Volscorum semper fuit caput, donec à Tarquinio Superbo, qui primus Romanorum bellum Volscis movit, teste Livio lib. I, capta fuit; ut infrà

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

infrà suo loco ostendetur. unde etiam Florus lib. 1 cap. VII, in rebus gestis Tarquinii: *Sic valida opida in Latio capta sunt: Ardea, Gabii, Suessa Pometia.* Poëticâ igitur licentiâ istud quoque à Virgilio confictum est.

De cætero urbium in *Prisco Latio* princeps existimata est *Laurentum*, Latinorum regum sedes. inde *Lavinium*, ab Aeneâ Troiano conditum. tum *Alba*, ab Ascanio, Aeneæ filio, constituta. hinc profecti Romulus atque Remus, *Romam* condidisse crediti sunt. Verùm quia de huius origine & conditoribus summa apud antiquissimos etiam rerum scriptores controversia fuit; unde omnium vetustissima esse tandem dispicitur: simulque, quia non tantùm Latii, & mox Italiæ, sed denique totius ferè terrarum Orbis caput evasit: priore loco de hac dicere dignum atque fas sit.

VRBS igitur ROMA à quo & quibus temporibus condita sit, item unde id nominis acceperit, numquàm satis constitisse, testantur inter alios antiquos auctores maximè Dionysius Halicarnassensis atque Plutarchus. Illius verba lib. 1 hæc sunt: Ἀμφισβητήσεως ἡ πολλῆς οὔσης καὶ περὶ ἔτους καὶ χρόνου καὶ κλίσεως ἣ περὶ τῶν οἰκιστῶν τῆς πόλεως, ἀδ' αὐτὰς ἄμεινον δεῖν, ὥσπερ ὁμολογούμενα περὶ ἀπάντων, ἐξ ὑποθέσεως ἐπελθεῖν. Id est: *Quoniam auctores multum variant tam de tempore, quo urbs sit condita, quàm de ipsis conditoribus: neque mihi visum est, rem, quasi confessam, obiter tantùm esse attingendam.* Plutarchus in Romulo: Τὸ μέγα τῆς Ῥώμης ὄνομα, καὶ δοξῆ διὰ πάντων ἀνθρώπων κεχωρηκὸς, ἀφ' ὅτου καὶ δι' ὃν αἰτίαν τῇ πόλει γέγονεν, οὐχ ὁμολογεῖται τοῖς συγγραφεῦσιν. Hoc est: *Ingens Romæ nomen, quod gloriâ est apud omneis genteis decantatum, haud convenit inter scriptores, à quo urbs & qua de causâ invenerit.* Varias variorum auctorum sententias uterque adfert. eas, ut & quæ apud alios exstant scriptores, in medium huc producere, quò veritas, quantum eius fieri poterit, inde eruatur, consilium est. Plutarchus ibidem: Οἱ μὲν, Πελασγοὺς, φασιν, ὅτι πλείστην τὴν οἰκουμένης πλανηθέντας ἀνθρώπων τῶν πλείστων κρατήσαντας, αὐτόθι κατοικῆσαι, καὶ διὰ τὴν ἐν τοῖς ὅπλοις ῥώμην, ἔτως ὀνομάσαι τὴν πόλιν. Id est: *Quidam Pelasgos aiunt, quum maiorem partem petcursassent Orbis, plurimasque devicissent genteis, eam oram tenuisse, atque ex suo in armis robore* [hoc ῥώμη est Græcis] *urbem Romam adpellasse.* Solinus cap. 1: *Sunt, qui videri velint, Romæ vocabulum ab Euandro primùm datum, quum opidum ibi offendisset, quod exstructum anteà Valentiam dixerat juventus Latina: servatâque significatione impositi priùs nominis,* Ῥώμην *Græcè Valentiam nominatam.* Festus Pompeius: *Historiæ Cumanæ compositor ait, Athenis quosdam profectos Sicyonem Thespiasque. ex quibus porrò civitatibus, ob inopiam domiciliorum, complures, profectos in exteras regiones, delatos in Italiam: eosque à multo errore nominatos Aborigines. quorum subjecti qui fuerint Caximparum viri unicarum virium* [fortè rectiùs *Caxipari, viri unicarum virium*] *imperio, montem Palatium, in quo frequentissimi consederint, adpellavisse à viribus regentis Valentiam. quod nomen, adventu Euandri Aeneaque in Italiam cum magnâ Græcè loquentium copiâ, interpretatum, dici cæptum* Ῥώμην. Dionysius ibidem: Κεφάλων ὁ Γεργίθιος, συγγραφεὺς παλαιὸς πάνυ, δευτέραν ἡλικίαν μετὰ τὰ Ἰλιακὰ πόλεμον ἐκτίσθαι λέγει τὴν πόλιν ὑπὸ τῶν ἐξ Ἰλίου διασωθέντων σὺν Αἰνείᾳ· οἰκιστὴν δὲ αὐτῆς ἀποφαίνει τὸν ἡγησάμενον τῆς ἀποικίας Ῥῶμον· τέτον δ' εἶναι τοῦ Αἰνείου παῖδων ἕνα. τέτταρας δὲ φησὶν Αἰνείᾳ γενέσθαι παῖδας, Ἀσκάνιον, Εὐρυλέοντα, Ῥωμύλον, Ῥῶμον· εἴρηται δὲ Δημαγόρᾳ καὶ Ἀγαθύλλῳ καὶ ἄλλοις συχνοῖς ὅ τε χρόνος καὶ ὁ τῆς ἀποικίας ἡγεμὼν ὁ αὐτός. Hoc est: *Cephalo Gergithius, scriptor maximè antiquus, secundâ ætate post bellum Troianum, ait, conditam ab iis urbem, qui cum Aeneâ ex Ilio elapsi erant. conditorem autem ex iis nominat Romum, coloniæ ducem. fuisseque hunc unum ex Aeneæ filiis. quidpe quatuor Aeneam habuisse filios, Ascanium, Euryleontem, Romulum, atque Romum. Atque cum hoc de tempore deque coloniæ duce consentiunt Demagoras & Agathyllus, compluresque alii.* Festus: *Romam adpellatam esse, Cephalon Gergithius, qui de adventu Aeneæ in Italiam videtur conscripsisse, ait, ab homine quodam, comite Aeneæ. eum enim, occupato monte, qui nunc Palatinus dicitur, urbem condidisse; atque eam Romam nominasse.* Dionysius: Ὁ δὲ τὰς ἱερείας τὰς ἐν Ἄργει καὶ τὰ καθ' ἑκάστην πραχθέντα σωσαγορὼν, Αἰνείαν φησὶν ἐκ Μολοσσῶν εἰς Ἰταλίαν ἐλθόντα μετ' Ὀδυσσέως, οἰκιστὴν ἡγεῖσθαι τῆς πόλεως· ὀνομάσαι δ' αὐτὴν ἀπὸ μιᾶς τῶν Ἰλιάδων Ῥώμης. ταύτην ἡ λέγει δὲ ἄλλως Τρωσὶ συναποδημήσαι, καινὴν μετ' αὐτῶν ἐμπεσοῦσαν τὴν σκάφην, βαρυνομένην τῇ πλάνῃ. Ὁμολογεῖ δ' αὐτῷ καὶ Δαμασὸς ὁ Σιγεὺς, ἐν ἄλλοις λύσις. Hoc est: *Is, qui recenset mulieres sacerdotio apud Argos functas, & quid cuiusque tempore sit gestum, Aeneam tradit, è Molossis in Italiam cum Vlysse delatum, urbis conditorem fuisse: nomenque ei indidisse à quadam Ilienſi feminâ Româ. quam, narrat, cæteras Troianas hortatam,*

tam, effecisse, ut facto secum impetu naveis exurerent, navigationis & errorum tadio. Huic adstipulatur Damastes Sigensis, & nonnulli alii. Plutarchus: Οἱ δὲ, Τρωϊας ἁλισκομένης, διαφυγόντας ἐνίους καὶ πλοίων ὀλίγων ἐπιγενομένους, ὑπὸ πνευμάτων τῆ Τυρρηνία προσπεσεῖν Φερομένους, ἔνθα τὸ θύμβρεως πλησιόν ὁρμίσασθαι· ἧς ἡ γυναικῶν αὐτῶν ἀποροσθυμίας ἤδη καὶ δυσαναχετήσεως πρὸς τὴν θάλασσαν, ὑποθέσθαι μίαν, ἣ καὶ γλυκὺ πρῶτον ἔδοξε Φρονεῖν ἐδόκει μάλιστα, Ῥώμην ὄνομα, καταπρῆσαι τὰ πλοῖα. πραχθέντος δὲ τούτου, πρῶτον μὲν ἀγανακτεῖν σφᾶς ἄνδρας· ἔπειτα δ' ἀναγκῶν, ἱδρυθέντας περὶ τὸ Παλλάντιον, ὡς ὀλίγῳ χρόνῳ κρεῖττον ἐλπίδος ἔπραττον, ἀγαθῆς πεπερασμένοι χώρας, καὶ δεχομένων αὐτοὺς τῶν προσοίκων, ἄλλως τε καὶ μεμνημένων τῆ Ῥώμη, καὶ τὴν πόλιν ἀπ' αὐτῆς, ὡς αἰτίας, προσαγορεύειν. Id est: *Alii tradunt, captâ Troiâ, nonnullos profugos, quum naveis essent nacti, ad Tyrrheniam vi ventorum expulsos, circa Tiberim ancoras jecisse. ubi, uxoribus eorum fatiscentibus, pelagique jactationem pertæsis, unam, quæ & genere nobilior reliquis esse & præcellere mente videbatur, nomine Romam, ut classem incenderent, subgessisse. Id viros primùm ægrè tulisse. deinde, quum necessariò sedeis circa Pallantium posuissent; & brevi suprà spem succederent omnia; quòd agri fertilitatem miram sentirent; ipsosque adcolæ reciperent: cùm alios habuisse honores Romæ, tùm eius, ut auctoris, urbi nomen indidisse.* Solinus: *Heraclidi placet, Troiâ captâ, quosdam ex Achivis in ea loca, ubi nunc Roma est, devenisse per Tiberim. deinde, suadente Rome, nobilissimâ captivarum, quæ his comes erat, incensis navibus, posuisse sedeis; struxisse mœnia; & opidum ab eâ Romen vocavisse.* Festus: *Lesbius qui adpellatur Heraclides, existimat, revertentibus ab Ilio Achivis, quosdam, tempestate dejectos in Italiæ regiones, sequutos Tiberis decursum, pervenisse, ubi nunc sit Roma. ibique propter tadium navigationis impulsas, captivas, auctoritate virginis cuiusdam tempestivæ* [lege, *item captivæ,*] *nomine Romes, incendisse classem. atque ab eâ necessitate ibi manendi urbem conditam ab his; & potissimùm eius nomine eam adpellatam, cuius consilio eas sedeis sibi firmassent.* Dionysius: Ἀριστοτέλης ὁ Φιλόσοφος Ἀχαιῶν τινας ἱστορεῖ, τῶν ἀπὸ Τροίας ἀνακομιζομένων, παρεκπλεούσας Μαλέαν, ἔπειτα χειμῶνι βιαίῳ καταληφθέντας, πῶς μὲν ὑπὸ τῶν πνευμάτων φερομένους, πολλαχῆ τε πελάγους πλανᾶσθαι. πλοῦτον δὲ ἐλθεῖν εἰς τὸν τόπον τοῦτον τὸν Ὠπικῆς, ὃς καλεῖται Λάτιον, ὑπὸ τῷ Τυρρηνικῷ πελάγει κείμενον. ἀσμένους δὲ τῆς γῆς ἰδόντας, αἰσθομένους τε τὰς ναῦς αὐτόθι, καὶ διατρέψαι τὸν χειμερινὸν ὥραν, ἀποσκοπαζομένους ἔαρος δεχομένης πλοῦν. ἐμπεπρησθεισῶν δὲ αὐτοῖς ὑπὸ νυκτὸς τῶν νηῶν, σὺν ἔχοντας ὅπως ποιήσονται τὸν ἀπαρσιν, ἀβουλήτῳ ἀνάγκη σφᾶς βίᾳ ἐν ᾧ κατήχθησαν χωρίῳ ἱδρύσασθαι. συμβῆναι δὲ αὐτοῖς τὸν διὰ γυναῖκας αἰχμαλώτους, ἃς ἔτυχον ἐχοντες ἐξ Ἰλίου· τοὺς δὲ καταπρῆσαι τὰ πλοῖα, φοβηθέντας τὸν οἶκαδε Ἀχαιῶν ἀπαρξιν, ὡς εἰς δουλείαν ἀφιξομένους. Hoc est: *Aristoteles philosophus tradit, Achæorum quosdam, à Troiano bello redeunteis, circùm Maleam cursum flexisse; correptosque à ventis, tempestatis vi, ultro citroque diu per altum jactatos, tandem adpulisse ad eam Opicæ regionis oram, quæ, Tyrrheno pelago perfusa, Latium vocatur. quumque, optati litoris desiderio, naveis illò subduxissent; exegisse totam hiemem, ineunte vere abnavigare paratos. sed quum naveis eis nocturno incendio conflagrassent; ademptâ profectionis facultate, necessitatem in voluntatem vertisse: vitæque sedeis in agris, ad quos adpulerunt, fixisse. Eum casum obvenisse eis captivarum Ilienſium operâ: quòd, metuentes, ne sè domum in servitutem abducerent, ignem in naveis conjecissent.* Solinus: *Agathocles scribit, Romen non captivam fuisse; ut suprà dictum est: sed, Ascanio natam, Aeneæ neptem, adpellationis istius causam fuisse.* Dionysius: Καλλίας δὲ, ὁ τὰς Ἀγαθοκλέους πράξεις ἀναγεγραφώς, Ῥώμην φησὶ Τρωάδα, τῶν ἀφικνουμένων ἅμα τοῖς ἄλλοις Τρωσὶν εἰς Ἰταλίαν, γήμασθαι Λατίνῳ, τῷ βασιλεῖ τῶν Αὐσονίων, καὶ γεννῆσαι δύο παῖδας, Ῥῶμον καὶ Ῥωμύλον. οἰκίσαντας δὲ πόλιν, ἀπὸ τοῦ μητρὸς αὐτῆ θέσθαι τὄνομα. Hoc est: *Callias, rerum ab Agathocle gestarum scriptor, Romen quamdam, ait, Troianam mulierem, cum cæteris Troianis delatam in Italiam, nupsisse Latino, Aboriginum regi; eique duos peperisse filios, Romum & Romulum: à quibus conditæ urbi nomen matris impositum.* Festus: *Callias, Agathoclis Siculi qui res gestas conscripsit, arbitratur, è manu Troianorum, è fugientium Ilio capto, cuidam fuisse nomen Latino: eumque habuisse conjugem Romam: à quo, ut Italiâ sit potius, urbemque condiderit, eam Romam adpellavisse.* Idem posteà: *Galitas scribit, quum, post obitum Aeneæ, imperium Italiæ pervenissent ad Latinum, Telemachi Circesque filium: isque ex Româ suscepisset filios Romum Romulumque: urbis conditæ in Palatio* [fortè *Palatino*] *causam fuisse adpellandæ potissimum Romæ.* Servius ad Virgilii Aeneid. lib. 1: *De origine & conditore Vrbis diversa à diversis traduntur. Clinias refert, Telemachi filiam, Romen nomine, Aeneæ neptem fuisse; ex cuius vocabulo Romam adpellatam.....* [interiit nomen auctoris] ...

dicit.

dicit, Latinum, ex Vlyxe & Circe editum, de nomine sororis suæ mortuæ Romen civitatem adpellasse. Atteius adserit, Romam ante adventum Euandri diu Valentiam vocitatam: sed pòst Græco nomine Romam vocitatam. Alii à filiâ Euandri ita dictam. alii à fatidicâ, quæ prædixisset Euandro, his eum locis oportere considere. Eratosthenes Ascanii, Aeneæ filii, [filium] Romulum parentem urbis refert. Navius & Ennius Aeneæ ex filiâ nepotem Romulum conditorem urbis tradunt. Sibylla ita dicit: Ῥωμίωνι Ῥώμης παῖδες. [Id est: Romani Romi progenies. Dionysius: Εἰσὶ δὲ οἳ μὲν τὴν Ῥώμην ἐκ τῆς Λατίνου θυγατρὸς, τοῦ Τηλεμάχου, μητρὸς δὲ Ἀγριππίνης, τῆς Λατίνου θυγατρὸς. Id est: Sunt, qui Romam conditam aiunt, ab Itali filio Romo, nato ex Electrâ, Latini filiâ. Plutarchus: Ἄλλοι δὲ Ῥώμην, Τηλέμαχου θυγατέρα καὶ Λοκριδος, οἱ δὲ Τηλέφου, τοῦ Ἡρακλέους, Λιτείαν γαμηθεῖσαν, οἱ δ' Ἀσκανίου, τοῦ Αἰνείου, λέγουσι τέκνωμα θεᾶς τῇ πόλει· οἱ δὲ Ῥῶμον, Οὐδυσσέως παῖδα καὶ Κίρκης, οἰκίσαι τὴν πόλιν· οἱ δὲ, Ῥῶμον, ἐκ Τροίας ὑπὸ Διομήδους ἀποσταλέντα, τῆς Ἠμαθίωνος· οἱ δὲ Ῥῶμον, Λατίνων τύραννον, ἐκβαλόντα Τυῤῥηνούς. Hoc est: Alii tradunt, Romen Itali & Leucariæ filiam, alii Telephi, Herculis filii, filiam, Aeneæ nuptam, alii Ascanii, Aeneæ filii, filiam, nomen urbi dedisse. alii aiunt, Vlyssis atque Circes filium Romum urbem condidisse. alii rursus ferunt, Romum, Emathionis filium ab Diomede è Troiâ missum: alii Romum, Latinorum tyrannum; quum ejecisset Tyrrhenos. Dionysius: Ξεναγόρας δὲ ὁ συγγραφεὺς, ἱστορεῖ, Οὐδυσσέως καὶ Κίρκης υἱὸς γενέσθαι τρεῖς, Ῥῶμον, Ἀντίαν, Ἀρδέαν· οἰκισαντας δὲ τρεῖς πόλεις, ἀφ' ἑαυτῶν θεῖναι τοῖς κτίσμασι τὰς ὀνομασίας. Διονύσιος δὲ ὁ Χαλκιδεὺς οἰκιστὴν μὲν ἀποφαίνει τῆς πόλεως Ῥῶμον· τοῦτον δὲ λέγει, καὶ μὴ μόνον, Ἀσκανίου δὲ υἱὸν, Ἠμαθίωνος παῖδα εἶναι. Id est: Xenagoras historicus tradit. Vlyssis ac Circeis treis fuisse filios, Romum, Antiam, & Ardeam. eosque conditis tribus opidis, nomina iis à se imposuisse. Dionysius verò Chalcidensis consentit quidem de auctore urbis Romo: at filium eum fuisse tradit, quorumdam opinione, Ascanii; aliorum autem sententiâ, Emathionis. Festus: Apollodorus in Exenide ait, Aeneâ & Laviniâ natos, Mayllem, Mulem, Romumque. atque ab Romo urbi tractum nomen. Alcimus ait, ex Tyrrheniâ Aeneæ natum filium Romulum fuisse; atque eo ortam Albam, Aeneæ neptem: cuius filius, nomine Romus, condiderit urbem Romam. Antigonus, Italicæ historiæ scriptor, ait, Romum quemdam nomine, Iove conceptum, urbem condidisse in Palatio, eique Romæ dedisse nomen. Agathocles, Cyzicenarum rerum conscriptor, ait, vaticinio Heleni impulsum Aeneam Italiam petivisse, portantem suam secum nepotem, Ascanii filiam, nomine Romam: eamque, ut, Italiâ sint Phryges potiti, & iis regionibus maximè, quæ nunc sunt vicinæ urbi, primam omnium consecrasse in Palatio Fidei templum. in quo monte posteà quum conderetur urbs, visam esse justam vocabuli urbis Romæ causam à nomine eius, quæ prior eum locum dedicavisset Fidei. Ait idem Agathocles, complureis esse auctores, qui dicant, Aeneam sepultum in urbe Berecynthiâ, proximè flumen Nolon. atque ex eius progenie quemdam nomine Romum venisse in Italiam; & urbem Romam nominatam, condidisse. Plutarchus: Οὐ μὴν ἀδὲ οἱ Ῥωμύλον τῶν λόγων ἀποφαίνοντες ἐπώνυμον τῆς πόλεως, ὁμολογοῦσι περὶ τοῦ γένους αὐτοῦ. οἱ μὲν γὰρ Αἰνείᾳ καὶ Δεξιθέας, τῆς Φόρβαντος, γόνον ὄντα νήπιον, εἰς Ἰταλίαν κομισθῆναι, καὶ τὸν ἀδελφὸν αὐτοῦ Ῥῶμον· ἐπὶ δὲ τῷ σκάφῃ πλημμύρᾳ τῶν ἄλλων σκαφῶν διαφθαρέντων, ἐν ᾧ δὲ ἦσαν οἱ παῖδες, εἰς μαλακὸν ἀποκλιθέντος ὄχθῃ ἀτρέμα, σωθέντας ἀπροσδοκήτως, ὀνομασθῆναι Ῥώμῃ· οἱ δὲ Ῥώμῃ, θυγατέρα τῆς Τρωάδος ἐκείνης, Λατίνῳ, τῷ Τελεμάχῳ γαμηθεῖσαν, τεκεῖν τὸν Ῥωμύλον· οἱ δὲ Αἰμιλίαν, πρὸς Αἰνείου καὶ Λαβινίας, Ἀρὲ συγγνωμόνως. Hoc est: Quin nec inter eos, qui probatissima adferunt, qui Romulum contendunt urbi nomen posuisse, de origine eius convenit. alii quidpe eum Aeneæ atque Dexitheæ, Phorbantis filiæ, filium, admodùm infantem cum fratre Romo in Italiam fuisse deportatum adfirmant. quum autem reliqua navigia amne effuso perissent; illud verò, in quo pueri erant, ad ripam mollem placidè delatum esset; præter spem salvos evasisse. atque ita eum locum adpellatum fuisse Romam. Alii Romen, mulieris illius Trotanæ filiam, quæ Latino, Telemachi filio, fuit nupta. Romuli fuisse matrem adseverant. Alii rursum Aemiliam, Aeneæ & Laviniæ filiam, ex Marte concepisse aiunt. Dionysius: Ἔχων δὲ πολλὰς καὶ ἄλλας τῶν Ἑλληνικῶν παρέχεσθαι συγγραφέων, οἱ διαφόρως ἀποφαίνεσι τοῦ οἰκίσαντος τῆς πόλεως, ἵνα μὴ δόξαιμι μακηγορεῖν, ὅτι τοῦ Ῥωμαίων ἐλάττονα συγγραφεῖς. Παλαιὸς μὲν οὖν ἅπας συγγραφεὺς ἅπας λογογράφος ἐστὶ Ῥωμαίων ἀδὲ εἷς. ἐκ παλαιῶν μὲν τοι λόγων, ἐν ἱεραῖς δέλτοις σωζομένων, ἕκαστος ἡμῶν ἐπιγαλαθὼν ἀνέγραψε. Τούτων δὲ οἱ μὲν Αἰνείαν φυέσθαι λέγουσι Ῥωμύλου καὶ Ῥώμου, τοῦ οἰκίσαντος τὴν Ῥώμην. ἕτεροι δὲ θυγατρὸς Αἰνείου παῖδας· ὅτε δὲ πατρὸς, οὐκέτι διομολογοῦνται. διοθῆναι δ' αὐτὰς τῷ Αἰνείᾳ Λαβινίᾳ, τῷ βασιλεῖ

τῶν Ἀβορεγίνων, ἐμηρώσαντας, ὅτι αἱ πίστις τοῖς ὀλιχωρίοις περὶ σφῶν ἐπιλυθῆς ἐγίνοντο. ἀπαιτούμενον δὲ αὐτὸς Λατῖνον τὴν πάλαι ἱεροπρέπειαν εὐσεβῆ, ὀκνόν τι ἄρρεν καὶ ἄπαιδα πλουτῶντα, Δαυσχὸς μέρος ἴσης τῆς ἑαυτοῦ ἀρχῆς καταλιπεῖν. Ἄλλοι δέ λέγουσιν, Αἰνείας πλουτήσαντος, Ἀσκάνιον ἅπασιν τοῖς ἀρχαίοις ὑπερβαλόντα, νεμαθεῖς περὶ σφῶν ἀδελφὰς, Ῥωμύλον τε καὶ Ῥῶμον, τοῖς τε χώραν καὶ τοῖς ἀνδράσιν τῶν Λατίνων τροφὴν· αὐτὸν μὲν δὴ τοῖς τε Ἄλβαν κτίσαι καὶ ἄλλα ἄστα πολίσματα. Ῥῶμον μὲν Καπύλου μὲν ὄντα δὲ περιπάτου Καπυος, Ἀγχίσου δὲ τὸ ὕστερον κληθέντων Ἰλαίκλου, ὄντα δὲ πατρὸς, Ῥώμου δ' ἀφ' ἑαυτοῦ. τοῦτον δὲ χρόνους ἴσας ἐρημωθέντων, ἑτέρας αὖθις ἐλθούσης ἀποικίας, ὑπὸ Ἀλβανοῖ ἔσχαν, ἡγεμόνων Ῥωμύλου τε καὶ Ῥώμου, τὴν ἀρχαίαν κλῆσιν ἀπολαβεῖν· ὥστε διπλᾶς εἶναι τὴν Ῥώμην τὰς κλήσεις· τοῦ μὲν ὀλίγῳ ὕστερον τὴν Τρωϊκῶν ἡγεμόνων· τὴν δὲ πεντηκοστὸν ἡγεμονίας ὑστέρους τοῦ πατέρας. Hoc est: *Possem equidem & alios multos Græcorum scriptores adducere, qui de urbis conditoribus variant. verùm, ne nimis prolixus videar, præstat transire ad Romanos. Apud hos verò nemo exstat, neque historiæ neque veterum sermonum scriptor. Vnusquisque tamen aliquid ex antiquis desumpsit tabulis, quæ in templis servantur, dicatæ numinibus. Horum quidam volunt, Aeneæ fuisse filios Romulum & Romum, conditores urbis. alii, Aeneæ ex filiâ nepotes; patris tamen nomine non indicato. hos Aeneam Latino, Aboriginum regi, dedisse obsides ex fœdere, inter indigenas atque advenas icto. puerosque benignè apud regem habitos: & non solùm educatos liberaliter: verùm etiam, quum is absque virili prole decederet, relictos ex parte quadam hæredes regni. Alii dicunt, Aeneâ defuncto, Ascanium, ex asse regni hæredem relictum, adsumpto principatu, agros & opes Latinorum tripartitò divisisse cum Romulo ac Romo fratribus. ipsum deinde Albam condidisse, & alia quædam opidula: Romulum verò Capuam, à Capy proavo denominatum; Anchisam de Anchisæ avi sui nomine; de patris autem nomine Aeneam; quæ post fuit Ianiculum: Romam verò de suo. hanc desolatam aliquamdiu, rursus, Albanis aliam eò coloniam sub Romuli atque Romi ducta mittentibus, pristinam recuperasse formam: ita, ut jam eadem urbs intelligatur bis condita: semel, haud multo post belli Troiani tempora; iterum, ætate post priorem* XV. Posterioris *Romæ* conditores *Romulum* atque *Romum* posteà eodem libro tradit Numitoris fuisse ex filiâ nepotes: quos Romanus auctor T. Livius *Romulum & Remum* adpellat. Verùm de his antequàm plura dicamus, alia, adhuc fabula è Plutarcho ciranda est, ei, quæ de illis fertur, haud absimilis, ex eodemque haud dubiè fonte hausta. οἱ δὲ μυθώδη, inquit, παντάπασι περὶ τὴν γένεσιν διεξιασι. Ταρχετίῳ γὰρ, Ἀλβανῶν βασιλεῖ παλαιοτάτῳ δὲ ὠμοφαγίᾳ, Φάσμα δαιμόνιον εἶκει γενέσθαι. Φαλλὸν γὰρ ἐκ τῆς ἑστίας ἀναφῦναι, καὶ διαμεῖναι ἐπὶ πολλὰς ἡμέρας. εἶναι δὲ Τηθυος ἐν Τυρρηνίᾳ χρησμὸν, ἀφ' ἑκατομβαίαν τῷ Ταρχετίῳ χρησμὸν, ὥστε συμμίξαι τῷ Φάσματι παρθένον· ἔσεσθαι γὰρ ἐξ αὐτῆς παῖδα κλεινότατον ἁπάντων δὲ τύχῃ καὶ ῥώμῃ διαφέροντα. Φράσαντος δὲ τὸ μάντευμα δὲ Ταρχετίῳ μιᾷ τῶν θυγατέρων, δὲ συγγενέσθαι τῷ Φαλλῷ προσταξαι, αὐτὴν μὲν ἀπαξιῶσαι, θεράπαιναν δὲ εἰσπέμψαι. τὴν δὲ Ταρχέτιον, ὡς ἔγνω, καλεπῶς φέροντα, συλλαβεῖν μὲν ἀμφοτέρας δεῖ θανάτῳ, τὴν δ' Ἑστίαν ἱδόντα κατ' ὄψιν ὕπνος, ἀπαγορεύσαι αὐτῇ τὸν φόνον, ἰσον ἵνα παρεγγυῆσαι δὲ κόραις ὑφαίνειν δεδειδυίας, ὡς ὅταν ἐξυφήνωσι, τότε δοθήσονται πρὸς γάμον. ἐκείνας μὲν ἂν δι' ἡμέρας ὑφαίνειν, ἑτέρας δὲ νύκτωρ, δὲ Ταρχέτιος κελεύοντος, ἀναλύειν τὸν ἱστόν. ἐκ δὲ δὲ Φαλλοῦ τὸ θεραπαινίδος πικέσης δίδυμα, δεῖναί ἵνι Τεραλίῳ τὸ Ταρχέτιον ἀπολεῖν κελεύσαντα. τὸ δὲ θεῖναι Φερόντα δὲ πλησίον. εἶτα λύκαιναν μὲν δὲ Φοίνας, μαστὸν δίδοσαν ὄρνιθας δὲ ποικιλοδαπὰς, ψωμίσματα κομίζοντας, ἐνιδρύεσθαι τοῖς βρέφεσιν· ἀχρὶς δὲ βουλόμενον, ἰδόντα δὲ θαυμάσαντα, τολμῆσαι προσελθεῖν, δὲ ἀπολέσαι τὰ παιδία. τιμωρὸς δὲ τοῦ σωθῆναι αὐτοῖς γενομένης, ἐκθεραπεύσας δεῖ θεὸς τῷ Ταρχετίῳ δὲ κραδίαν. Ταῦτα μὲν ἂν Promathion λέγεται ἱστορίαν Ἰταλικὸν συντεθραμμένος, εἴρηκε δὲ δὲ πίστιν ἔχοντος λόγου μάλιστα δὲ πλείστας μαρτύρας, τὰ μὲν κυρίως πρῶτος εἰς δὲ Ἕλληνας ἐξέδωκε Διοκλῆς Πεπαρήθιος, ὃν καὶ φασι Πίκτωρα ἐν τοῖς πολιτικοῖς ἐπηκολουθηκέναι. Γεγόναζι δὲ καὶ πρὸ τούτων ἑτέραι διαφοραί. τύπῳ δὲ εἰπεῖν, πιστὸς ἐστι. Τῶν ἀπ' Αἰνείου γεγονότων ἐν Ἄλβᾳ βασιλέων, εἰς ἀδελφὼ δύο, Νομήτορα καὶ Ἀμύλιον, ἡ διαδοχὴ καθῆκεν. Ἀμυλίῳ δὲ νεμαθεῖς τὰ πάντα δίχα, τῇ βασιλείᾳ τὰ χρήματα δὲ τὰ ἐκ Τροίας κομισθέντα χρυσὰ ἀπεμάξησε, ἐβούλετο τὴν βασιλείαν ὁ Νομήτωρ. ἔχων δὲ ὁ Ἀμύλιος τὰ χρήματα, καὶ πλέον ἀπ' αὐτῶν δυνάμενος δὲ Νομήτορος, τῷ τε βασιλείαν ἀφελέσθαι ῥᾳδίως, καὶ, φοβούμενος ἐκ τὴν θυγατρὸς αὐτὸ γένεσθαι παῖδας, ἱερέαν τὴν Ἑστίας ἀπέδειξαν, ἄγαμον καὶ παρθένον ἀεὶ διαμένουσαν. διὸ τοῦτο μὲν Ἰλίαν, οἱ δὲ Ῥέαν, οἱ δὲ Σιλβίαν ὀνομάζουσι. Φορεῖται δὲ μὴν πολὺ χρόνου κυῦσαι δοκοῦσα τὰ καθεστῶτα τοῖς Ἑστιάσιν νόμοις. καὶ τὸ μὲν ἀνήκεστον μὴ παθεῖν αὐτὴν, ἡ δὲ βασιλέως θυγάτηρ Ἀνθὼ παρηιτήσατο, δεηθεῖσα δὲ πατρός· ἔρκτῃ δὲ, καὶ δίαιταν εἶχεν ἀνεπίμικτον, ὅπως μὴ λάθῃ τεκοῦσα τὸν Ἀμύλιον. ἔπεσε δὲ δύο παῖδας, ὑπερφυεῖς μεγέθη καὶ κάλλη· οἱ δὲ μᾶλλον ὁ Ἀμύλιος φοβηθεὶς ἐκέλευσεν αὐτοὺς ὑποβρύχιον λαβόντα ῥῖψαι. τὸν ἕνιοι Φαυστύλον ὀνομάζουσι λέγουσιν· οἱ δὲ ἄλλοι τὸν, ἀλλὰ τὸν ἀπελέμονα.

ὀνη-

ἐνήμφ@ σωῦ εἰς σκάφω τὰ βρέφη, κατίβη μὲρ ὅπι τὸν πόταμὸν, ὡς ῥᾴψεον· ἰδὼν δὲ καλὸν τὸ πολλῷ ῥόμαλι, ἢ τραχυτέρμον, ἔδεισε προσελθεῖν. ἐγγὺς δὲ τ ὀχθης καταθεὶς, ἀπηλάστερ· ὁ δὲ πόταμὸς κατακλύζοντ@, ἡ πλημμίρα τ σκάφω ὑπολαβοῦσα καὶ μετωρίσασα πράως, κατίπεγκεν εἰς χωρίον ὅπιθκῶς μαλθακὸν, ὃ νῦν Κερμανὸν καλοῦσι, πάλαι δ Γερμανὸν, ὡς ἔοικεν, ὅτι καὶ ἀδελφοὺς γερμανοὺς ὀνομάζυσιν· ὧ δὲ πλησίον ἱερεὺς, ὃν Ῥωμινάλιον σκάλουσι, ἢ διὰ τὸν Ῥωμύλον, ὡς οἱ πολλοὶ νομίζυσιν, ἢ διὰ τὸ τὰ μηρυκώμενα τῶν θρεμμάτων σκεῖ διὰ τὴν σκιὰν ἐνδιάζειν, ἢ μᾶλισα διὰ τ τ βρεφῶν ἡλασμὸν, ὅτι τὴν τ ἡλίκα ῥόμον ὠνόμαζον οἱ παλαιοὶ, καὶ θεὸν ἵνα τ σκεπτροφῆς τ ἠπίων ὅπιμελεῖσθ δοκοῦσαν, ὀνομάζυσι Ῥωμυλίαν, καὶ θύυσιν αὐτῇ ἠΦάλια, καὶ γάλα τῆς ἱερᾶς ὅπαπένδυσιν. ἐνταῦθα δ τῆς βρέφεσι κειμένοις, τὴν τ λύκαιναν ἱστορεῖσι ἡλοζομένην, ἐ θρυλλάπτην ἵνα παρᾶναι σωκκτρέφοντα καὶ φυλάττοντα· νομίζεσι δ' Ἄρεος ἱερὰ τὰ ζῶα. τὴ δ θρυλλάπτην ἐ Διὰ φερόπης Λατῖνοι σίβυναν, καὶ ἰαμῶσιν, ὅθεν ἔχ ἥκισα πίστ ἔχειν ἡ τικτοῦσα τὰ βρέφη, τέκειν ἐξ Ἄρε@ φάσκυσα. καίτοι τὸν παθεῖν αὐτὴν ἐξαπατηθεῖσαν λέγυσιν, ὑπὸ δ Ἀμυλίου διαφθαρεῖσαν, ἐν ὅπλοις ὅπιφαινόντ@ αὐτῇ, καὶ σωαρπάσαν@· οἱ δὲ τόκομα τ τροφὸ δι' ἀμφιβολίαν ὅπι τὸ μυθῶδες σκεπτοπλὴ τῇ φήμῃ ῥᾳθυμεῖν· λύκας γὰρ σκάλυν οἱ Λατῖνοι τ τε θηλείας τὰς λυκαίνας, καὶ τ γυναικῶν τὰς ἑταιρούσας. εἶναι δὲ πιαύτην Φαυστύλ γυναῖκα, ἣ τὰ βρέφη θρέψαι@, Ἄκκαν Λαρεντίαν ὄνομα. ταύτην δὴ καὶ θύυσι Ῥωμαῖοι, καὶ χοὰς ὅπιφέρ ἔτ Λαρεντίαις ἱερούς, ἐ Λαρεντίαν καλοῦσι τ ἱερπλώ· τὰ δ βρέφη Φαυστύλ@, Ἀμυλίῳ συφορβὸς, αἰείλετο λαβὼν ἄπαντας· ὡς δ' ἔνιοί Φασι, τ εἰκότων ἐχόμενον μᾶλλον, εἰδότ@ ἔ Νομήτορ@, καὶ συγχορηγοῦν@ τροφὰς κρύφα πῖς τρέφυσι. καὶ γεάμασα λέγουσι καὶ τἄλλα μανθάνειν οἱ παῖδες εἰς Γαβίους κομιθέντες, ὅσα χρὴ σοῦ εὖ γεγονότας. Κληθῆναι δ ἐ τότε ἀπὸ τ ἡλικῆς ἱερεῖσι Ῥωμύλον καὶ Ῥῶμον, ὅτι ἡλάζοντες ὤφθησαν τὸ θηλύ. Hoc est: *Alii planè fabulosa de ortu Romuli referunt. spectrum scilicet Tarchetio, Albanorum regi teterrimo ac sævissimo, divinum domi oblatum tale: Genitale ex foco eius masculini sexus exstitisse: per multosque dies comparuisse: atque oraculo, quod in Etruriâ Thetydis erat, responsum esse, uti virgo cum spectro coiret: ex qua filium virtute clarissimum fortunâque & robore orturum insignem. Hoc responsum Tarchetius quum uni ex filialibus exposuisset; jussisseque, ut cum genitali isto sese conjungeret; eam, quòd aspernabatur, submisisse ancillam. Tarchetium, ut rescivit, graviter offensum, ambas in vincula conjecisse; morte vindicaturum. sed quum Vesta ei in somnio oblata, deterruisset eum à cæde; telam in vinculis texere puellas jussisse: eâ lege, ut eâ detextâ elocarentur. atque illas texuisse interdiu: nocte, jussu Tarchetii, alias retexere telam solitas. Quum autem ancilla ex genitali illo geminos esset enixa; Teratio cuidam Tarchetium necandos tradidisse. illum ad fluminis ripam eos exposuisse. lupam inde adcurrentem lactasse, variique generis volucres alimenta minuta ori indidisse. bubulcum tandem, re cum admiratione conspectâ, accedere ausum, infanteis sustulisse. Ad hunc modum servatos educatosque evasisse Tarchetium, eumque superasse. Hæc equidem Promathion quidam, qui historiam de rebus Italicis conscripsit, ita retulit. cæterùm receptissimæ historiæ, & à pluribus adprobatæ, Diocles Peparethius præcipua primus apud Græcos edidit. quæ ut plurimùm Fabius Pictor sequitur. &, quamquàm in hac quoque varient; tamen ut brevibus absolvam, ea huiusmodi est. Ex Aeneæ posteris, qui Albæ regnarunt, ad duos fratres regnum devênit, Numitorem & Amulium. Vniverso patrimonio ab Amulio in sorteis diviso duas, regnoque cum pecuniâ & advecto Troiâ thesauro comparato, regnum sumpsit Numitor. Amulii quum essent ex argento, quàm Numitoris, ampliores opes; facile eum regno exsuit. eiusque filiam, quò perpetuo cœlibatu & virginitate liber ab huius partu foret, Vestæ sacerdotem legat: quam Iliam alii vocant; alii Rheam; nonnulli Silviam. Haud multo pòst deprehenditur, contra virginum Vestalium legem, prægnans esse. Ne postremo supplicio adficeretur; regis filia precibus à patre obtinuit Antho. in custodiam tamen, ne insciò pareret Amulio, data est, & remota ab hominum consortio. Illa gemellos edidit; mirâ corporis proceritate ac specie. Quare magis commotus Amulius, imperat ministro, uti eos exponat. nomen huic erat Faustulo. alii tamen non huic, verùm ei, qui posteà sustulit, id nominis fuisse tradunt. Minister infanteis imposuit alveo: atque, expositurus eos, descendit ad flumen. quod inflatum quum cerneret atque rapidum; non ausus accedere, ad proxima ripæ exposuit; recessit. Flumine evagato, suscipiens alveum alluvies, & leniter subvehens, in loco destituit satis molli. Germanum vocant nunc locum. olim verò Germanum adpellabant. scilicet, quia fratres vocant germanos. Erat juxtà ficus, quam Ruminalem dicebant, ut multorum fert opinio, à Romulo: vel, quod maximè probatur, propter puerorum lactationem. mammam quidpe vocabant rumam prisci: & deam, infantium educationis præsidem, Rumiliam dicunt: eique sacrificium faciunt absque vino, in quo lac libant. Ad pueros ibi jacenteis*

lupam, tradunt, lactantem cursum flexisse; & picum Martium nutriendis ac servandis præstò fuisse. Marti utrumque animal sacrum habetur. picum verò Martium præcipuo honore venerantur Latini. Vnde puerperæ maior fides, ex Marte se peperisse adseveranti. quamvis ab Amulio deceptam, qui armatus eam stupraverat, in eam venisse opinionem, credita est. Sunt, qui ferant, nutricis nomen ex vocis ambiguitate fabulæ locum dedisse. quidpe lupus Latini, præter vulgarem notamque significationem, etiam eas vocabant, quæ corpus vulgabant: cuiusmodi Faustuli, puerorum nutritii, uxorem fuisse, Accam Larentiam nomine. Huic quoque sacra Romani faciunt: & mense Aprili flamen Martialis ei libat. Festum Larentiar [fortè Larentalia] vocant. Cæterò Faustulus, regias subulens, infanteis clam omnibus sustulit. Alii veritati magis consona referunt. conscio nimirum Numitore, & alimenta 10
suppeditante secretò nutriciis, pueros literis omnique liberali disciplinâ Gabiis institutos. quia autem sugentes visi essent lupam, à papillâ Romulum & Romum vocatos. Eamdem historiam ex eodem auctore concisiùs sic refert Pompeius Festus: *Diocles Peparethius ait, Iliam, Numitoris, Albani regis filiam, gemellos edidisse: quos in imâ Tiberis ripâ à Faustulo, regio ministro, expositos juxta ficum, adpellatam posteà à Romulo Ruminalem. sic jacenteis lupam lactasse; & picum Martium nutrivisse. post repertos Accam Larentiam, Faustuli uxorem, educasse. Plerique tamen, conscio & alimenta præbente Numitore, nutritos aiunt: quòd Ilia ex Marte se peperisse eos adseverabat: ac secretò literis omnique liberali disciplinâ Gabiis institutos atque excultos fuisse: atque ita in musicis primam pueritiam traduxisse. Quum inter æqualeis omneis præstarent corporis proceritate & formâ; nominatos,* 20
alterum Romulum, Remum alterum. vel, quòd expositos in ripâ Tiberis lupa lactaverit, præbens rumam, monte vicino descendens; &, quòd reperti à Faustulo sunt educati; Romulus & Remus à rumâ nominati potissimùm. Eos, ubi, ex compressu Iliæ natos se, cognoverint; præterea, quo patre essent procreati, intellexerint; Numitori avo primùm restituisse regnum. deinde de urbe condendâ per auguria decrevisse, uter eam conderet nominaretque. ac deorum manifestâ adprobatione Romulum urbem condidisse: eamque nominasse Romam potiùs, quàm Romulam, de suo nomine, ut ampliore vocabuli significatione prosperiora patriæ suæ ominaretur. Eamdem fermè historiam de *Amulio* atque Numitore, deque huius filiâ & nepotibus *Romulo* ac *Romo* pluribus verbis refert Dionysius quoque Halicarnassensis dicto lib. 1; & item Livius lib. 1; Isaciusque Tzetza in commentariis ad 30
Lycophronem; Sex. Aurelius Victor in libro de Origine gentis Romanæ; & alii. quæ mahercules historia nihilo certior est primis illis compluribus variisque Græcorum fabulis, auditu absurdissimis ac maximè ridiculis putidisque. etenim, licèt ex antiquis tabulis, in templis suspensis, eam priscos Romanos collegisse adfirmet Dionysius: ut apud quos nulla alia fuerint literarum monimenta, antequàm ea à Græcis mutuati sint: tamen Plutarchus disertissimis testatur verbis, primum eam apud Græcos prodidisse Dioclem Peparethium: eumdemque postmodùm ex eius libris desumpsisse primum Romanorum scriptorum Fabium Pictorem. quod & ipse satis posteà, ubi eamdem refert historiam, agnoscit Dionysius, his verbis: Περὶ δὲ τῶν ἐκ τῆς Ἰλίας γεγομένων κόρων ὡς μὲν Φάβιος ὁ Πίκτωρ λέγομεν, ὁ Λούκιος τε Κίγκιος καὶ Κάτων ὁ Πόρκιος καὶ Πείσων Καλπέρνιος, καὶ τῶν ἄλλων συγγραφέων οἱ πλείστοι ἠκολούθησαν, τῇδε γεγράφθαι. 40
Id est: *De natis ex Iliâ pueris Q. Fabius Pictor, quem posteà sequuti L. Cincius, Porcius Cato, Calpurnius Piso, & plerique alii scriptores, sic tradit.* Fuisse *Romanorum scriptorum antiquissimum Q. Fabium Pictorem*, Livius quoque testatur lib. 1. Vulgò autem receptam fuisse apud Romanos isthanc de *Romulo Remoque*, urbis Romanæ conditoribus opinionem, non tantùm ex hactenus citatis, & quos alios complureis allegat Aurelius Victor in dicto libro de Origine gentis Romanæ auctoribus, sed etiam ex publicis actis & sacris patet. Herodianus lib. 1, de *Matre deûm* loquens, quæ & *Mater Idæa*, & *Dea Pessinuntia*, à locis adpellabatur: Ἐν δὲ τῷ προειρημένῳ Πεσσινοῦντι πάλαι μὲν Φρύγες ὠργίαζον ὅτε τῷ παρὰ Γάλλῳ προῤῥέοντι. ἐπεὶ δὲ Ῥωμαίων ἡγεμονία τὰ πράγματα, Φασὶν αὐτῆς χρησθῆναι, μένειν τε τὴν θεὸν ἔτι ἐς μέγα προχωρήσειν, εἰ τὴν Πεσσινοῦντιον θεὸν μεταχάγοιεν ὡς αὐτούς. πέμψαντες δὲ πρέσβεις εἰς Φρύγας, τὸ ἄγαλμα ἤτουν. ἔτυχεν δὲ ῥᾳδίως, συγχωρήσαντες προβαλόμενοι, ἢ τὴν ἀπ' Αἰνείου & Φρυγὸς εἰς αὐτοὺς διαδοχὴν καταλέγοντες. Hoc est: *In prædicto Pessinunte Phryges olim orgia colebant, apud præfluentem amnem Gallum. sed ubi res Romana crevit; responso accepto, mansurum imperium, & ad summum auctum iri, si Pessinuntiam deam ad se transferrent: missi in Phrygiam legati sunt, petitum deæ simulacrum. quod quidem facilè illis concessum est, consanguineos*

sese

sese dictitantibus, atque oriundos ab Aeneâ Phrygę. Tacitus Annal. lib. IIII: *Ne Ilienſibus quidem, quum parentem urbis Romæ Troiam referrent, niſi antiquitatis gloriâ pollebant.* Et eodem libro anteà, de funere Druſi: *Funus imaginum pompâ maximè inluſtre fuit: quum origo Iuliæ gentis Aeneas; omnesque Albanorum reges, & conditor urbis Romulus, pòſt Sabina nobilitas, Ap. Clauſus, cæteræque Claudiorum effigies, longo ordine ſpectarentur.* Solinus cap. II: *Vt adfirmat Varro, auctor diligentiſſimus, Romam condidit Romulus, Marte genitus & Rheâ Silviâ; vel, ut nonnulli, Marte & Iliâ. dictaque eſt primùm Roma quadrata; quòd ad æquilibrium foret poſita. ea incipit à ſilvâ, quæ eſt in areâ Apollinis, & ad ſupercilium ſcalarum Caci. habet terminum, ubi turgurium fuit Fauſtuli. ibi Romulus manſitavit: qui auſpicatò fundamenta murorum jecit, duodeviginti natus annos, XI Kalendas Maias, hora poſt ſecundam ante tertiam; ſicut L. Taruntius prodidit, mathematicorum nobiliſſimus: Iove in Piſcibus; Saturno, Venere, Marte, Mercurio, in Scorpione; Sole in Tauro, in Lunâ, in Librâ, conſtitutis. Et obſervatum deinceps, ne qua hoſtia Parilibus cæderetur: ut dies iſte à ſangvine purus eſſet. cuius ſignificationem de partu Iliæ tractam volunt.* Cicero de Divinatione lib. II: *L. quidem Taruntius Firmanus, familiaris noſter, in primis Chaldaicis rationibus eruditus, urbis etiam noſtræ natalem diem repetebat ab iis Parilibus, quibus eam à Romulo conditam accepimus: Romamque, quum eſſet in jugo Luna, natam eſſet dicebat. nec eius fata canere dubitabat.* Ovidius Μεταμορφώσεων lib. XIIII:

Proximus Auſonias injuſti miles Amuli
Rexit opes: Numitorque ſenex amiſſa, nepotum
Munere, regna capit. feſtisque Parilibus urbis
Mœnia conduntur.

Varro Rer. Ruſticar. lib. II cap. I: *Romanum populum à paſtoribus eſſe ortum, quis non dicit? quis Fauſtulum neſcit paſtorem fuiſſe nutricium, qui Romulum & Remum educavit? non ipſos quoque fuiſſe paſtores obtinebit, quòd Parilibus potiſſimùm condidêre urbem?* Nempe quia *Parilia* eadem dicebantur & *Palilia*: hæc autem à *Pale*, paſtorum deâ, adpellata putabantur. Svetonius in Caligulâ, cap. XVI: *Decretum autem, ut dies, quo cepiſſet imperium, Palilia vocaretur.* Varro de Lingvâ Latinâ lib. V: *Palilia dicta à Pale: quòd feriæ ei deæ fiunt; ut Cerealia à Cerere.* Virgilius Γεωργικῶν lib. III:

Te quoque magna Pales, & te memoranda canemus
Paſtor ab Amphryſo.

Ad quæ ita Servius: *Pales, ut diximus, dea eſt pabuli; quam alii Veſtam, alii Matrem deûm vocant. Huic ſacra ſolvuntur XI Kalendas Maius, die, quæ Palilia vocantur.* Ergo *Magna Pales* dicitur poëtæ, quia *Mater* etiam *deûm* vocabatur, & *Magna mater*, & *Magna dea*; ut Germaniæ lib. I cap. XXVII docui. Ovidius Faſtor. lib. IIII; de eodem die XI Kalendas Maias:

Nox abiit; oritur aurora: Palilia poſcor.
Non poſcor fruſtrà, ſi favet alma Pales.
Alma Pales faveas paſtoria ſacra canenti;
Proſequor officio ſi tua facta meo.

Et deinde:

Quæ precor eveniant; & nos faciamus ad annum
Paſtorum dominæ grandia liba Pali.

Paullo poſt:

Pars quoque cum ſaxis paſtores ſaxa feribant:
Scintillam ſubitò proſiluiſſe ferunt.
Prima quidem periit: ſtipulis excepta ſecunda eſt.
Hoc argumentum flamma Palilis habet.
An magis hunc morem pietas Aeneïa fecit:
Innocuum victo cui dedit ignis iter?
Hoc tamen eſt vero propius: quum condita Roma eſt;
Transferri juſſos in nova tecta lareis;
Mutanteisque domum tectis agreſtibus ignem
Et ceſſaturæ ſuppoſuiſſe caſæ.
Per flammas ſaliiſſe pecus, ſaliiſſe colonos.
Quod ſit natali nunc quoque, Roma, tuo.

Propertius lib. IIII eleg. IIII:

Vrbi festus erat. dixère Palilia patres.
Hic primus cœpit mœnibus esse dies.
Annua pastorum convivia, lusus in urbe,
Quum pagana madent fercula divitiis,
Quumque super raros fœni flammantis acervos
Trajicit immundos ebria turba dapes.
Romulus excubias decrevit in ocia solvi,
Atque intermissâ castra silere tubâ.

Ergo à Romulo primùm *Palilia* sive *Parilia* instituta? Id equidem ita illi etiam censuerunt, qui, teste suprà scripto Solino, ab *Iliâ*, Romuli matris, *partu Parilia* dicta tradiderunt. At negarunt hoc alii. unde Festus Pompeius: *Pales dicebatur dea pastorum; cuius festa Palilia dicebantur. vel, ut alii volunt, dicta Parilia, quoniam pro partu pecoris eidem sacra fiebant.* Et jam ante conditam Romam sacra hæc celebrata fuisse, testis est locupletissimus Plutarchus in dictâ Romuli vitâ. ὅτι μὲν οὖν ἡ κτίσις ἡμέρᾳ ἤγετο τῇ πρὸ ἐνδεκα καλανδῶν Μαΐων, ὁμολογεῖται· καὶ τὴν ἡμέραν ταύτην ἑορτάζουσι Ῥωμαῖοι, γενέθλιον τὴν πατρίδα ὀνομάζοντες. ἔθυσε μὲν ἄλλα καὶ πρὸ τῆς κτίσεως βουκολικῆς ἐν αὐτοῖς ἑορτὴν καὶ ταύτην τὴν ἡμέραν, καὶ Παλίλια προσηγόρευον αὐτήν. Id est: *Convenit inter omneis, conditam esse urbem XI Calendas Maias. quem diem Romani patriæ natalem adpellant; habentque festum. Quamquàm etiam, ante conditam urbem dies hic festo pastorali sacrum habebant; vocabantque Palilia.* Verùm enimverò, non omneis huic de *Romulo* narrationi fidem habuisse, disertè testatur idem Plutarchus continuò post enarratam eam historiam, his verbis: Ὧν τὰ πλεῖστα καὶ Φάβιος λέγοντος καὶ Πεπαρήθιος Διοκλέης, ὃς δοκεῖ πρῶτος ἐκδοῦναι Ῥώμης κτίσιν, ὕποπτον μὲν ἑνίοις ἐστὶ τὸ δραματικὸν καὶ πλασματῶδες. Οὐ δεῖ δὲ ἀπιστεῖν, τὴν τύχην ὁρῶντας· οἷον πεπράτων δημιουργός ἐστι, καὶ τὰ Ῥωμαίων πράγματα λογιζομένοις, ὡς οὐκ ἂν ἐνταῦθα πρεῦσαι δυνάμεως, μὴ θείας τινὰ ἀρχὴν λαβούσης καὶ μηδὲν μέγα μηδὲ παράδοξον ἔχειν. Hoc est: *Horum pleraque quum & Fabius referat & Peparethius Diocles; qui primus putatur de conditione urbis Romæ aliquid prodidisse; quidem suspectam habent eam narrationem, ut fabulosam atque commentitiam. Verùm haud fas est fidem ei derogare, quum cernamus, quanta vis sit fortunæ: utique si consideremus, rem Romanam sine divino aliquo auspicio & magno miraculo non fuisse eò potentiæ prægressuram.* Hoc sanè satis frigidum ac frivolum satisque futile argumentum. Meliùs itaque ac prudentiùs Livius in præfatione operis: *Quæ ante conditam condendamve urbem poëticis magis decora fabulis, quàm incorruptis rerum gestarum monimentis traduntur, ea nec adfirmare nec refellere in animo est.* En, ut apertè fatetur, fabulosa sibi videri, quæ de origine conditoribusque urbis Romæ scripturus est. Pergit ita: *Datur hæc venia antiquitati, ut miscendo humana divinis, primordia urbium augustiora faciat. & si cui populo licere oportet consecrare origines suas, & ad deos referre auctores; ea belli gloria est populo Romano, ut suum conditorisque sui patrem Martem potissimùm ferat. tam & hoc gentes humanæ patiantur æquo animo, quàm imperium patiantur.* Et lib. V: *In rebus tam antiquis, si, quæ similia veri sint, pro veris accipiantur, satis habeam. hæc ad ostentationem scenæ, gaudentis miraculis, aptiora, quàm ad fidem, neque adfirmare neque refellere operæ pretium est.* Sanè in tantum gravissimus rerum Romanarum scriptor Sallustius ab hac de Romulo fabulâ abhorruit, uti, nulla prorsus eius factâ mentione, primordia urbis Aeneæ cæterisque Troianis hisque junctis Aboriginibus tribuerit. Verba eius initio historiæ de bello Catilinario hæc sunt: *Vrbem Romam, sicuti ego accepi, condidère atque habuère initio Troiani, qui, Aeneâ duce, profugi, sedibus incertis vagabantur: cumque his Aborigines, genus hominum agreste, sine legibus, sine imperio, liberum atque solutum. Hi postquàm in una mœnia convenêre, dispari genere, dispari linguâ, alius alio more viventes, incredibile memoratu est, quàm facilè coaluerint.* Diocles igitur iste Peparethius, homo Græcus, haud dubiè ex omnibus illis suprà recitatis Græcotum variis diversisque fabulis, simulque ex quibusdam Romanorum sacris, paullo, quantum in tantâ auctorum discrepantiâ fieri potuit, probabiliorem historiam construxit: quam posteà ipsi Romanorum vetustissimi optimique scriptores, ob id ipsum, quia cæteris probabilior videbatur, sequuti sunt. neque enim veri & simile, Dioclem solum, præ omnibus aliis Græcis, certiora quædam verioraque somniasse; quum apud Romanos ipsos nihil monumenti eâ de re exstiterit,

præter

præter dictas tabulas, in deorum templis suspensas, quas ipsas haud perinde probavit Fabius Pictor, quin potiorem duxerit Græci hominis fidem. nec immeritò quidem: quando ex iisdem tabulis varias opiniones trahi posse videbat, *alii* quidpe, teste suprà citato Dionysio, *Romulum & Romum Aeneæ filios, alii ex filiâ nepotes*, & nescio quas non prætereà nugas tradiderunt. Livii verba initio statim libri VI sunt ista: *Quæ ab conditâ urbe Româ ad captam eamdem urbem Romani sub regibus primùm, consulibus deinde ac dictatoribus decemvirisque ac tribunis consularibus gessêre foris bella, domi seditiones, quinque libris expositi: res, cùm vetustate nimiâ obscuras, velut quæ magno ex intervallo loci vix cernuntur; tum, quòd perraræ per eadem tempora literæ fuêre; una custodia fidelis memoriæ rerum gestarum: & quòd etiam, si quæ in commentariis pontificum aliisque publicis privatisque erant monumentis, incensâ urbe pleræque interiêre. Clariora deinceps certioraque ab secundâ origine, velut ab stirpibus lætiùs feraciúsque renatæ urbis, gesta domi militiæque exponentur.* Parum igitur vel nihil certi de iis, quæ ante captam incensamque urbem gesta fuerunt, scribere potuerunt Romani auctores. Ipsós Græcos nulla apud se eâ de re habuisse documenta, luculentus testis est Plinius, Romanus homo, lib. III cap. V, his verbis: *Theophrastus primus externorum aliqua de Romanis diligentiùs scripsit. nam Theopompus, ante quem nemo mentionem habuit, urbem dumtaxat à Gallis captam dixit: Clitarchus, ab eo proximus, legationem tantùm ad Alexandrum missam.* Et prædictus Dionysius, in præfatione operis: Οὐδεμία ἀκριβὴς ἐξελήλυθε πρὸς τῶν Ῥωμαίων Ἑλλήνων ἱστορία μέχρι τοῦ καθ' ἡμᾶς χρόνων, ὅτι μὴ κεφαλαιώδεις ἀπαρτισμοί, πάνυ βραχεῖαι. πρῶτον μὲν, ὅσα καὶ εἰδέναι, τὴν Ῥωμαϊκὴν ἀρχαιολογίαν ἀπιδραμόντος Ἱερωνύμου τοῦ Καρδιανοῦ συγγραφέως, ἐν τῇ πρὸς τοὺς ἐπιγόνων πραγματείᾳ· ἔπειτα Τιμαίου τοῦ Σικελιώτου, τὰ μὲν ἀρχαῖα τῶν ἱστορικῶν ἐν τοῖς καινοῖς ἱστορίαις ἀφηγησαμένου, σὺν ἧ πρὸς Πύρρον τὸν Ἠπειρώτην πολέμους εἰς ἰδίαν καταχωρίσαντος πραγματείαν· ἅμα ἢ τούτοις Ἀντιγόνου τε καὶ Πολυβίου καὶ Σιληνοῦ, καὶ μυρίων ἄλλων, τοῖς αὐτοῖς πράγμασιν οὐχ ὁμοίως ἐπιβαλόντων· ὧν ἕκαστος ὀλίγα, καὶ οὐδὲ αὐτὰ διεσπουδασμένως ἅδε ἀκριβῶς, ἀλλ' ὅσα τοῖς ἐπιτυχόντων ἀκουσμάτων συνθεὶς, ἀνέγραψεν. ὁμοίως δὲ καὶ τοῦτοις οὐδὲν διαφόρως ἐξέδωκαν ἱστορίας καὶ Ῥωμαίων ὅσοι τὰ παλαιὰ ἔργα τῆς πόλεως Ἑλληνικῇ διαλέκτῳ συνέγραψαν· ὧν εἰσι πρεσβύτατοι, Κόιντος Φάβιος, Λεύκιος Κίγκιος, ἀμφότεροι τοῦ Ῥωμαϊκοῦ πολέμους. τούτων ἢ τῶν ἀνδρῶν ἑκάτερος, οἷς αὐτὸς ἔργοις παρεγένετο, διὰ τὴν ἐμπειρίαν ἀκριβῶς ἀνέγραψε· τὰ δὲ ἀρχαῖα τῆς μετὰ ταῦτα πόλεως ἡμῶν κεφαλαιωδῶς ἐπέδραμε. Hoc est: *Nullum hactenus de rebus Romanis adcuratum scriptum apud Græcos exstat: exceptis summariis quibusdam compendiis, admodùm brevibus. Et primus, quod ego quidem sciam, scriptorum Hieronymus Cardianus antiquitates Romanas cursim attigit in opere de Epigonorum rebus gestis. deinde Timæus Siculis; res priscas complexus universali historiâ; Pyrrhi Epirensis bellis privatim dicato volumine. tum Antigonus, Polybius, Silenus, & innumeri alii, res easdem haud eodem modo adgressi. quorum unusquisque parum aliquid, ac ne id quidem debitâ curâ & diligentiâ, sed ut ex fortuitis rumoribus collegerat, scripto prodidit. Nec absimileis historias ediderunt, quotquot Romani homines urbis suæ res antiquas Græco sermone conscripserunt. quorum vetustissimi Q. Fabius & L. Cincius; ambo æquales bellis Punicis. Horum uterque ea, quibus ipse interfuit, ut probè sibi cognita, diligenter mandavit literis. quæ verò olim post urbem conditam deinceps consequuta sunt, contenti fuêre summatim percurrere.* Quidquid igitur de *Romulo* ac *Remo*, quem Græci, primi huius vocabuli fictores, omnes pariter adpellant *Romum*, sive Romani seu Græci prodiderunt, mera est fabula, per se satis absurda & inepta: in qua neque de patre puerorum, neque de matris nomine, neque de expositore, nec de sublatore, nec de nutrice, quidquam certi constat. Eccui verò credibile fiat, maluisse in longiùs disito Tiberi amne perire pueros Amulium, Albanorum regem, quàm in proximo contiguoque immensæ profunditatis lacu Albano? Quis credat, ministrum regium, qui in tam gravi negotio haud dubiè jurejurando ab Amulio adactus fuisset, tam temerè in ripâ amnis vivos pueros reliquisse? Sed, uti innumera alia leviora mittamus, quis credat, *Romulum, ut ampliore*, quod ait Festus, *vocabuli significatione prosperiora patriæ suæ ominaretur, Romam* maluisse *nominare urbem à se conditam, quàm de suo nomine Romulam:* quum satis intelligere potuisset, posteris visum iri id vocabulum urbi impositum de fratris *Romi* nomine, quem adeò gloriæ ædificatæ novæ urbis participem noluisse tradunt isti scriptores, uti etiam ad prima mox eius fundamenta eum interfecerit. Verùm absurdum hoc quum ipsi jam inde antiquissimi Romano-

rum scriptores animadverterent, fratris Romuli nomen, quod omnes, ut dixi, Græci referunt Ῥῶμον, *Romum*; illi mutarunt in *Remum*: uti eâ demum ratione urbis adpellatio propiùs ad *Romuli*, quàm *Remi*, nomen accedere videretur. Eam tamen rationem Varroni posteà non placuisse, ex prædicto Festo patet. cuius verba suprà scriptis subjunguntur ista: *Romam anteà Romulam adpellatam, Terentius quidem Varro ait, fuisse ab Romulo. deinde detortam vocem detritasque literas fuisse, credibile.* At hoc ille nemini persvaserit, nisi, cui jam antè persvasum fuerit, nullum Romulo fuisse fratrem *Romum*. Verùm aliter alii tradiderunt auctores; ex quibus hoc habuit Servius ad Virgilii Aeneid. lib. I: *Remus prior* VI *vultures vidit; Romus posteà* XII. *quæ res bellum creavit; in quo exstinctus est Remus. & à Romi nomine Romani adpellati. Vt autem pro Romo Romulus diceretur, blandimenti gratiâ factum est.* Sed & illi satis ridiculos sese prodiderunt homines, qui, geminam urbis ædificationem, ut refert Dionysius, colligentes, primam Ascanii, Aeneæ filii, fratribus Romulo ac Romo, alteram itidem Romulo & Romo, Iliæ filiis, Numitoris nepotibus, attribuerunt. Scilicet, in fatis fuisse videtur, uti nulli alii homines Romam, vetustate ac nescio qua calamitate desolatam, instaurarent, quàm qui eadem cum primis conditoribus ferrent nomina.

Verùm longiùs hunc *Romulum* ab urbis Romæ ædificatione removere conabimur. Mater eius, ut suprà intellectum, habebatur Numitoris, Albanorum regis, filia nomine *Ilia*; sive, ut alii tradiderunt, *Rhea Silvia*. At deam fuisse *Rheam*, Saturni, ut quidam voluerunt, uxorem. Latinis *Opem* dictam, vulgò notum est. de hac ita Strabo lib. X: Καὶ οἱ Φρύγες, καὶ τῶν Τρώων οἱ σὺν τῷ Ἴδῃ κατοικοῦντες, Ῥέαν μὲν καὶ αὐτοῖ λιμῶσι, καὶ ὀργιάζουσι ταύτῃ, Μητέρα καλοῦντες θεῶν, καὶ Ἄγδεστιν, καὶ Φρυγίαν, καὶ Θεὸν μεγάλην· ἀπὸ δὲ τόπων, Ἰδαίαν, καὶ Δινδυμηνὴν, καὶ Πυληνὴν, καὶ Πεσσινουντίδα, καὶ Κυβέλην. Id est: *Phryges etiam, & ex Troibus qui Idam adcolunt, Rheam venerantur; eique orgia peragunt; Matrem adpellantes deorum & Adgestin & Phrygiam & Magnam deam; à locis verò Ideam, Dindymenen, Pylenen, Pessinuntiam, & Cybelen.* Eamdem & *Palen*, & cognomine *Magnam Palen* Latinis fuisse adpellatam, suprà ex Virgilio atque Servio intelleximus: ubi Servius, *Pales*, inquit, *quam alii Vestam, alii Matrem deûm vocant.* Eamdem *Terram matrem* fuisse dictam, suprà memoratæ Germaniæ lib. I cap. XXVII docui. unde Ovidius Fastor. lib. VI:

Vesta eadem est & terra. subest vigil ignis utrique:
Significant sedem aëra focusque suam.

Hinc igitur antiquissimus ille Latinis mos ignis accendendi in festo *Paliliorum*; ut suprà ex Propertii lib. IIII eleg. IIII & Ovidii Fastor. lib. didicimus. Atque ne dubites Ovidium hoc loco intellexisse *Vestam*; en, apertè eam nominat eodem loco posteà, sic de Romulo canens:

Vox fuit hæc regis: Condenti, Iupiter, urbem,
Et genitor Mavors Vestaque mater ades.

Rhea igitur isthæc *Silvia* nulla fuit homo, Numitoris aliusve mortalis filia; sed dea, toti terrarum Orbi, ut dicto Germaniæ lib. I cap. XXVII docui, sub pluribus nominibus culta. quæ & ipsa, ut cæteris illis à locis tractis adpellationibus, ab *Ilio* etiam dicta est *Ilia*; & Latinis pastoribus, quibus *pecorum pabulorumque*, ut suprà didicimus, dea habebatur, à *silvis Silvia*.

Videamus nunc ergo de *Romulo* etiam. Hunc, in deûm numerum relatum, alio nomine *Quirinum* dictum fuisse, legimus. Ovidius Transformationum lib. XIIII:

Innixusque hastæ pressos temone cruento
Impavidus conscendit equos Gradivus: & ictu
Verberis increpuit: pronumque per aëra lapsus,
Constitit in summo nemorosi colle Palati:
Reddentemque suo non regia jura Quiriti
Abstulit Iliaden. corpus mortale per auras
Dilapsum tenueis: ut latâ plumbea fundâ
Missa solet medio glans intabescere cælo.
Pulcra subit facies; & pulvinaribus altis
Dignior est, quàm sit trabeati forma Quirini.

Et Fastor. lib. II:

Proxi-

Proxima lux vacua est. at tertia dicta Quirini.
Qui tenet hoc nomen, Romulus antè fuit.
Sive, quòd hasta quiris priscis est dicta Sabinis,
Bellicus à telo venit in astra deus:
Sive suo regi nomen posuêre Quirites:
Seu, quia Romanis junxerat ille Cureis.

Apud Virgilium Aeneid. lib. 1 Iupiter Veneri ita prædicit de futuro Romanorum imperio:

Romulus excipiet gentem, & Mavortia condet
Mœnia; Romanosque suo de nomine dicet.
Cana Fides & Vesta, Remo cum fratre Quirinus
Iura dabunt.

Ad hæc Servius: *Romulus ideò Quirinus dictus est, quòd hastâ utebatur; quæ Sabinorum linguâ curis dicitur. unde & securis, quasi semicuris. vel à κύριος, qui Græcè rex dicitur. vel propter generis nobilitatem. Mars enim quum sævit, Gradivus dicitur: quum tranquillus est, Quirinus.* Festus: *Matronæ Iunonis Curitis in tutelâ sunt: quæ ita adpellabatur à ferendâ hastâ; quæ linguâ Sabinorum curis dicitur.* Plutarchus in Romulo: Τὸ δὲ ὄνομα θέλων ἐπωνυμίαν τῷ Ῥωμύλῳ τὸν Κυρῖνον, οἱ μὲν Ἐνυάλιον προσαγορεύουσιν, οἱ δ' ὅπλα τοὺς πολίτας Κυρίτας ὠνόμαζον· οἱ δὲ, τὸ αἰχμὴν ἢ τὸ δόρυ τοὺς παλαιοὺς Κυρῖνον ὀνομάζειν· καὶ Κυρίτιδος Ἥρας ἄγαλμα καλεῖν ἐπ' αἰχμῆς ἱδρυμένον. ἐν ᾗ τῇ ῥηγίᾳ δόρυ καθιδρυμένον, Ἄρεα προσαγορεύειν· καὶ δώρεαν τοὺς ἐν πολέμοις ἀριστεύοντας γεραίρειν. ὡς οὖν Ἀρήϊον ἴνα Ῥωμύλον, ἢ αἰχμητὴν θεὸν, ὀνομαθῆναι Κυρῖνον. Hoc est: *At Quirinum dictum Romulum volunt alii quasi Martem: alii, quòd cives Romani etiam Quirites dicerentur: alii à quiri; quod hastam priscis significabat. & Quiritidis Iunonis adpellari simulacrum, quod hastæ impositum. in regiâ item collocatam hastam, Martem significare. tum eos, qui bello strenuè fecissent, hastâ solitos donari. Ergo, quasi Martialem Romulum; aut hastatum deum, nomen invenisse Quirini.* De origine Sabinorum urbis *Curium* ita tradit Dionysius Halicarnassensis lib. 11: Περὶ δὲ τὴν Κυρτῶν πόλεως ποιοῦμαι παρελάβομεν· Ἐν τῇ Ῥεατίνων χώρᾳ, καθ' ὃν χρόνον Ἀβορίγινες αὐτὴν κατεῖχον, παρθένος ἐξ ἐπιχωρίας ἐς πρώτης ἥβης εἰς ἱερὸν ἦλθεν Ἐνυαλίου χορεύσασα· τὸν δ' Ἐνυάλιον οἱ Σαβῖνοι, καὶ παρ' ἐκείνων οἱ Ῥωμαῖοι μαθόντες, Κυρῖνον ὀνομάζουσιν. ἐν ᾗ δὲ θεὸς τῷ τεμένει χορεύσασα ἡ παῖς, ἔνθεος ἄφνω γίνεται· καὶ καταλιποῦσα τὸν χορὸν, εἰς τὸν οἶκον εἰσέρχεται δι' ἑαυτῆς. ἐπὶ τε ἐγκύμονι ἐκ δαίμονος, ὡς ἀπαύγασιν εἰδυίᾳ, ἡμέρᾳ, λοχεύει παῖδα, Μέδιον ὄνομα, Φίδιον ἐπίκλησιν. ὃς αὐξηθείς, μορφῇ τε καὶ κατ' ἄνδρωπον, ἀλλὰ δαιμόνιον ἴσχει, καὶ τὰ πολέμια πάντων γίνεται λαμπρότατος. καὶ αὐτὸν εἰσέρχεται πόθος οἰκίσαι πόλιν ἀφ' ἑαυτοῦ. συναγαγὼν δὴ χεῖρα πολλὴν τῶν ἀεὶ ἐκείνοις τοῖς χωρίοις οἰκούντων, ἐν ὀλίγῳ πάνυ χρόνῳ κλῆσι τοὺς καλεμένους Κύρης, ὡς μὲν ἄλλοι ἱστοροῦσιν, ἀπὸ δαίμονος, ἐξ ἧς ἐγένετο αὐτὸν λόγος εἶχε, τύχαις τῇ πολλῇ μᾶλλον· ὡς δ' ἕτεροι γράφουσιν, ἀπὸ τῆς αἰχμῆς· κύρης γὰρ οἱ Σαβῖνοι τὰς αἰχμὰς καλοῦσιν. Ταῦτα μὲν οὖν Τερέντιος οὐάρρων γράφει. Hoc est: *De Curitum urbe sic accepimus. In Reatino agro, quo tempore Aborigines eum tenebant, virgo quædam indigena, principali genere nata, Martis templum ad choros celebrandos intraverat. hunc Sabini, hosque sequuti Romani, Quirinum indigetant. In huius igitur dei fano saltans puella, repentè divino furore correpta, chorum deseruit; & in sacrarium dei curriculo sese proripuit. dein à loci genio compressa, ut vulgò creditum est, puerum edidit, nomine Medium, cognomine Fidium. is virilem ætatem ingressus, & formâ supra hominem fuit, & in re militari longè clarissimus evasit. quumque captus esset condendæ urbis cupidine; magnâ ex finitimis agris multitudine collectâ, intra perbreve tempus Cureis condidit; quas sic, ut quidam opinantur, à genio, cuius dicebatur filius, nominavit; vel; ut alii volunt, ab hastâ. quidpe hastas Sabini vocant cureis. Atque hæc equidem Terentius Varro tradit.* En tibi nativa & germana cunabula, ex quibus prodiit *Romuli* simul & urbis *Romæ* origo. Nempe, quum antiquissimi mortales hoc prodidissent de *Curium* primordio; ex qua urbe, ut superiori capite dictum, *Aborigines* simul cum *Pelasgis*, quum jam uno nomine vocarentur *Latini*, profecti, *Romam* urbem occuparunt: Romanorum posteà scriptores suæ id tribuerunt urbis origini; *Quirinum*, id est, *Martem*, qui à *Curibus* sic videbatur adpellatus, à suâ etiam *Româ* adpellantes Ῥωμύλον, *Romulum*. Et conveniebat hoc cognomen cum maximè Marti; quando ipsa *Roma*, ut mox infrà ostendetur, à *robore* ac *viribus* hoc nominis habuit. unde Festus: *Romulum quidam à ficu ruminali, alii, quòd lupæ rumâ nutritus est, adpellatum esse, ineptissimè dixerunt. quem credibile est, à virium magnitudine, item fratrem eius,*

adpella-

adpellatos. Et ex Festo breviator eius Paul. Diaconus: *Romulus & Remus à virtute, hoc est, à robore adpellati sunt*. Ἐνυάλιον autem *Martis* esse cognomentum, præter alios auctores, disertis verbis testatur Macrobius Saturnalior. lib. I cap. XVIIII. *Quæ de Libero patre*, inquit, *dicta sunt, hæc Martem eumdem ac Solem esse demonstrant. siquidem plerique Liberum cum Marte conjungunt; unum deum esse monstrantes. Vnde Bacchus* Ἐνυάλιος *cognominatur; quod est inter propria Martis nomina*. Festus: *Ordo sacerdotum æstimatur deorum maiestate; ut maximus quisque. Maximus videtur Rex: dein Dialis: post hunc Martialis: quarto loco Quirinalis*. Mox: *Martialis; quòd Mars conditoris Vrbis parens: Quirinalis, socio imperii Romani Curibus adscito Quirino*. At idem *Quirinus* etiam erat *Ianus*. Macrobius Saturnalior. lib. I cap. VIIII: *In sacris invocamus Ianum Quirinum, quasi bellorum potentem; ab hastâ; quàm Sabini curim vocant*. Svetonius in Augusto, cap. XXII: *Ianum Quirinum, terrâ marique pace partâ, ter clusit*. Scilicet, omnium gentilium deorum numina ac nomina ad unum solum numen spectabant; cui ab variis effectibus varias imposuêre adpellationes; ut Germaniæ lib. I innumeris documentis à nobis ostensum. Hactenus igitur falsus urbis Romanæ conditor *Romulus*, satis remotus est. quo prostrato, nihil est, quod aliquis mihi heic ampliùs proavos eius, certâ serie ab Aeneâ stirpem ducenteis, obtendat; *Ascanium, Silvium, Aeneam Silvium, Latinum Silvium*, & cæteros hinc omneis eodem *Silvii* cognomine, *Albam, Atyn, Capyn, Capetum, Tiberinum, Agrippam, Romulum Silvium, Aventinum, Procam, Numitorem*. de quibus quid certi vel Græci vel Romani scriptores ex tam incertis, ut suprà demonstratum, tamque fabulosis commentitiisque tradere potuerint, monimentis cuivis collectu facillimum est. undefactum, uti heic etiam mirum in modum varient posteriores auctores. nam ab Livii ordine, quem modò perscripsi, ita post Albam variat Dionysius: *Capetus, Capys, Calpetus, Tiberinus, Agrippa, Alladius, Aventinus, Proca, Numitor*. rursus sic Ovidius Fastor. lib. IIII: *Aeneas, Iulus, Silvius, Latinus, Alba, Epitus, Capys, Calpetus, Tiberinus, Agrippa, Remulus, Aventinus, Proca, Numitor*. at Μεταμορφώσεων lib. XIIII ita: *Ascanius, Silvius, Latinus, Alba, Epitus, Capys, Capetus, Tiberinus, Acrota, Remulus, Aventinus, Palatinus*. Isacius Tzetza in Scholiis ad Lycophronem sic: *Ascanius, Silvius, Aeneas, Latinus, Capes, Tiberinus, Amulius, Aventinus, Numitor*. At omnium pauciſſimos refert Sex. Aurel. Victor, in libro de Origine gentis Romanæ. *Ascanium Silvium, Latinum, Tiberium, Aremulum, Aventinum, Procam, Numitorem*.

Omnia igitur hæc ex tam variâ narratione quum falsa & confictia esse deprehendantur, ipsum nunc *Aeneam* quoque paullo diligentiori manu excutiamus. Primùm omnium Dio Chrysostomus toto libro, quem privatim eâ de re composuit, negat Troiam umquàm fuisse captam: totamque hanc fabulam poëticè vult esse confictam. Strabo verò lib. XIII, in descriptione Troadis, ex ipso ostendit Homero, Aeneam mansisse in Troiâ, inque regnum successisse post Priamum regem. Verba eius hæc sunt: Εἴσι δέ τινες ἡ μὲν πάλαι Σκῆψις ἐπάνω Κεβρηνίας κατὰ τὸ μεσογαίτιον τῆς Ἴδης· ὕστερον δὲ καλωτέρα συνοίκησις ἐξήνεγκε εἰς τὴν νῦν Σκῆψιν μεγάλη πόλιν τὸ Σκαμανδρίᾳ τι δὲ Ἑκτορικὴ Ἀσκανίᾳ δὲ Αἰνείᾳ παιδός. καὶ δύο ἢ τρία ταῦτα βασιλεύσαντα πολὺ χρόνον ἐν τῇ Σκήψει λέγεται. εἶτα ταῦτα δὴ εἰς ὀλιγαρχίαν μετέστησαν· εἶτα Μιλήσιοι συνεπολέμησαν αὐτοῖς, καὶ δημοκρατίας ὕστερον· οἱ δὲ ἀπὸ τῆς ἀρχῆς ἐκεῖθεν ἦσαν ἐκπεσόντες βασιλέως, ἔχοντές τινας ἡμᾶς. Οἴεται δὲ Δημήτριος ὁ Σκήψιος, καὶ βασιλέα δὲ Αἰνείαν γενέσθαι τὴν Σκῆψιν, μέσην οὖσαν τῆς ἀπὸ τῶν Αἰνείου καὶ Λυρνησσοῦ· εἰς ἣν φυγεῖν εἰρῆσθαι διωκόμενον ὑπὸ δὲ Ἀχιλλέως· φησὶ γοῦν ὁ Ἀχιλλεύς·

Ἦ ῥ᾽ μέμνη, ὅτε πέρ σε βοῶν ἀπὸ μοῦνον ἐόντα
Σεῦα κατ᾽ Ἰδαίων ὀρέων ἐλάτῃσι πόδεσσι·
Κεῖθεν δ᾽ εἰς Λιρνησσὸν ἐπέκφυγες· αὐτὰρ ἐγὼ τὴν
Πέρσα μεθορμηθείς.

Οὐχ ὁμολογεῖ δὲ τῷ ὠθεῖ τὴν ἀρχηγέτην τῆς Σκήψεως λόγῳ τῷ λεχθέντι νῦν τὸ ὠθεῖ δὲ Αἰνείᾳ θρυλλούμενα. ὠθεῖσθαι γὰρ δή τέτον φασὶν ἐκ δὲ πολέμου δὴ τὸν πρὸς Πέλοπα δυσμάχου·

——— Αἰεὶ γὰρ Πελόπῃ ἐπεμαίνετο θυμῷ,
Οὕνεκ᾽ ἄρ᾽ ἐσθλὸν ἑοῦσα μετ᾽ ἀνδράσιν ἔπτα θύγατρα

Τὰς πανάρχονθας Ἀντιφορίδας καὶ αὐτὸν τὴν Ἀντιφόρα δὴ τὸν Μενελάου παρ᾽ αὐτοῦ ξενίαν. Τὸν μὲν οὖν Ἀντιφόρα καὶ σὺν παῖδας μετὰ τῶν ἀχαιομοιρόων Ἑνετῶν εἰς τὸν Θρᾴκιον ἀπικέσθαι. κἀκεῖθεν ἀναπεσεῖν εἰς τὸν λεγόμενον κόλπον Ἀδρίαν Ἐνετικόν. τὸν δὲ Αἰνείαν μετ᾽ Ἀγχίσου δὲ πατρὸς

καὶ δὲ

καὶ ἓξ παῖδὸς Ἀσκανίου λαὸν ἀθροίσαντα πλεῦσαι. Ἓξ οἱ μὲν οἰκῆσαι περὶ τὴν Μακεδονικὴν Ὄλυμπον φασιν· οἱ δὲ περὶ Μαντίνειαν τῆς Ἀρκαδίας, κλῆσαι Καπύας, ἀπὸ Κάπυος ἡγεμόνος τῆς πλεύσεως· οἱ δ' εἰς Λιλύβαιον καταφέρειν, καὶ πλησίον περὶ Λιλύβαιον περσαγορεῦσαι Σκάμανδρον καὶ Σιμόεντα· ἔνθεν δ' εἰς τὴν Λατίνων ἐλθόντας μεῖναι καὶ ἃ λόγιον, τὰ κελεῦον μένειν ὅπου αὐτοὺς τὰ τράπεζαν καταφαγοῖ· συμβλῶσαι δ' ἐν τῇ Λατίνῃ περὶ τὸ Λαβίνιον τοῦτο, ἄρτου μεγάλου πηλίνου καὶ ἀπέλαιον, καὶ ἅμα ἀναλωθέντος τοῖς ἐπ' αὐτῷ κρέασιν· Ὅ μηδὲ μὴ τοι σωτηρεῖν ὑδετέρους ἔοικεν, ὁδὲ τοῖς περὶ τὸν ἐρχηγετῶν τῆς Σκήψεως λεχθεῖσιν. ἐμφαίνει γὰρ μεμνησθαι τὸν Αἰνείαν ἐν τῇ Τροίᾳ, καὶ Δαδεδεγμένον τὸν ἐρχηγὸν, καὶ ὡμολογηκέναι πᾶσι παῖδων τὸν Δαδοχὸν αὐτοῖς, ἢ Φανισμὸν τοῦ τῶν Πελαμιδῶν γένους·

Ἦ δὴ γὰρ Πελάμου γενεὴ ἤχθηρε Κρονίων.
Νῦν δὴ Αἰνείαο βίη Τρώεσσιν ἀνάξει,
Καὶ παῖδες παίδων τοῖσιν μετόπισθε γενωνται.

Οὕτω δ' ἂν δὴ ἡ ἓξ Σκαμανδρίᾳ Δαδοχὴ σώζοιτ' ἄν· πολὺ δὲ μᾶλλον τοῖς ἑτέροις Δαφωνεῖ τοῖς μέχρι καὶ Γηλίας αὐτὸν τὸν πλάνον λέγουσι, καὶ αὐτοῖσι πιθῆσι τῶν καθ' ἑαυτὸν ἓξ βίᾳ. Id est: *Antiqua Scepsis supra Cebrenem fuit sita, juxta celsissimam Idæ partem. posteà verò urbs* XL *stadia deorsum translata est in eam, quæ nunc est Scepsis, à Scamandrio Hectoris & Ascanio Æneæ filio. quæ duæ familiæ diu Scepsi regnasse dicuntur; donec urbs in paucorum pervenerit administrationem. deinde Milesii sese in civitatem eorum adjunxère: redditaque est reipublicæ administratio popularis. nihilo minùs tamen, qui ex istis erant familiis, reges sunt adpellati: ac suos peculiares habuêre honores. Demetrius autem Scepsius patriam suam arbitratur Æneæ fuisse regiam; medio sitam loco inter Æneæ ditionem & Lyrnessum. in quam dicatur fugisse, Achille persequente. sic quidpe ait Achilles.* [Iliados lib. xx:]

An non meministi, quando te à bobus solum exsistentem
Repuli ab Idæis montibus velocibus pedibus.
Indeque in Lyrnessum evasisti. sed ego hanc
Everti adgressus.

Verùm huic de Scepsis conditoribus principibusque narrationi non consonant ea, quæ de Æneâ vulgò memorantur. nempe bello eum superstitem fuisse, ob inimicitiam, quæ ei cum Priamo erat: [Iliad. lib. XIII:]

—— *Semper enim Priamo iratus erat divino:*
Quòd strenuum inter viros alios nihil honorabat.

Tum etiam socios eius Antenoridas, & ipsum Antenorem; propterea, quòd Menelaum is hospitio excepisset. Proinde Antenorem cum filiis & Henetis sibi adjunctis in Thraciam evasisse; atque inde in Venetiam, quæ ad sinum Hadriaticum sita, pervenisse. Æneam item cum Anchisâ patre & Ascanio filio, collectâ hominum multitudine, abnavigasse. at alii eum sedeis posuisse aiunt in Macedoniâ apud Olympum: alii tradunt, in Arcadiâ apud Mantineam condidisse opidum; Capuas à Capy dictum. alii dicunt, in Siciliam ad Aegestam cum Elymo Troë trajecisse; & occupasse Erycem ac Lilybæum, fluviosque apud Aegestam adpellasse Scamandrum & Simoëntem. venisse inde in Latium: monituque oraculo ibi consedisse. quod manere ibi jusserat, ubi mensam comedisset. idque ei in Latio apud Lavinium usuvenisse: quum ob inopiam magnus panis loco mensæ positus, unà cum injectis ei carnibus esset absumptus. Verùm Homerus neque his adstipulari videtur, neque iis, quæ de Scepsis conditoribus dicta sunt. innuit namque, Æneam manssisse in Troiâ; inque regnum successisse; & id per successionem ad filiorum filios propagasse: quum stirps Priami esses exstincta. [Dicto Iliad. lib. xx:]

Iam enim Priami stirpem odit Iupiter.
Nunc verò Æneæ virtus Troibus imperabit,
Et filii filiorum, qui ex eo nascentur.

Hoc sanè pacto nec Scamandrio quidem successio sua servabitur: multoque magis hæc dissentiunt ab iis, qui in Italiam usque Æneam vagatum dicunt; ibique vitam cum morte commutasse. Sanè nemini maior hac in re debebat esse auctoritas fidesque, quam ipsi *Homero*: ut qui vetustissimus post *Syagrum*; quem primum id fecisse tradit Aelianus Variar. histor. lib. XIIII cap. XXI, sive post *Corinnum Troianum*, ut vult Svidas, belli Troiani historiam prodidit; ducentis circiter ac XXX annis eo bello ipse posterior. Et ineptum maximéque irrisu dignum fuisset, ea prædixisse eum in poëmate, quæ ipsa ætas eius falsa esse comprobaret. Merum igitur figmentum est, quod

quod post Homerum sive poëtæ sive λογογράφοι ac μυθολόγοι de Aeneæ in Italiam adventu regnoque inibi constituto tradiderunt. Ac sanè totam eam fabulam ad imitationem Homerici Vlyssis compositam esse, satis ex eo perspicitur, quòd ad nulla deduxerit loca Homerus Vlyssem, quin ad eadem posteà paribus casibus, paribusque penè rerum eventibus, adpulsus narretur Aeneas: nisi, quòd hic paullo alio itineris ordine. scilicet, quia non reducendus erat in Asiam ad Ilium: quemadmodùm post longos errores ille in Ithacam suam. Hanèque itinerum gestorumque similitudinem, seu potiùs imitationem, observavit pridem Macrobius, Saturnal. lib. v cap. 11; ut Siciliæ lib. 11 cap. xvii adnotavimus. Atque hinc factum, uti nonnulli ex antiquis illis scriptoribus Aeneam unà cum Vlysse in Italiam venisse tradiderint: alii verò, hunc posteà ad illum perveniisse. Dionysius lib. 1: Ὁ τὰς ἱερείας τὰς ἐν Ἄργει τὰ καθ' ἑκάστου πραχθέντα σωσαγαγών, Αἰνείαν φησὶν, ὑπὸ Μολοσσῶν εἰς Ἰταλίαν ἐλθόντα μετ' Ὀδυσσέως, οἰκισθὲν ὑφ' ἑαυτῷ τῆς Ῥώμης. Id est: *Is, qui mulieres recensèt sacerdotio apud Argos functas, & quidquid gestum sit cuiusque tempestate, Aeneam ait, è Molossis in Italiam cum Vlysse delatum, Romam condidisse*. Lycophron in Alexandrâ, postquàm de Aeneâ dixit:

Σὺν δὲ σφι μίξει φίλιον, ἐχθρὸς ὤν, στρατὸν,
Ὅρκοις κρατήσας καὶ λιτῆς γοωσμάτων,
Ναῦφι, πλάναισι πάντ' ἐρευνήσας μυχὸν
Ἁλός τε καὶ γῆς. Id est:
Cum illo deindè jungèt amicum inimicus exercitum,
Iuramentis adigens & precibus geniculatis,
Nanus, omneis perscrutans angulos
Maris terræque.

Sex. Aurel. Victor. in libro de Origine gentis Romanæ: *Quum interim immolatâ sue in litore sacrificium perageret Aeneas; traditur, fortè advertisse Argivam classem, in qua Vlysses erat. quumque vereretur, ne ab hoste cognitus periculum subiret; itemque, rem divinam interrumpere, summum nefas duceret: caput velamento obduxisse; atque ita pleno ritu sacra perfecisse. inde posteris traditum morem ita sacrificandi; ut scribit M. Octavius lib.* 1. Idem & Festus tradit, in voce *Saturnalia*. Sed ex hactenus allatis satis manifestò jam patet, *Aeneam* quoque, ut qui in Italiam numquàm venerint, nihil ad constructionem urbis *Romæ*, quod Sallustius aliique tradiderunt nonnulli auctores contulisse. & Latinum regem, cuius hospitio ille exceptus, cuiusque filiam in matrimonium accepisse dicitur, nullum umquàm fuisse, satis superque suprà demonstratum est. De classis igitur Troianæ exustione nihil attinet pluribus heic disputare. quam & ipsam Dionysius lib. 1 & Virgilius lib. v & x in Siciliâ apud Aegestam urbem factam referunt; Aristotelis in Mirandis, Lycophron in Alexandrâ, & Strabo lib. vi, in Italiâ apud Sirin, Lucaniæ opidum: alii, teste Tzetzâ in Lycophronem, apud Neæthum, Crotonienſis agri amnem: atque inde flumini nomen esse. alii, testibus Cæsare ac Sempronio apud Sex. Aurel. Victorem in libro de Origine gentis Romanæ, & item Servio in Virgilii Aeneid. lib. vii & x, in *Caietæ* portu: cui inde nomen ἀπὸ τῆς κοίτης manserit. quidam etiam apud Pisas in Arni ostio, teste eodem Servio dicto lib. x. sed plerique in Latio apud Tiberina ostia; testibus apud Dionysium dicto lib. 1 Aristotele & auctore Argeorum, item Damaste, & nonnullis aliis: testibus item Plutarcho in Romulo atque in libro de Mulierum virtutibus, Solino cap. 1. Vnde Strabo, homo minimè superstitiosus, nec temerè aut vanè fatuéque credulus, haud immeritò hæc atque talia ridet dicto lib. vi, his verbis de Siri urbe loquens: Τῆς δὲ τῶν Τρώων κατοικίας τεκμήριον τοιοῦτον τὸ τὴν Ἀθηνᾶν τὴν Ἰλιάδα ξόανον, ἱδρυμένον αὐτόθι, ὅπερ καταμύσαι μυθεύουσιν ἀποστραφέντων τῶν ἱκετῶν ἀπὸ Ἰώνων τῶν ἑλόντων τὴν πόλιν. δείκνυται δὲ καὶ νῦν καταμύον τὸ ξόανον. Ἰταμὸν μὲν οὖν καὶ τὸ ἄτοπον μυθεύειν ἅπερ μὴ μόνον καταμύσαι φαινόμενον, καθάπερ καὶ τὸ ἐν Ἰλίῳ ἀποστραφῆναι κατὰ τὸν Κασάνδρας θιασμὸν, ἀλλὰ καὶ καταμύον δείκνυσθαι. πολὺ δὲ ἰταμώτερον τοιαῦτα ποιεῖν ἐξ Ἰλίου κεκομισμένα ξόανα, ὅσα φασὶν οἱ συγγραφεῖς. καὶ γὰρ ἐν Ῥώμῃ, καὶ ἐν Λαουινίῳ, καὶ ἐν Λακεδαίμονι, καὶ ἐν Σιελπῖδι, Ἰλιὰς Ἀθηνᾶ καλεῖται, ὡς ἐκεῖθεν κομισθεῖσα· καὶ τὸ τῶν Τρωάδων δὴ πλήθος πολλαχοῦ φέρεται πολλὸν, καὶ ἄπιστον φαίνεται, καίπερ δυνατὸν ὄν. Id est: *Troianorum esse coloniam, documentum proferunt Minervæ Iliacæ simulacrum, ibidem dedicatum. quæd oculos, palpebris clausis, solo defixisse fabulantur, quum Iones, urbe captâ, supplices ab eo simulacra avelle-*

avellerent. & hodiéque monstrari dicunt simulacrum id connivens. Sedenim protervum est, fingere, simulacrum aliquod non modò visum esse connivere; sicut imaginem Minervæ Ilii, ferunt, oculos avertisse, quum violaretur Cassandra: sed fabulæ etiam adjicere, simulacrum etiam nunc connivens conspici. at multo etiam protervius, ea omnia ab Ilio allata fabulari, quæ scriptores tradunt. siquidem & Romæ, simulque Lavinii, & Luceriæ, & Siri, Minerva habetur Iliaca; quasi ab Ilio allata: & facinus Troianarum mulierum compluribus adscribitur locis. qua re fides ei derogatur: quum fieri tamen potuerit. Sed poëtæ Latini, Virgilius Aeneid. lib. VIIII, & Ovidius Μεταμορφώσεων lib. XIIII, à Turno classem Troianam concrematam tradunt. Adeò
01 sanè nihil prorsus est in totâ hoc de Aeneæ ad Italiam adpulsu, deque posteris eius urbem Romanæ conditoribus historiâ, in quo inter se concinnant auctores.

Quapropter quum planè fabulosa, aditque perquàm absona esse deprehendantur omnia ea, quæ ex vulgari opinione tradiderunt Græci pariter ac Latini scriptores; alia urbis toto Orbe celeberrimæ investiganda est origo. Dionysii Halicarnassensis verba lib. I, postquàm binas suprà dictas Romæ ædificationes memoravit, sequuntur ista: Εἰ δέ τις ἀπόδειν βούλοιτο τὸ πρεσβύτερον, καὶ τρίτη τις ἀρχαιοτέρα τούτων ἀνηθήσεται Ῥώμη, γνωρίμη μὲν Αἰνείαν καὶ Τρῶας ἐλθεῖν ἐς Ἰταλίαν. πῶτα δὲ ἁ τῶν ἐπιτυχόντων τις ἀδὲ νέων συγγραφεὺς ἰσόρηκεν, ἀλλ' Ἀντίοχος ὁ Συρακούσιος. φησὶ δέ, Μόργητος ἐν Ἰταλίᾳ βασιλεύοντος, (τοῦ δὲ τότε Ἰταλίας, ἣ δὴ τὸ Ταραντῖνος ἄχρι Ποσειδωνίας
20 πρόσαλιν) ἐλθεῖν πρὸς αὐτὸν ἄνδρα φυγάδα ἐκ Ῥώμης. λέγει δὲ ὧδε· Ἐπὶ δὲ Ἰταλοῦ καταμήκους, Μόργης ἐβασίλευσεν. ὅτι τότε ἡ αὐτὴ ἀφίκετο ἐκ Ῥώμης φυγὰς, Σικελὸς ὄνομα αὐτῷ. Κατὰ μὲν δὴ τὸν Συρακούσιον συγγραφέα, παλαιά τις ἀνέσκεπται πρόσοψις τῶν Τρωϊκῶν χρόνων ἡ Ῥώμη. πότερον δὲ πρὸς οὗτοι αὐτὸς μὲν τόπος, ἐν οἷς ἡ νῦν οἰκουμένη πόλις ἐστὶν, ἢ χωρίον ἕτερον ἄτως ἐτύγχανεν ὀνομαζόμενον, ἀσαφὲς σκέψει καταλιπόντος, ἀδὲ ἐγὼ διώρισμαι συμβαλεῖν. Hoc est: *Quòd si quis rem altiùs velit repetere; tertiam etiam Romam, his antiquiorem, inveniet: ut quæ ante Aeneæ Troianorumque in Italiam adventum exstiterit. Hoc autem nec vulgaris aliquis nec recens scriptor prodidit: sed Antiochus Syracusanus. Is ait, Morgete in Italiâ regnante, (Italia autem tum erat ea ora, quæ à Tarento ad Posidoniam usque protenditur) venisse adeum quemdam à Româ exsulem. Ver-*
30 *ba eius hæc sunt: Postquàm Italus consenuit, Morges pro eo regnavit. Huius tempore venit vir quidam Româ profugus, nomine Siculus. Teste itaque Syracusano hoc scriptore antiqua quædam invenitur Roma, Troianis temporibus prior. Verùm enim verò ea eodem loco sita fuerit, ubi nunc urbs incolitur; an alius quis locus idem nomen habuerit; siquidem ille incertum reliquit, neque ego conjicere valeo.* Satis benè habet quòd Antiocho, pervetusto scriptori, ut quem ducentis propè annis Aristotele superiorem fuisse, id est, circa ducentissimum conditæ, secundùm vulgarem receptamque opinionem, urbis Romæ, quadringentis annis post Homerum, suprà lib. I cap. I dixi, fidem de tertiâ istâ eâque antiquissimâ Româ non derogaverit. hanc igitur non ab Romulo aliquo vel Romo, Aeneæ Troiani postero, adpellatam concedit.
40 Hinc etiam Philargyrus in Scholiis ad Virgilii Eclogam I: *Roma & ante Romulum fuit; & ab eâ sibi Romulum nomen adquisiviſſe, Marianus, Lupercaliorum poëta, ostendit.* Cur verò Dionysius dubitaret, an eadem hæc fuerit urbs, quàm posteà ipse sub Augusto imperatore per XXII annos incoluit, nullam aliam habuisse videtur rationem, nisi quòd Q. Fabio Pictori crediderit, tertiam illam, duabus prioribus destructis, à Romulo, Numitoris nepote, CCCCXXXII annis post bellum Troianum fuisse exstructam. Hæc traditio quum falsa esse deprehensa sit, illi adhærcamus, æquum est. Dionysius eodem lib. I ita scribit: Ὀλίγῳ δὲ ὕστερον χρόνῳ τὴν ἀρχαίαν ἀλλάξαντες ὀνομασίαν, ἅμα τοῖς Ἀβοριγῖσι ἀπὸ τῆς βασιλέως τῆς χώρας Λατῖνοι ὠνομάσθησαν. καὶ μεταναστάντες ἐκ τοῦ Λαετίνιος, κατὰ μὴ τῶν ὑπηκόων μείζονα πεπαλλεντῳ πάλιν, τὸν Ἄλβαν ἐκάλεσαν· ἐξ ἧς ὁρμώμενοι πολλὰς μὲν καὶ ἄλλας πόλεις ἔκτισαν, τῶν κληθέντων
50 Περάσκων Λατίνων· ἐξ ὧν αἱ πλεῖστοι ἔτι καὶ εἰς ἐμὲ ἦσαν οἰκούμεναι. ὑστεροῦς δὲ ὕστερον ἐκκαίδεκα μετὰ Ἰλίου ἅλωσιν, ἐκπέμψαντες ἀποικίαν εἰς τὸ Παλάντιόν τε καὶ τὸν Σατράνιον, (εἰσὶ δὲ Πελοποννήσιοί τε καὶ Ἀρκάδες τὸν πρώτον οἴκησιν ἐποιήσαντο, καὶ τὸν ἔτι ἐπ' αὐτῶν ζώντων ἄπαξ ἀπειλεπόμενα τοῦ παλαιοῦ γένους) οἱ κίζουσι οὗτοι τόπους περιβάλλοντες τείχεσι τὸ Παλάντιον, ὥστε λαβεῖν ὄχημα πόλεως τότε πρῶτον. ὑφ' ἑνὶ δὲ τῷ κλήσαντι Ῥώμῃ ὄνομα ἀπὸ τοῦ φύλαντος τὸν ἀποικίαν Ῥωμύλου, ὃς τὸν ἕβδομος καὶ δεκάτος ἀπ' Αἰνείου γεγονώς. Id est: *Haud multo post, vetere adpellatione mutatâ, unà cum Aboriginibus à regionis rege nuncupati sunt*

Latini. & relicto Lavinio, unà cum indigenis maiorem urbem muniverunt, quam Albam nominarunt. unde alia quoque multa opida deduxerunt, quæ Priscorum Latinorum vocantur; & pleraque nostrâ etiam ætate incoluntur. deinde, sextâ decimâ post captum Ilium ætate, miserunt coloniam in Palantium & Saturniam; ubi Peloponnesii & Arcades primas sedeis fixerant; quæque etiam tum scintillas quasdam prisci generis retinebant: ac Palantium muris cinxerunt: ut urbis formam tum primùm acceperit. conditæ urbi nomen Romæ imposuerunt; quòd Romuli ductu missa esset colonia: qui septimus decimus ab Aeneâ descenderat. De opidis *Priscorum Latinorum* ita etiam narrat Livius lib. I: *Silvius deinde Albæ regnat, Ascanii filius is Aeneam Silvium creat. is deinde Latinum Silvium. ab eo coloniæ aliquot deductæ; Prisci Latini adpellati.* Hinc etiam illud Tarquinii Superbi in concilio omnium Latinorum dictum; *Quòd omnes Latini ab Albâ oriundi sint*; ut idem refert eodem libro posteà Livius. Triginta fuisse eas colonias, licèt satis arcti fuerint Prisci Latii fines: ut quorum summa longitudo à Tibure ad mare xxxv millia passuum, maxima latitudo ab ipsâ urbe Româ in Albanum montem xx colligebat; ut superiore capite dictum; haud semel testatur Dionysius; ut superiori capite relatum. Ergo nullæ Siculorum, qui primi hanc regionem incoluerunt, vel Aboriginum urbes, nulla opida in Latio fuêre ante Aeneæ in Italiam adventum. At quis hoc credat? utique, quum Aborigines jam anteà celeberrimis adsveti fuerint urbibus in eâ regione, ex qua posteà pulsi fuêre ab Sabinis; ut suprà in horum expositione lib. II cap. VIII & VIIII ostensum: quumque omnes circùm populi jam multis ante bellum Troianum sæculis munitissimas urbeis tenuerint; ut partim supra demonstratum est, partim infrà patebit. Vnde etiam poëta Aeneid. lib. VII:

——— Rex arva Latinus & urbeis
Iam senior longâ placidas in pace regebat.

Quin ipsius Dionysii hæc sunt verba, eodem lib. I, de Aboriginibus, qui Siculos recèns sedibus suis ejecerant: Καὶ πόλεις ἔκλεσαν ἄλλας τε ἴσως καὶ ταὶς μέχρι δὲ εἰκισμένας, Ἀντεμνάτας τε καὶ Τελλήνεις καὶ Φικυλέας καὶ Τιβερίνας, παρ' οἷς ἔτι καὶ ἐς τόδε χρόνου μέρος ἡ τῆς πόλεως ὀνομάζεται Σικελιών. Hoc est: *Et, præter alias urbeis, condiderunt etiam eas, quæ in hoc usque tempus incoluntur; Antemnas, Tellenas, Ficulneam, & Tibur; ubi hodiéque pars opidi dicitur Sicilio.* Et posteà: Πολλῶν δὴ καὶ ἄλλων ἐκρήτησαν χωρίων οἱ Πελασγοὶ, πρίς τε Ἀβορίγινας τὸν πρὸς σφᾶς Σικελὸς πόλεμον ἔτι παντελῶς πολλῇ προθυμίᾳ συνδιέφερον, ὡς ἐξήλασαν αὐτοὺς ἐκ τῆς σφετέρας, καὶ πόλεις πολλὰς, ταὶς μὲν οἰκισθείσας καὶ πρότερον ὑπὸ τῶν Σικελῶν, ταὶς δὲ αὐτοὶ καταασκευασάσας, ὥσπου οἱ Πελασγοὶ κοινῇ μὲν τῶν Ἀβορίγινων· ὧν ἥ τε Καιρηταίων πόλις, Ἀγύλλα δὲ τότε καλουμένη, καὶ Πίσα καὶ Σατορνία καὶ Ἄλσιον, καὶ ἄλλαι τινὲς, αἷς ὑστέρου ὑπὸ Τυρρηνῶν ἀφῃρέθησαν· Φαλέριον δὲ καὶ Φασκένιον ἔτι καὶ εἰς ἐμὲ ἦσαν οἰκούμεναι ὑπὸ Ῥωμαίων, μικρὰ ἄττα σώζουσι ζώπυρα τοῦ Πελασγικοῦ γένους, Σικελῶν ὑπάρχουσι πρότερον. Hoc est: *Alia quoque loca multa Pelasgi in potestatem suam redegerunt: Aboriginibusque contra Siculos promptam præstiterunt operam; donec eos sedibus suis ejecerunt. In his multa opida, partim antè ab Siculis habitata, partim ab se condita, tenuerunt indivisa sociæ gentes Pelasgi atque Aborigines. ex quibus sunt, Caere, dictum tunc Agylla; Pisa, Saturnia, Alsium; & quædam alia, quæ posteà ab Etruscis occupata sunt. Falerium verò & Fuscennium, etiam meo tempore à Romanis habitata, parvas quasdam servant scintillas Pelasgici generis; quum olim Siculorum fuerint.* Quòd si igitur trans Tiberim in Etruriâ Siculi, Aborigines verò, illis expulsis, in Latio circa Anienem, jam tum ante Troianum bellum incoluerunt opida; quis credat, omnia opida, quæ posteà *Priscorum Latinorum* cognominata sunt, à *Latino* tandem *Silvio* isto fuisse condita; ut volunt Livius atque Dionysis? Nihil igitur certius, quàm quòd Antiochus Syracusanus tradidit; quamquàm & ipse erroribus haud modicis obnoxius. non enim unus quidam homo exsul ad Morgetem, Italorum tunc apud fretum Siculum regem, venit Româ nomine *Siculus*: sed omnis Siculorum gens (cui fortassis tum demùm fuit rex *Italus*) ab Aboriginibus simul & Pelasgis, ut superiori capite demonstratum, sedibus suis inter Anienem & mare inferum pulsa, in eam, quæ anteà *Ausonia* & *Oenotria*, *postremùm verò Bruttius ager* adpellata est, terram sese contulerunt: unde ætate tertiâ, id est anno LXXX ante bellum Troianum, testibus apud Dionysium eodem lib. I Hellanico Lesbio & Philisto Syracusano, in proximam insulam Sicaniam trajecerunt: cui inde *Siciliæ* factum novum

vum nomen. Hinc igitur rectè Dionysius, initio statim dicti libri primi: τὴν ἡγεμόνα γῆς ἁπάσης καὶ θαλάττης ἁπάσης πόλιν, ἣν νῦν κατοικοῦσι Ῥωμαῖοι, πελασγοὶ τὸ μνημονευόμενον λέγουσι κατασχεῖν βάρβαροι Σικελοὶ, ἔθνος αὐτόχθονες. χρόνῳ ὕστερον Ἀβοριγῖνες αὐτὴν ἐκπολεμώσαντες, πολέμῳ μακρῷ σὺν ἔχοντας ἀφελόμενοι. Hoc est: *Vrbem terræ marisque totius principem, quàm nunc Romani habitant, primi in omni memoriâ tenuisse dicuntur barbari Siculi, gens indigena. postmodùm, pulsis longo bello priscis dominis, Aborigines eam occuparunt.* Idem repetit initio libri II: οἱ δὲ κατασχόντες τὴν τῶν Ῥωμαίων πόλιν πρῶτοι τῶν μνημονευομένων βάρβαροί τινες ἦσαν αὐτόχθονες, Σικελοὶ λεγόμενοι. τούτους ἐκβαλόντες Ἀβοριγῖνες αὐτοὶ κατέσχον τὸν τόπον. Id est: *Vrbem Romanorum primi post hominum memoriam tenuêre barbari quidam indigenæ, Siculi dicti. his pulsis Aborigines eam occuparunt.* Aliud ei ab ipsis conditoribus impositum fuisse nomen, ex Plinii, Solini, Macrobii, Festi, & Servi, patet monumentis. Plinius lib. III cap. V: *Supérque Roma ipsa. cuius nomen alterum dicere, arcanis cæremoniarum nefas habetur. optimâque & salutari fide abolitum, enunciavit Valerius Soranus: luitque mox pœnas. Non alienum videtur, inserere hoc loco exemplum religionis antiquæ, ob hoc maximè silentium institutæ. namque divæ Angeronæ, cui sacrificatur ad diem XII Calend. Ianuarii: ore obligato obsignatoque simulacrum habet.* Solinus cap. I: *Traditur etiam proprium Romæ nomen: verùm tamen vetitum publicari. quandoquidem, quò minùs enunciaretur, cæremoniarum arcana sanxerunt: ut hoc pacto notitiam eius aboleret fides placitæ taciturnitatis. Valerium denique Soranum, quod contra edictum eloqui id ausus foret, ob meritum profanæ vocis necî datum. Inter antiquissimas sanè religiones sacellum colitur Angeronæ: cui sacrificatur ante diem XII Kalendarum Ianuariarum. quæ diva præsul silentii istius, prænexo obsignatoque ore simulacrum habet.* Servius ad Virgilii Aeneid. lib. I: *Peritè. non ait Romam: sed Romanos. urbis enim illius verum nomen nemo vel in sacris enunciat. denique tribunus plebis quidam, ut ait Varro, hoc nomen ausus enunciare, in crucem sublatus est. quod nec Higynus quidem, quum de situ Vrbis loqueretur, expressit.* Macrobius Saturnal. lib. III cap. VIIII: *Constat, omneis urbeis in alicuius dei esse tutelâ: moremque Romanum arcanum & multis ignotum fuisse, ut, quum obsiderent urbem hostium, eamque jam capi posse considerent; certo carmine evocarent tutelareis deos. quòd aut aliter urbem capi posse non crederent: aut, si posset, nefas æstimarunt deos habere captivos. nam propterea ipsi Romani & deum, in cuius tutelâ urbs Roma est, ut ipsius urbis Latinum nomen, ignotum esse voluerunt. Sed dei nomem nonnullis antiquorum, licèt inter se dissidentium, libris insitum: & ideò vetusta persequentibus, quidquid de hoc putatur, innotuit. alii enim Iovem crediderunt; alii Lunam. sunt, qui Angeronam, quæ digito ad os admoto silentium denunciat. alii autem, quorum fides mihi videtur firmior, Opem Consiviam esse, dixerunt. Ipsum verò urbis nomen etiam doctissimis ignotum est; caventibus Romanis, ne, quod sæpè adversùs urbeis hostium fecisse se noverant, idem ipsi quoque hostili evocatione paterentur, si tutelæ suæ nomen divulgaretur.* Festus: *Romam anteà Romulam adpellatam Terentius quidem Varro fuisse ait ab Romulo. deinde detortum vocabulum detritasque literas fuisse, credibil. Cæterùm causam eius adpellationis, invenisse se ait Verrius, vetitam esse publicari.* En, Verrius dixit, prohibitum fuisse publicare causam, cur urbs adpellaretur *Roma*. Plinius ait, *alterum eius nomen*. Solinus verò & Servius, *verum nomen* enunciare, nefas fuisse. id nomen *Latinum* fuisse, tradit Macrobius. Ergo vocabulum *Roma* non fuit Latinum. Servius dicto loco paullo anteà: *Atteius adserit, Romam ante adventum Euandri diu Valentiam vocitatam: sed pòst Græco nomine Ῥώμην vocitatam.* Solinus, initio mox capitis primi, *Sunt*, inquit, *qui videri velint, Romæ vocabulum ab Euandro primùm datum, quum opidum ibi offendisset, quod exstructum anteà Valentiam dixerat juventus Latina: servatâque significatione impositi prius nominis, Ῥώμην Græcè Valentiam nominatam.* Festus: *Historiæ Cumanæ compositor ait, Athenis quosdam profectos Sicyonem Thespiasque. ex quibus porrò civitatibus, ob inopiam domiciliorum, complures, profectos in exteras regiones, delatos in Italiam: eosque à multo errore nominatos Aborigines. quorum subjecti qui fuerint Cæximparum* [corruptum haud dubiè est vocabulum: quo quid faciam, planè non reperio.] *viri unicarum virium imperio, montem Palatinum, in quo frequentissimi consederint, adpellavisse à viribus regentis Valentiam. quod nomen adventu Euandri Aeneæque in Italiam cum magnâ Græcè loquentium copiâ, interpretatum, dici cœptum Ῥώμην.* Videtur hoc voluisse Cumanæ historiæ scriptorem, seu eos auctores, à quibus

ille id habuerit: nempe, ducem novæ coloniæ, cui à roboris viriumque magnarum præstantiâ nomen erat *Valens*, urbem condidisse, cui de suo nomine imposuerit vocabulum VALENTIA. id posteà Græcos advenas, in suam lingvam conversum, dixisse Ῥώμη, ROMAM. Ducis igitur etiàm nomen Ῥῶμον alii vertêre, alii Ῥωμύλον· quod aliàs in communi Græcorum lingvâ dicitur Ῥωμαλέος, id est, *fortis, robustus, validus*, sive *valens*. Hinc posterioribus Græcis varias fingendi fabulas nata occasio; uti urbis conditoribus *Romo* & *Romulo* alii alios, ut suprà perspectum, adfinxerint parenteis. Aqud Cedrenum mira ac varia legitur ex variis auctoribus collecta de Aeneâ eiusque posteris & urbibus in Latio ab his constructis historia. ibi inter alia hæc etiam sunt: Εὔανδρος ὁ Ἕρμου Πάλας, οἱ δὲ Αἰνείου υἱοὶ, καὶ καλυμμίλῳ Βαλέντῃ τὴν ἐπαρχίαν ἰθυνόντες, οἶκον οἰκοδομῆσι πάνυ μεγαν καὶ θαυμαστὸν, καὶ τοῦτον, ὡς ἐξ ἐκείνου πάντα βασιλέα οἶκον Παλάτιον ὀνομάζεσθαι. Id est: *Euander & Pallas, Aeneæ filii, quum provinciam Valentem regerent, domum ædificarunt mole & structurâ admirandam. unde posteà obtinuit, uti omnes regiæ adpellarentur Palatia.* Nescio sanè, utrùm ex aliquo scriptorum habuerit Cedrenus ipsius ducis nomen Βαλης, Βάλεντος, an verò urbis modò vocabulum Βαλεντία, *Valentia*: quod posteà vel ipse vel exscriptores eius corruperint in ducis nomen Βάλεντα. quamquàm ipsius Cedreni haud dubiè est error, quòd ἐπαρχίαν, id est, *provinciam*, non verò πόλιν, *urbem*, vel χωρίον, *locum*, adpellaverit. Verùm utut hæc multiplicibus erroribus involuta; illud tamen benè habet, quòd & *Valentiæ* & *Euandri* & *Palatii* fiat mentio. nam *Latinorum* lingvam atque gentem Græci fuisse generis, ex duabus Græcis nationibus, *Oenotris* sive *Aboriginibus* & *Pelasgis* compositam: Pelasgorum autem, quum se primùm in Italiâ cum Aboriginibus conjungerent, ducem fuisse *Euandrum*; superiori capite satis superque demonstratum est. Quum igitur primi isti *Latini* urbis *Valentiæ* nomen mutaverint suâ lingvâ in Ῥώμην, *Romam*; illud à primis incolis conditoribusque *Siculis* ei inditum fuisse, satis jam certum est. Nec refert, quòd vox ea sit merè Latina; quando innumera etiam alia vocabula, ut superiori capite dictum, adeóque omnia, quæ ad Græcam radicem redigi nequeunt, ex circumjectarum gentium, maximè verò Siculorum, Opicorum, sive Sabinorum, atque Etruscorum lingvis in suum sermonem transtulisse Latinos constat. cuius rei complura exempla suprà lib. I cap. VI ex auctoribus à nobis citata sunt. A Siculis igitur accepêre verbum *valere*; & item urbis, unde eos expulerant, nomen *Valentiam*; quod suâ lingvâ mutarunt in *Romam*. Error posteà evaluit apud rerum scriptores, *Latinam* ab initio incoluisse urbem *juventutem*; *Latino*que *nomine* eam adpellasse *Valentiam*: quod tandem immutaverit advena Græcus Euander, Pelasgorum, qui Aboriginibus sese conjunxerunt, dux atque princeps. unde illud Plutarchi in Romulo: οἱ μὲν Πελασγὸς φασὶν ἅπὶ τὴν οἰκουμένης πλανηθέντας, ἀνθρώπων τὰ πλείστων κρατήσαντας, αὐτόθι κατοικῆσαι, καὶ Ῥώμην ἐν τοῖς ὅπλοις ῥώμῃ, ἤτοι ἐνομάσαι τὴν πόλιν. Id est: *Quidam Pelasgos aiunt, quum maiorem partem percursassent Orbis, plurimasque devicissent gentes, hanc tenuisse oram; atque ex suo in armis robore* [hoc ῥώμη est Græcis] *urbem adpellasse*. Huc jam adde proximè perscripta Solini verba de *Euandro*. Idem Plutarchus ibidem posteà: οἱ δὲ Ῥῶμον, Λατίνων τύραννον, λέγουσι τοῦτο ἥδη τῆς πόλεως κτισθείσης τυρρηνοὺς, οὓς εἰς Λυδίαν μὲν ἐκ Θετταλίας, ἐκ δὲ Λυδίας εἰς Ἰταλίαν συναγωνομένους. Hoc est: *Alii aiunt Romum, Latinorum regem, nomen urbi imposuisse, quum ejecisset Tyrrhenos; qui in Lydiam è Thessaliâ, è Lydiâ commigraverant in Italiam.* Hos *Tyrrhenos*, qui è Thessaliâ in Lydiam, è Lydiâ in Italiam commigrarunt, eosdem esse *Pelasgos*, qui, Euandro duce in Italiam ad Aborigines, consangvineos suos, postquàm pervenêre, in unum cum his corpus nomenque *Latinorum* coiverunt, jam dudum à nobis superiori capite, maximè verò lib. II cap. I, demonstratum est. Euandrum mox omnium Latinorum factum regem, quum Aboriginum rex, à quo ille receptus erat, mortuus esset, infrà intelligemus. Hunc igitur *Euandrum* posteà dictum fuisse Ῥῶμον, *Romum*, ut antè dixi; & ab eo *Valentiam* urbem Ῥώμην, *Romam*, ex proximè citatis Plutarchi patet verbis. in quibus tamen falsum, quòd is cum Latinis suis Tyrrhenos Româ ejecisse dicitur: quum ipsi Tyrrheni, id est Pelasgi, altera pars Latinorum fuerint, qui duce Euandro Siculos Româ ejecerunt. Sic scilicet in omnibus ferè remotioribus antiquitatibus falsa veris admista sunt. Idem Plutarchus ibidem hæc quoque tradit: οὐμὴν ἀλλὰ οἱ Ῥωμύλον τῷ δικαιοτάτῳ τῶν λόγων ἀποφαίνοντες ἐπώνυμον τῆς πόλεως, ὁμολογοῦσι καὶ τὴν ἡλικίαν αὐτοῦ.

οἱ μὲν

εἰ μὴ γὰρ Αἰνείᾳ καὶ Δεξιθέας, τῇ Φόρβαντος, ἐὸν, ὄντα νήπιον, εἰς Ἰταλίαν κομισθῆναι, καὶ τὸν ἀδελφὸν αὐτοῦ Ῥῶμον. ἐν δὲ τῷ πολέμῳ πλημμυρούσης τῶν ἄλλων σκαφῶν διαφθαρέντων, ἐν ᾧ ἦσαν οἱ παῖδες, εἰς μαλακὸν ἀποκλυσθέντος ὄχθου ἀτρέμα, σωθέντας ἀπροσδοκήτως, ὀνομασθῆναι Ῥώμην. Hoc est: *Quin nec inter eos, qui probatissima adferunt, qui urbi Romulum contendunt nomen posuisse, de origine eius convenit. quidam enim eum Aeneæ atque Dexitheæ, Phorbantis filiæ, filium, admodùm infantem, cum fratre Romo in Italiam fuisse deportatum adfirmant. quum autem reliqua navigia amne effuso periissent; illud, in quo erant pueri, ad ripam mollem placidè delatum fuisse; præterque spem salvos evasisse puetros. unde is locus Roma adpellatus fuerit.* Filius huius *Phorbantis*, Argivorum regis, fuit *Triopas:* in cuius imperio, circa annum ab Orbe condito CIↃCIↃCCCXXXVII, ante natum Iesum CIↃIↃXIII, Pelasgi in Italiam adpulerunt; ut superiori capite ostensùm. Ergo etiam CCCXXX ampliùs annis ante Troiæ excidium *Aeneas* iste fuisse fingebatur, à cuius posteris Romana urbs originem nomenque acceperit.

Certè, si historiam de Aeneæ in Italiam adventu penitùs introspicias; penè iisdem verbis compositam eam esse deprehendes, quibus Pelasgorum ad Italiam adpulsus scriptoribus narratur. Livium de Aeneâ audiamus. is initio libri primi, *Iam primùm omnium*, inquit, *satis constat, Troiâ captâ in cæteros sævitum esse Troianos: duobus Aeneâ Antenoreque, & vetusti jure hospitii & quia pacis reddendæque Helenæ semper auctores fuerant, omne jus belli Achivos abstinuisse.* Mox: *Aeneam ab simili clade domo profugum, primò in Macedoniam venisse: inde in Siciliam quærentem sedeis delatum: ab Siciliâ classe Laurentem agrum tenuisse. Ibi egressi Troiani, ut quibus ab immenso propè errore nihil præter arma & naveis supereſſent, quum prædam ex agris agerent: Latinus rex Aboriginesque, qui tum ea tenebant loca, ad arcendam vim advenarum armati ex urbe atque agris concurrunt. Duplex exinde fama est. alii prælio victum Latinum pacem cum Aeneâ deinde adfinitatem junxisse tradunt. alii, quum instructæ acies constitissent; priùs, quàm signa canerent, processisse Latinum inter primores, ducemque advenarum evocasse ad colloquium. percunctatum deinde, qui mortales essent: unde aut quo casu profecti domo, quidve quærentes, in agrum Latinum exissent. postquàm audierit, multitudinem Troianos esse: ducem Aeneam, filium Anchisæ & Veneris: cremata patriâ & domo profugos sedem condendæque urbi locum quærere: & nobilitatem admiratum gentis virique & animum vel bello vel paci paratum; dextrâ datâ fidem futuræ amicitiæ sanxisse. inde fœdus ictum inter duces; inter exercitus salutationem factam. Aeneam apud Latinum fuisse in hospitio. ibi Latinum apud penateis deos domestico publico adjunxisse fœdus, filiâ Aeneæ in matrimonium data. ea res utique Troianis spem adfirmat tandem stabili certâque sede finiendi erroris. opidum condunt. Aeneas ab nomine uxoris Lavinium adpellat. brevi stirps quoque virilis ex novo matrimonio fuit; cui Ascanium parentes dixêre nomen. Bello deinde Aborigines Troianique simul petiti. Turnus, rex Rutulorum, cui pacta Lavinia ante adventum Aeneæ fuerat, prælatum sibi advenam ægrè patiens, simul Aeneæ Latinoque bellum intulerat. Neutra acies læta ex eo certamine abiit. victi Rutuli. victores Aborigines Troianique ducem Latinum amisêre. Inde Turnus Rutulique diffisi rebus, ad florenteis Etruscorum opes Mezentiumque eorum regem confugiunt. Aeneas adversùs tanti belli terrorem ut animos Aboriginum sibi conciliaret; ne sub eodem jure solùm, sed etiam nomine omnes essent; Latinos utramque gentem adpellavit. Nec deinde Aborigines Troianis studio ac fide erga regem Aeneam cessêre.* Eamdem historiam, præter alios, refert Dionysius quoque Halicarnassensis lib. I. Ἐπεὶ, inquit, ὅρμια χρησιμώτατα τῷ Λωρέντῳ, σκώπτοντες ἐπῆγον τοῖς τὸν αἰγιαλὸν, ἄρξειν βαρβάρους αὐτοῖς ὅτι δαπέδου, σέλινα μὴ πολλοῖς ἐπέφυτο· καὶ ὃ τῶν τι ὥσπερ τράπεζα τῶν ἐδεσμάτων· ὡς δέ φασί τινες, ἱτέα καρπῷ πεποικιλμένα πυέλοις, καθαρότητος τῆς τροφῆς ἕνεκα. ἐπεὶ δὲ αἱ τροφαὶ καταναλώθησαν, καὶ τῶν ὑπολοιπων αὐτοῖς σιτίων εἴτε περίων ἔφαγέ τις, καὶ αὖθις ἔπρεπε, τὴν τυχοῦσαν ἢ ἐπὶ εἴτε τοῦ Αἰνείου παίδων, ὡς λόγος ἔχει, εἴτε τῶν ἐμοσκλώων, Ἀλλ' ἡμῖν γε ἤδη καὶ ἡ τράπεζα καταδήδοται· Ὡς δὲ τάδε ἤκουσαν, ἅπαντες ἀνεθορύβησαν, ὡς τὰ τοῦ μαντείου ἤδη σφίσι πλέον ἔχοι. Ἰὼ γὰρ ἡ θέσφατον αὐτοῖς, ὡς μέν τινες λέγουσιν, ἐν Δωδώνῃ χρησθὲν, ὡς δ' ἕτεροι γεγράφασιν, ἐν Ἐρυθραῖς, ἀφεδρὸν τῆς Ἴδης, ἔνθα ἔκει Σίβυλλα, θεσπιῳδὸς νύμφη, χρησμῳδὸν· ἡ αὐτοῖς ἔφασκε πλεῖν ὅτι δυσμῶν Ἡλίου, ἕως ἂν εἰς τοῦτο τὸ χωρίον ἔλθωσιν, ἐν ᾧ καταδὰς τὰς τραπέζας. * — * · Λαβόντ' ἦ, ὡς ἰὼ τότε βασιλεὺς, πολεμοῦντι περὶ ἔθνος ἕτερον, τὰς καλυμμένας Ῥοδόλας, ἐξ ὑσημερινῆς τὰς μάχας, ἀγγέλλει τὰ γινόμενα ὅτι τὸ φοβερώτατον, ὡς ἀνάσχοι· αὐτοῦ γένοιτο πᾶσα ἡ ταλαι-

λιθ· ὑποτροχίῳ τραπέζᾳ· καὶ εἰ μὴ σῦς ἔχοι κολύσοι τὸ δρόμημα, ἰσχυρὸς αὖτις φαίησι) ὁ πρὸς τοῦ ἀσυγείτονας ἀγών. Ἀκούσαντες δὲ τῷ ἀνδρὶ δεῖν εἰσέρχεσθαι· καὶ αὐλίκα δὲ παρόντι πολέμου μεθέμεν, ὅτι τοῦ Τρῶας ἐλαυνόμενοι πλήθει τραπέζας· ὁρῶν δὲ αὐτοὺς ἀπλισμένους τε ὡς Ἕλληνας, καὶ ἐν τάξει οὐκ ὄντας ἀκαίρως τὸ δεινὸν ὑπομένοντας, τῆς μὲν αὐλίκα θαρσυνθῆναι, ὡς οὐκ αὖ ἐξ ἐφόδου αὐτοὺς ἔτι χειρωσόμενον, καθ' ὧν ἔχει λίαν οἴκοθεν ὁρμώμενον, ἀποτρέπει). * · Αἰνείᾳ δὲ οἱ πατρῷοι θεοὶ τὸ αὐτῆς νυκτὸς φανέντες θαρσαλέον) πείθειν Λατῖνον ἐκέλευε θαρσεῖν σφίσι τῶν οἰκήσιν ἐν ᾗ βέλος) χωρεῖν, καὶ χρήσασθαι δυνάμει Ἑλληνικῇ συμμάχῳ μᾶλλον, ἢ διαφέρειν. ἀμφοτέρους δὲ τὸ ὄναρ σκῶλυε ἀρχὴν μάχης. Ὡς δὲ ἡμέρα τε ἐγένετο, καὶ διεσκήπτοσαν εἰς μάχλον αἱ δυνάμεις, κήρυκες ἦσαν ἀμφὶ τοὺς ἡγεμόνας ἑκατέρωθεν, τὸ αὐτὸ αἰτοῦντες, σωθῆναι ἀλλήλοις εἰς λόγους· καὶ ἐγένετο ταῦτα. Πρῶτος δὲ ὁ Λατῖνος ἔγκλημα ποιεῖται τὸ ἀφνιδίου τε καὶ ἀκαλλιγλεσσον πόλεμον, ἤτοι τὴν Αἰνείαν λέγων, ὅσπερ ὧν ἐς τὴν Βελόμβρα ἀφῖκτο καὶ Φερέ τὰ χωρία, πεποιθὼς γε κἀδὲν δόλου πρότερον. * · Τοιαῦτα) αὖτις διαλεχθέντος, ἀπεκρίνατο Αἰνείας· Ἡμεῖς γὰρ μὲν Τρῶες ἐσμὲν, πόλεως δὲ ἀπὸ τῆς ἀφανεστάτης ἐν Ἕλλησιν ἐγόμεθα, ἣν ἀφαιρεθέντες ὑπὸ Ἀχαιῶν δεκάτῃ πολέμῳ χθονὸς ἔσαν, ἀλήτῃ πλανώμενοι, πόλεώς τε ἐς χώρας ἐν ᾗ τὸ λοιπὸν οἰκήσομεν ἀστερέμονα, θεοῖς) κελεύουσι πειθόμενοι, δεῦρο ἀφίγμεθα· καὶ ἡμῖν, ὡς τὰ θέσφατα λέγει, λιμὴν τε παλαίης ἥδε ἡ γῆ μόνη λείπει). πλέονος δὲ ἐς τὰς χώρας ὧν ἡμῖν δεῖ, δυστυχέστερον μᾶλλον ἢ δικαιότερον. ἀμφιψίμεθα δὲ αὐτὰ πολλαῖς καὶ ἀγαθοῖς ἔργων ἀμοιβαῖς. παρέχοιμεν ὑμῖν καὶ σώματα καὶ ψυχὰς ἐν πρὸς τὰ δέοντα πεπειθόμενας, χρῆσθαι ὁπόσα βούλεσθε, τῷ ὑμετέραν γὰρ φυλάττοιμεν ἀδήωτον, τῷ δὲ τὸν πολεμίων προθύμως συγκαλακλώμενοι. * · * · Ὡς δὲ ταῦτα ὁ Λατῖνος ἤκουσεν, ἀπεκρίνατο πρὸς αὐτόν. Ἀλλ' ἔγωγε δύναιτ' ἂν πρὸς ἅπαν τὸ Ἑλληνικὸν γένος ἔχω, καὶ συμφοραῖς ἀνθρώπων ἀναγκαίαις πάνυ ἄχθομαι. * · Εἰ δ' ἐπλήσθη) ἡμῖν ὅδε ὁ λόγος, πίστις τούτων αἰτῶ δοῦναι καὶ λαβεῖν, αἳ φυλάξουσιν ἀδόλους τὰς ὁμολογίας. Αἰνείας δὲ ἐπαύσατο) τὰ λεγόμενα, γίνου) σωθῆναι τῆς ἔθνεσιν ὑφ' ὁρκίων τοιάδε· Ἀβορίγινας μὲν Τρωσὶ δοῦναι χώραν ὅσην ἥξουσιν· Τρῶας δὲ Ἀβορίγινσι ξυνθέσθαι τε ἐν χερσὶ πολέμου συλλαβεῖν, ὅπως ἂν ἄλλη θαρσαλῶς), συμβαλεῖν· κοινῇ δὲ ἀμφοτέρους τὰ κρείσσω ὑπὲρ ἀλλήλων πρᾶξαι καὶ χρῆσθαι καὶ γνώμῃ. Σωθῆμεν δὲ τοῦτο κοινῇ τραπέζῃσιν ὅτι τὰς πόλεις τῶν Ῥωτίλων. ὃ δὲ ὀλίγῳ δὲ τάχει πάντα ἐχείρωσαν.

Hoc est: *Postquàm, Laurento adpulsi tentoria fixerunt per litora, prandium eis humi sumentibus multi, mensæ vice, cibis substraverunt apium; vel, sicut alii dicunt, crusta triticea; quò vescerentur mundiùs. Absumptis autem cibis adpositis, quum unus atque mox alter non temperarent ab apiis sive crustulis suppositis; quidam ex Aeneæ filiis, ut fertur; (sive is fuit alius quispiam è contubernalium numero) exclamat; At nos jam & mensam comedimus. Quo audito, omnes tumultuati sunt: ut qui jam oraculi eventum cernerent. acceperant enim quoddam responsum apud Dodonam, ut nonnulli tradunt; ut verò alii scribunt, in Erythris, Idæ viculo; ubi habitabat Sibylla, eius loci nympha fatidica. hæc jusserat eos navigare in occidentem versùs; donec eò locorum pervenirent, ubi mensas comederent.* Haud multo pòst: *Intereà Latinus, penes quem tumerat regnum, adversùs Rutulos finitimos bellum gerens, aliquoties parum feliciter pugnaverat. ei mox terribilis nuncius adfertur, vastari totam oram maritimam ab extero exercitu. cui nisi occurratur celeriter, fore bellum cum vicinis difficilius. His auditis, metus virum subit. confestimque, intermisso præsenti bello, in Troianos magnum educit exercitum. At quum videret eos Graco more armatos; & servatis ordinibus impavidè instantem Martis aleam exspectantes; mittit dimicationem subitam.* Mox: *Aeneæ dii penates eâdem nocte per visionem oblati, hortantur, persvadeat Latino, ut sponte sedeis concedat, ubi voluerint: malitque Græcis sociis uti, quàm hostibus. Ambos utique somnium vetabat prælium incipere. Vt verò exortâ luce in provinctu stabant acies: utrimque ad duces missi caduceatores postulant colloquium. id quod impetratum est. Ac prior Latinus questus, repentino se nec denunciato bello peti rogabat Aeneam, quisnam esset, quamve ob causam ageret feretque res suas, nullâ unquàm lacessitus injuriâ.* Mox: *Ad hæc Aeneas respondit: Nos Troiani sumus genere; profecti ab urbe apud Græcos non incelebri. qua post decennale bellum ab Achivis captâ & nobis ademptâ, errabundi urbem aliam & agrum, ubi habitemus in posterum, quærimus. hucque pervenimus diis ita juventibus. quorum oracula pollicentur, hanc solam terram nostris erroribus portum fore. Ex agris autem res usibus nostris necessarias quærimus; miseriæ magis nostræ, quàm honesti, memores. Sed injuriam hanc pensabimus multis beneficiis officiisque; offerentes vobis & corpora & animos duris jam rebus probè exercitos. quibus si uti libet, à vestris agris injuriam omnem prohibebimus; hostileis verò unà vobiscum impigrè occupabimus.* Exiguo pòst: *Ad hæc Latinus; Equidem & Græcorum, inquit, omnes genus diligo, & fatalibus homi-*

num

num casibus condoleo. Quòd si vera sunt, quæ dicitis; fidem date & accipite, quæ nostra sine dolo malo confirmet fœdera. Aeneâ verò probante eius sententiam, fœdus inter utrosque ictum est hisce condicionibus: Vt Aborigines darent Troianis agri quantum peterent: Troiani Aboriginibus essent in præsenti bello socii: eorumque auspiciis, ubicumque usus postulaverit, militarent. utrique alteros pro viribus juvarent mutuò, tàm manu quàm consilio. Hæc pacti, communem expeditionem in Rutulos faciunt: brevique omnia illorum opida agrosque capiunt. Hactenus igitur historiam de Aeneæ in Italiam adventu Dionysius recitavit. quam omnem in *Pelasgorum* genteis adventum quadrare, mutatis tantùm nominibus; si pro Aeneâ *Euander*, pro Troianis *Pelasgi*, pro Rutulis *Siculis* ubique intelligantur; ex ipsius Dionysii relatione apertè ac dilucidè adparebit. sic quidpe ille eodem lib. 1 antè: Ἔπειτα Πελασγῶν τινες, τῶν οἰκούντων ἐν τῇ καλουμένῃ Θεσσαλίᾳ, τῶν ἑαυτῶν ἀναγκασθέντες ἐκλιπεῖν, σωοῖκοι γενόμενοι τοῖς Ἀβορίγισι, ἐκοινῇ μετ' ἐκείνων ἐπολέμουν πρὸς τοὺς Σικελούς. Id est: *Posthæc Pelasgorum quidam, Thessaliam patriam linquere coacti, ab Aboriginibus in partem agrorum recipiuntur: bellumque communibus opibus contra Siculos cum iis gerunt.* Narrat hinc, quo pacto è Peloponneso primùm in Thessaliam, deinde è Thessaliâ ad Dodonam, Epiri urbem pervenerint; unde in Italiam trajecerunt. Καταστασάμενοι δή, inquit, ναῦς πολλὰς, περαιοῦνται τὸ Ἰόνιον. καὶ πρὸς ἐνὶ τῶν ἀπὸ Πάδου στομάτων ὁρμισάμενοι, Σπινῆτι καλουμένῳ, ναῦς μὲν αὐτοῦ πολλὴν καταλείπουσι, καὶ τὸ ἥκιστα δυνάμενον πελαγοπορεῖν ὄχλον, φυλακὴν ἐπ' αὐτοῖς καταστήσαντες, ὡς ἔχοιεν, εἰ μὴ προχωροίη σφίσι τὰ πράγματα, καταφυγήν. καὶ οἱ μὲν ἀποτειχίσαντες ἐν τούτῳ τῷ χωρίῳ, τείχει τῷ σφετέρῳ περιβαλόμενοι, ἐπειδὴ καιρὸν γνώμῃ ἐδόκει αὐτοῖς χωρεῖν τὰ πράγματα, πόλιν ἔκτισαν ὁμώνυμον τῷ στόματι καὶ πόλει. Οἱ δὲ διὰ τῶν μεσογείων τραπόμενοι, τὸν ὀρθμὸν τὸν Ἰταλίας ὑπερβαλόντες, εἰς τὴν Ὀμβρικῶν ἀφικνοῦνται χώραν, τῶν ὁμορούντων Ἀβορίγισι. τὸ μὲν οὖν κατ' ἀρχὰς ἐκράτησαν οἱ Πελασγοὶ τῶν χωρίων, ἔνθα τὸ πρῶτον ἱδρύσαντο, καὶ πολισμάτια τῶν Ὀμβρικῶν καταλάβοντό τινα. στρατηλατοῦντος δὲ ἐπ' αὐτοὺς μεγάλου στρατοῦ, δείσαντες τὸ πλεμίων τὸ πλῆθος, εἰς τὴν Ἀβορίγινων ἀπόντες τρέπονται. καὶ οἱ μὲν Ἀβορίγινες ἄπτι πολεμίοις ἐδικαίουν αὐτοῖς προσφέρεσθαι· καὶ σωθῆσαν ἐκ τῶν ἔγγιστα χωρίων βαλόντες, ὡς ἀναστήσαντες αὐτούς. οἱ δὲ Πελασγοὶ (τυγχάνουσι γὰρ ἐν τούτῳ τῷ χωρίῳ καὶ δαίμονα σφὶ Κοτύλλιν πόλιν Ἀβορίγινων αὐλισάμενοι πλησίον τῆς ἱερᾶς λίμνης) ὡς τὴν νησίδα τὴν ἐν αὐτῇ περιδονημένην κατέμαθον, καὶ σφᾶς τῶν αἰχμαλώτων, ὃς ἐκ τῶν ἀγρῶν ἔλαβον, ἤκουσαν τὸ τῶν ὑπηκόων ὄτομα, πόλιν ἔχειν σφίσι τὸ ἱερώτατον ἀπέλαβον. ὁ γὰρ ἐν Δωδώνῃ χρόμβος αὐτοῖς χρησμὸς ὧδὶ εἶχε·

Σείχεϊ μοιρίδιοι Σικελῶν Σατορνίαν αἶαν
Ἣν δ' Ἀβορίγινες Κοτύλλιν, ἕ νᾶσον ὀχεῖται·
Οἷς αὐαμιχθέντες, δεκάτῳ ἐκπέμψατε φοίβῳ,
Καὶ κεφαλὰς Ἄιδη, καὶ τῷ πατρὶ πέμπετε φῶτα.

Ἐλθοῦσι δὴ τοῖς Ἀβορίγισι σὺν πολλῇ στρατιᾷ, ἱκετηρίας οἱ Πελασγοὶ προτείνοντες, ὁμόσε χωρῆσιν ἄνοπλοι· φράζοντές τε τὰς ἑαυτῶν τύχας, καὶ δεόμενοι πρὸς φιλίαν δέξασθαι σφᾶς σωοίκους, ἐ λυπηρὰς ἐσομένους· ἐπεὶ καὶ τὸ δαιμόνιον αὐτοὺς εἰς τήνδε μόνην αἰεὶ τὴν χώραν· ἐξηγημένοι τὸ λόγιον. Τοῖς δὲ Ἀβορίγισι πρότερα πυθομένοις ἐδόκει πείθεσθαι τῷ θεοπρεπεῖ, καὶ λαβεῖν συμμαχίαν Ἑλλησιν καὶ τῶν βαρβάρων, πονήμενοι τῷ πρὸς τοὺς Σικελοὺς πολέμῳ. Σπίνδονται γε δὴ πρὸς τοὺς Πελασγούς· καὶ διδόασιν αὐτοῖς χωρία, τῶν ἑαυτῶν ὑποδασάμενοι, τὰ περὶ τὴν ἱερὰν λίμνην· ἐν οἷς ἐν τοῖς πολλὰ ἐλώδη· ἀνῆκαν, καὶ τὸν ἀρχαῖον τρόπον, οὐέλια ὀνομάζεται. Ἐπὶ πλεῖστον δὲ χρόνον αὐτῶν οὐκ ἐλαχίστη, ὡς ἡ γῆ πᾶσιν οὐκ ἀπέχρη, πείσαντες οὖν Ἀβορίγινας σωαρχίᾳ σφίσι τὴν διεξόδῳ, στρατεύσειν ἐπὶ τοὺς Ὀμβρικούς, καὶ πολιν αὐτῶν εὐδαίμονα καὶ μεγάλην ἄφνω προσπεσόντες αἱρήσει Κρότωνα. ταύτῃ φρονήματι καὶ ἐπιτηδεύσματι καὶ τῶν Ὀμβρικῶν χρώμενοι. πολλῶν δὲ ἄλλων ἐκράτησαν χωρίων· τοῖς τε Ἀβορίγισι τὸν πρὸς τοὺς Σικελοὺς πόλεμον ἐπὶ σωτηρίᾳ πολλῇ προθυμίᾳ συνδιέφερον, ἕως ἐξήλασαν αὐτοὺς ἐκ τῆς σφετέρας. Hoc est: *Paratâ itaque classe mare Ionium trajicientes, ad unum à Padi ostiis, nomine Spinetem, adplicuerunt: ibique naves reliquerunt & turbam ferendis laboribus imparem. non sine præsidio; ut refugium haberent, si res non succederent ex sententiâ. Hi eo loco manentes, castra cinxerunt mœnibus. & quum eis ex voto cederent omnia; urbem condiderunt ostio fluminis cognominem. At illi, qui mediterranea petierunt, superatis Italiæ montibus, pervenerunt in Vmbrorum agrum, Aboriginibus finitimum. Initio igitur in potestatem suam redegerunt agros, in quibus primùm consederunt; potiti etiam quibusdam Vmbrorum opidulis. sed quum adversùs eos convenisset ingens exercitus, territi hostium multitudine, contulerunt sese in Aborigi-*

Aboriginum urbem, prope sacrum lacum, stativa habebant; postquàm contemplati sunt fluctantem in eo insulam; & ex captivis, quos in agris interceperant, audiverunt adpellationem eius regionis hominum: crediderunt, finem jam habere suum oraculum. namque apud Dodonam redditum eis responsum sic habebat:

Pergite quærentes Siculûm Saturnia rura
Atque Aboriginidem Cotylem; ubi se insula vectat.
Queis missi, decimas Clario transmittite Phœbo,
Et Diti capita; & transmittite lumina patri.

Adventantibus igitur magno cum exercitu Aboriginibus occurrunt Pelasgi cum oleæ ramis inermes ac supplices. expositisque suis casibus, orant, ut sese recipiant in amicitiam & partem sedium; nequaquàm graves futuros. & exponentes oraculum, aiunt, sese ad ea loca sola deûm monitu delatos. His auditis adsenserunt Aborigines: quòd fessis bello Siculo placeret Græca societas contra infensos sibi barbaros. itaque cum Pelasgis fœdus feriunt; partemque agrorum illis adsignant circa sacrum lacum: quorum pleraque erant palustria; dicta nunc prisco lingvæ more Velia. Posteà verò bona eorum pars, quum agri omnibus non sufficerent, Aboriginibus in expeditionem adscitis, bello Vmbros adgrediuntur: urbemque eorum florentem ac magnam Crotonem repentino incursu capiunt: qua mox pro arce belli contra Vmbros usi sunt. posthinc alia quoque loca multa in potestatem suam redegerunt: & Aboriginibus adversùm Siculos promptam præstiterunt operam; donec eos ejecerunt sedibus suis.

En, Pelasgos ait *ad Padi ostia adpulsos urbem* illic *condidisse*. idem Aeneam *ad Tiberis ostia* fecisse, alii tradunt auctores, quos infrà producam, in descriptione huius litoris. Pelasgos, ait Dionysius, infesto agmine Aboriginum petiisse regionem; ibique *captivos in agris intercepisse*. idem fecisse Aeneam in Laurenti agro apud oram maritimam, cùm ipse tùm alii tradunt scriptores. *Cutiliam* nobilissimam fuisse Aboriginum urbem, testatur Dionysius lib. II. in præscriptis autem verbis Pelasgos ait *circa hanc consedisse*. Aeneam circa *Laurentum* opidum, Aboriginum regum sedem regiam consedisse, omnes testantur cum ipso alii auctores. *Apud Dodonam responsum redditum* esse Pelasgis, tradit Dionysius, *de insulâ fluctuante in Cutiliensi lacu*. Aeneæ prædixisse idem *oraculum Dodonæum de mensarum consumptione*, ipse juxtà cum aliis refert. Sed & de *lacu* nonnihil quidam Aeneïæ fabulæ adfinxerunt. Sex. Aurel. Victor, in libro de Origine gentis Romanæ: *Domitius lib. I docet, sorte Apollinis Delphici monitum Aeneam, ut Italiam peteret; [&] ubi duo maria invenisset, prandiumque cum mensis comesset, ibi urbem uti conderet. Itaque egressum in agrum Laurentem, quum paullum à litore processisset, pervenisse ad duo stagna aquæ salsæ, vicina inter se: ibique quum se lavisset; ac refectum cibo, quum apium quoque, quod tunc vice mensæ substratum fuerat, consumpsisset; existimantem, procul dubio illa esse duo maria; quòd in illis stagnis aquæ marinæ species esset; mensasque, quæ erant ex stramine apii, comestas; urbem in eo loco condidisse; eamque, quòd in stagno laverit, Lavinium cognominasse.* Circa *Cutiliensem lacum* alios quoque esse lacus, maximum verò omnium *Velinum*, suprà lib. II cap. VIIII in Sabinis intellectum. Porrò *hanc solam terram* Pelasgis ostendisse Dodonæum oraculum, scribit Dionysius. Aeneæ idem, tradit, factum de Laurenti agro. *Magnum exercitum*, ait, Aborigines contra Pelasgos eduxisse. idem & ipse & Livius aliique auctores scribunt Aborigines fecisse adversùm Troianos. Dionysius dicit, Pelasgos tunc *Aboriginibus occurrisse inermeis ac supplices cum oleæ ramis*. de Aeneâ idem tradit Virgilius Aeneid. lib. VII, his versibus:

Tum satus Anchisâ, delectos ordine ab omni,
Centum oratores augusta ad mœnia regis
Ire jubet, ramis velatos Palladis omneis.

Et in his princeps legationis Ilioneus ita adfatur Latinum regem.

Diis sedem exiguam patriis lituque rogamus
Innocuum, & cunctis undamque auramque patentem.
Non erimus regno indecores.
Nec Troiam Ausonios gremio excepisse pigebit.
Multi nos populi, multa
Et petière sibi, & voluêre adjungere gentes.
Sed nos fata deûm vestras exquirere terras
Imprimis egêre suis.

Partem

Partem tunc *agrorum* Troianis *adsignasse* Latinum, Aboriginum regem, *quòd Græca* adversùs Rutulos *placeret societas*, tradit Dionysius. idem verò etiam de Pelasgis narrat, contra finitimos Siculos in societatem & partem sedium receptis. Et, πνεμένης, ait, τῷ πρὸς τὰς Σικελὰς πολέμῳ λαβεῖν Ἀβοριγῖνες τὴν συμμαχίαν. id est, *fessos bello Siculo adsumpsisse hanc societatem Aborigines*. de Latino autem rege in eamdem sententiam tradit: nempe, πολεμοῦντα πρὸς ἔθνος ὅμορον τὰς Ῥοπόλας, ἐν δυσημερήσαντα κ τὰς μάχας, id est, *quòd, bellum cum finitimâ gente Rutulorum gerens, infaustis sæpè prœliis congressus esset*, Troianorum societatem adsciverit. Denique factum esse ait æquum fœdus inter Aborigines atque Pelasgos: horumque ope atque auxilio illos omnibus agris suis ejecisse Siculos. simulque tradit, inter Latinum atque Aeneam similibus condicionibus fœdus ictum, uti Rutulos sedibus suis pellerent. Quando igitur jam antè satis & abundè ostensum, nullum umquàm in Italiam à Troiâ captâ venisse *Aeneam*, nullum item fuisse *Romulum* aut *Romum* seu *Remum*, Numitoris nepotes, nullam horum matrem *Iliam* seu *Rheam Silviam*; quis jam non credat, ex antiquissimis istis ac veris Pelasgorum Aborigiuumque rebus gestis confictam esse, sive per errorem, seu per poëticum lusum, omnem hanc de Aeneâ fabulam? Sed, uti colophonem huic dissertationi imponam: non tantùm agros Troianis in sedem dedisse Latinum regem, verùm etiam duci eorum Aeneæ filiam Laviniam in connubium, tradunt isti auctores. Hoc quoque ad Pelasgus spectare, facilè evicerim. quidpe *Euandrum* in Sabino agro, quem quondam incoluisse Aborigines, suprà perspectum, accepisse nescio cuius filiam (fortè Aboriginum ducis) in uxorem, haud obscurè patet ex Virgilii Aeneid. lib. VIII; ubi poëta introducit Euandrum ita Aeneam de filio suo *Pallante* adloquentem:

Gnatum exhortarer; ni, mixtus matre Sabellâ,
Hinc partem patriæ traheret.

Pro *Euandro* igitur fabulatores illi *Aeneam*, pro *Pallante* verò *Ascanium* sive *Iulum* supposuêre. At alii non tantùm Pallantem Aeneæ secêre filium, sed & ipsum Euandrum. unde illud Cedreni in Annalibus: Εὔανδρον δὲ καὶ Πάλαν, οἱ δὲ Αἰνείου υἱοὶ, καὶ καλυφθέντα ἐπαρχίαν ἰθωίους, οἶκον οἰκοδομῆσαι πάνυ μέγαν κ θαυμαστὸν, κ ποιοῦσιν, ὡς ἐξ ἐκείνου πᾶσα βασιλέων οἶκον Παλάπον ὀνομάζεσθαι. Id est: *Euander & Palas, Aeneæ filii, quum provinciam Valentem regerent; domum ædificarunt mole & structurâ admirandam. unde obtinuit, ut omnes regiæ palatia nominentur*. Porrò Aeneas traditur, post acceptos à Latino agros in sedem, & filiam *Laviniam* in conjugem, opidum condidisse haud procul Laurento, cui nomen ab uxore imposuerit *Lavinium*. hoc etiam ex Euandri historiâ sumptum. quidpe Euander in acceptis ab Aboriginibus circa Cutiliam & Reate agris, qui ἀπὸ τῶν ἑλῶν, ut inquit Dionysius, id est, *à paludibus*, dicebantur *Velia*, condidit opidum, cui, sive ab filio *Pallante*, sive à priscæ avitæque in Peloponneso patriæ memoriâ, vocabulum indidit *Pallantium*; quod alii *Pallantéum*, alii item *Palantéum* & *Palantium*, & *Palatium* dixêre: ut superiori capite, & item lib. II cap. VIII in Sabinis ostensum. Servius ad Aeneid. lib. VIII: *Hic mons Palatinus secundùm Virgilium à Pallante, avo Euandri, est dictus: secundùm Varronem & alios, à filiâ Euandri Pallantiâ, ab Hercule vitiatâ; & posteà illic sepultâ. alii à Pallante, qui de filiâ Euandri natus, & ibi sepultus est immaturæ ætatis. alii à filio Euandri: qui post mortem patris seditione occisus est. alii à balatu Balantéum volunt dictum; & exinde per antistichon Palantéum*. Solinus cap. II: *Sunt, qui velint, à balatibus ovium, mutatâ literâ, vel à Pale, pastorali deâ, aut, ut Silenus probat, à Palanthô, Hyperborei filiâ; quàm Hercules ibi compressisse visus est, nomen monti adoptatum*. Festus: *Palatium mons Romæ adpellatus est, quod ibi pascens pecus balare consueverit; vel palare, id est errare, ibi pecudes solerent. alii, quòd ibi Hyperborei filia Palanto habitaverit; quæ ex Hercule Latinum peperit. Alii eumdem, quòd Pallas ibi sepultus sit, existimant, adpellari*. Dionysius lib. I: Ὄνομα ἢ τῷ πλίσματι τούτῳ ὑφηγοῦ Παλάντιον, ὡς ἔνιες ἱστοροῦσιν, ὧν ἐστι κ Πολύβιος ὁ Μεγαπολίτης, ἀπὸ ἔνιος μειρακίου Πάλαντος, αὐτόθι τελευτήσαντος. τοῦτον δὲ Ἡρακλέους εἶναι παῖδα κ Λαυίνας, τῆς Εὐάνδρου θυγατρός. Id est: *Huic opidulo nomen imponunt Palantium, ut quidam tradunt, in quibus etiam est Polybius Megapolitanus, ab adolescentulo quodam Palante, ibi defuncto. quem Herculis & Lavinæ, Euandri filiæ, fuisse filium ferunt*. Sed de Sabini agri *Palantio* ita tradit idem Dionysius eodem lib. I; ubi opida ex M. Terentii Varronis Antiquitatibus recenset, quæ Aboriginos habuerint in Reatino agro:

agro: Παλάτιον μὲν πέντε πρὸς τοῖς ἑκατὸν σταδίοις ἀφεστὼς Ῥεάτης. *Palatium*, XXV *stadia distitum ab Reate*. Phlegon Trallianus in libro de Admirandis & Longævis: Φαῦστος, Καίσαρος δοῦλος, ὁκ Σαβίνων, ἀπὸ Πραιτωρίου Παλλαντιανοῦ. Id est: *Faustus, Cæsaris servus è Sabinis, à Prætorio Pallantiano*. Varro de Lingvâ Latinâ lib. IIII: de Romanæ urbis Palatio loquens: *Palatium* [*dictum*,] *quòd palantes cum Euandro venerunt. aut, quòd Palatini, qui & Aborigines, ex agro Reatino, qui adpellatus Palatium, ibi consederunt*. Hanc historiam quum Solinus quoque alicubi legisset; per summum posteà errorem mirificè invertit. Cap. II de eodem Romanæ urbis Palatio loquens; *Palatium*, inquit, *nemo dubitaverit, quin Arcades habeat auctores. à quibus primùm Palanteum opidum conditum. quod aliquando Aborigines habitarunt. sed propter incommodum vicinæ paludis, quam præterfluens Tiberis fecerat, profecti Reate, postmodùm reliquerunt*. Imò heic in Reatino agro primùm habitarunt, apud paludes, quas Velini lacus fluviique stagnantes aquæ efficiebant. unde locus ipse *Velia*, & hinc lacus amnisque *Velinus* nomen accepit. Et quomodò *palus, quam præterfluens Tiberis fecerat*, pellere eos potuit, si *Palantium* hoc opidum in edito colle fuit situm, qui posteà dictus est. *mons Palatinus?* Varro loco præscripto paullo pòst: *Huic* [*Palatio*] *Germalum & Velias conjunxerunt*. Mox: *Veliæ unde essent, plureis accepi causas. in queis, quòd ibi pastores Palatini ex ovibus, ante tonsuram inventam, vellere lanam sint soliti*. Adeò scilicet omnes urbis suæ antiquitates temporum longinquitate obscuratæ fuêre Romanis. Livius suprà dicto lib. I ita scribit de Aboriginibus atque Troianis, deque eorum ducibus sive regibus Latino & Aeneâ: *Inde fœdus ictum inter duces; inter exercitus salutationem factam. Aeneam apud Latinum fuisse in hospitio. Ibi Latinum apud penateis deos domesticum publico adjunxisse fœdus; filiâ Aeneæ in matrimonium datâ. ea res utique Troianis spem adfirmat tandem stabili certâque sede finiendi erroris. opidum condunt. Aeneas ab nomine uxoris Lavinium adpellat. Bello deinde Aborigines Troianique simul petiti. Neutra acies læta ex eo certamine abiit. victi Rutuli: victores Aborigines Troianique ducem Latinum amisêre. Inde Turnus Rutulique, diffisi rebus, ad florenteis Etruscorum opus confugiunt. Aeneas adversùs tanti belli terrorem ut animos Aboriginum sibi conciliaret; ne sub eodem jure solùm, sed etiam nomine omnes essent; Latinos utramque gentem adpellavit. Nec deinde Aborigines Troianis studio an fide erga regem Aeneam cessêre*. Dionysius lib. I: Ἀπέστησαν αὖθις ἀπὸ Λατίνου Ῥοῦτλοι, λαβόντες ἡγεμόνα Τύρνον. πολεμοῦ δὲ γιγνομένου καὶ μάχης ἰσχυρᾶς, Λατῖνος μὲν ἀποθνήσκει καὶ Τύρνος, καὶ τ' ἄλλων συχνοί. κρατῆσαι δ' ὅμως οἱ σὺν Αἰνείᾳ. ὁκ ὀλίγῳ τοίνυν τῷ ὑπὸ τῷ κηδεστῇ γιγνομένῳ δρόμῳ λαμβάνει Αἰνείας τὴν ἀρχήν. Id est: *Rutuli denuo ab Latino defecerunt, duce sibi constituto Turno. Bello itaque redintegrato, & prælio acri commisso, Latinus atque Turnus cecidêre, aliique complures. Aeneas tamen & victoriam consequutus est, & regnum soceri*. Commune *Latinorum* nomen adsumpsisse Aborigines simul atque Troianos statim post fœdus initum matrimoniumque inter Aeneam Laviniamque contractum, auctor est idem Dionysius paullo antè. hoc igitur etiam in historiam Euandri Pelasgorumque quadrat. quos simul ac in partem agrorum circa Cutiliam & Reate ab Aboriginibus recepti fuêre, in commune cum ipsis *Latinorum* nomen corpusque transisse, superiori capite ostendi. Quis tunc & quo nomine dux Aboriginum fuerit, incertum est; quando à regionis nomine *Latio Latinos* dictos veri simile est. Cecidisse eum ducem in aliquo contra Siculos prœlio, Euandrumque, ei in imperio successisse, ex Aeneæ historiâ, quam omnibus planè partibus ac numeris cum rebus Pelasgorum convenire suprà intellectum, haud vano jam documento colligere datur. Apud Macrobium Saturnalior. lib. I cap VII ita scriptum est: *Regionem istam, quæ nunc vocatur Italia, regno Ianus obtinuit. hic quum Saturnum, classe pervectum, excepisset hospitio, &, ab eo edoctus peritiam ruris, ferum illum & rudem ante fruges cognitas victum in melius redegisset: regni eum societate muneravit. quum primus quoque æra signaret; servavit & in hoc Saturni reverentiam, ut, quoniam ille navi fuerat advectus, ex unâ quidem parte sui capitis effigies, ex alterâ verò navis exprimeretur: quo Saturni memoriam in posteros propagaret. Hos unà concordesque regnasse, vicinaque opida communi operâ condidisse, præter Maronem, qui refert,*

Ianiculum huic, illi fuerat Saturnia nomen;

etiam illud in promptu est, quòd posteri quoque duos eis continuos menseis dicarunt: ut December sacrum Saturni, Ianuarius alterius vocabulum possideret. Quum inter hæc subitò

[*Saturnus*

Saturnus non comparuisset; excogitavit Ianus honorum eius augmenta. ac primùm terram omnem ditioni suæ parentem Saturniam nominavit. aram deinde cum sacris tamquàm deo condidit, quæ Saturnalia nominavit. tot sæculis Saturnalia præcedunt Romanæ urbis ætatem. Eamdem rem tradit & Sex. Aurelius Victor, in libro de Origine gentis Romanæ, his verbis: *Primus in Italiam creditur venisse Saturnus: ut etiam Maronis Musa testatur illis versibus:*

Primus ab æthereo venit Saturnus Olympo;
Arma Iovis fugiens, & regnis exsul ademptis.

Tanta autem usque id tempus antiquorum hominum traditur fuisse simplicitas, ut venienteis ad se advenas, qui modò, consilio ac sapientiâ præditi, ad instruendam vitam formandosque mores aliquid conferrent; quòd eorum parenteis atque originem ignorabant; cælo & terrâ editos, non solùm ipsi crederent, verùm etiam posteris adfirmarent: veluti hunc ipsum Saturnum; quem Cæli & Terræ filium esse dixerunt. Quòd quum ita existimetur; certum tamen est, priorem Ianum in Italiam devenisse; ab eoque posteà venientem exceptum esse Saturnum. Aliquanto pòst: *Igitur Iano regnante apud indigenas rudeis incultosque, Saturnus, regno profugus, quum in Italiam venisset, benignè exceptus hospitio est: ibique haud procul à Ianiculo arcem suo nomine Saturniam constituit. isque primus agriculturam edocuit; ferosque homines & rapto vivere adsvetos ad compositam vitam eduxit.* Virgilius Aeneid. lib. VIII Euandrum introducit ita Aeneæ narrantem:

Hæc nemora indigenæ Fauni Nymphæque tenebant,
Gensque virûm truncis & duro robore nata:
Queis neque mos neque cultus erat: nec jungere tauros
Aut componere opes norant, aut parcere parto:
Sed rami atque asper victu venatus alebat.
Primus ab æthereo venit Saturnus Olympo;
Arma Iovis fugiens, & regnis exsul ademptis.
Is genus indocile, ac dispersum montibus altis,
Composuit; legesque dedit: Latiumque vocari
Maluit; his quoniam latuisset tutus in oris.

Paullo pòst:

Hæc duo prætereà disjectis oppida muris,
Reliquias veterumque vides monimenta virorum.
Hanc Ianus pater, hanc Saturnius condidit arcem.
Ianiculum huic, illi fuerat Saturnia nomen.

Justinus lib: XLIII: *Italiæ cultores primi Aborigines fuêre. quorum rex Saturnus tantæ justitiæ fuisse traditur, ut neque servierit sub illo quisquam, neque quidquam privatæ rei habuerit; sed omnia communia & indivisa omnibus fuerint; veluti unum cunctis patrimonium esset. ob cuius exempli memoriam cautum est, ut Saturnalibus, exæquato omnium jure, passim in conviviis servi cum dominis recumbant. itaque Italia regis nomine Saturnia adpellata est; & mons, in quo habitabat, Saturnius.* Hæc sanè *poëticis magis*, ut ait lib. I Livius, *decora fabulis, quàm incorruptis rerum gestarum monumentis, traduntur:* At alii ista non *Saturno deo*, sed *Euandro Arcadi* tribuerunt. Idem ille Sex. Aurel. Victor paullo pòst: *Primus itaque omnium Euander Italicos homines legere & scribere edocuit, literis partim, quos ipse anteà didicerat. idemque fruges, in Græciâ primùm inventas, ostendit; serendique usum edocuit: terræque excolendæ gratiâ primus boves in Italiâ junxit.* Dionysius lib. I, postquàm ostendit, quæ templa Euander cum Arcadibus in Palatino monte exstruxerit, quæque sacra inibi instituerit: Λεγόιτο δὲ καὶ γεγραμμάτων Ἑλληνικῶν χρῆσιν εἰς Ἰταλίαν πρῶτος Εὐάνδρου νεωστὶ Φαναῖον Ἄρκασι· νόμους τε θεσθαι, καὶ τὴν διαίταν ἐπὶ τοῦ βασιλεύοντος ὅπως πλείστων εἰς ἡμερότητα μεταγαγεῖν· τέχνας τε καὶ ἐπιτηδεύματα δ' ἄλλα τινὰ πολλὰ ἀφελήματα εἰς τὸ κοινὸν καταθεῖναι· καὶ μάλιστα τοῦτο πολλῆς ἐπιμελείας τυγχάνειν ἄξιος τῶν ἐπιδεξαμένων. Τοῦτο δεύτερον ἔθνος Ἑλληνικὸν, μετὰ Πελασγοὺς, ἀφικόμενον εἰς Ἰταλίαν κοινωνὸν ἔσχε μετὰ Ἀβορίγινων οἴκησιν, ἐν τῷ κατὰ τὴν Ῥώμης ἱδρυσάμενον χωρίῳ. Hoc est: *Dicuntur etiam Græcarum literarum usum, recèns Arcadico genti ostensum, primi in Italiam transvexisse. leges item dedisse: & vitam, anteà ferinam, maiori ex parte mitem ac mansvetam reddidisse. sed & artes ac studia multaque alia utilia contulisse: atque his eorum, à quibus recepti fuerunt, benevolentiam ac propensitatem sibi conciliasse. Hæc igitur secunda, post Pelasgos, est gens Græca, quæ, in Italiam delata, communeis cum Abori-*

Aboriginibus ſedes habuit; easque in præcipuo Romanæ urbis loco conſtitutas. Sanè non poſt Pelaſgos, ſed poſt Oenotros ſive Aborigines ſecundi Græcorum Italiam intraverant *Arcades*, ipſi Pelaſgi, ut ſuperiori capite demonſtratum. Hinc Tacitus Annal. lib. XI: *In Italiâ literas Aborigines Arcade ab Euandro didicerunt.* Plinius verò lib. VII cap. LVI: *In Latium literas attulerunt Pelaſgi.* Et Ovidius Faſtor. lib. II, de Panis numine ac ſacris loquens:

Transtulit Euander ſilveſtria numina ſecum.
Heic, ubi nunc urbs eſt, tunc locus urbis erat.
In de deum colimus devectaque ſacra Pelaſgis.
Flamen ad hæc priſco more dialis erat.

Et apud Macrobium præſcripto loco Varro & Accius poëta diſertè teſtantur, *Saturnaliorum* feſtum & ante conditam Romam in Græciâ fuiſſe, & inde in Italiam invexiſſe eosdem illos Pelaſgos, quos ex Theſſaliâ Dionyſius tradit ad Padi oſtia, atque inde in Reatinum agrum ad Aborigines urbemque eorum *Cutiliam* perveniſſe. Verba Macrobii hæc ſunt: *Nec illam cauſam, quæ Saturnalibus adſignatur ignoro: Quòd Pelaſgi, ſicut Varro memorat, quum, ſedibus ſuis pulſi, diverſas terras petiſſent, confluxerunt plerique Dodonam; &, incerti quibus hærerent locis, eiusmodi accepêre reſponſum:*

Σείχεῖε μηλόβοτοι Σικελῶν Σατορνίαν αἶαν
Η'δ' Α'βοριγινέων Κοτύλην, ἵ νᾶσος ὀχεῖται·
Οἷς αἰαμιχθείεις, δεκάτην σκηπτοῦχε Φοίβῳ,
Καὶ κεφαλὰς Α'ΐδῃ, καὶ τῷ πατρὶ πέμπετε φῶτας.

[Hoc eſt:

Pergite quærentes Siculûm Saturnia rura
Atque Aboriginidem Cotylem; ubi ſe inſula vectat.
Queis miſti, decimas Clario transmittite Phœbo,
Et Diti capita; & transmittite lumina patri.

Acceptâque ſorte, quum Latium poſt errores plurimos adpuliſſent; in lacu Cutilienſi enatam inſulam deprehenderunt. Mox: *Hoc igitur miraculo deprehenſo, has ſibi ſedeis pradictas eſſe didicerunt. vaſtatisque Sicilienſibus incolis, occupavêre regionem; decimâ prædæ, ſecundùm reſponſum, Apollini conſecratâ: erectisque Diti ſacello & Saturno ara: cuius feſtum Saturnalia nominarunt.* Et aliquanto pòſt: *Sed ex his cauſis, quæ de origine huius feſti relatæ ſunt, adparet, Saturnalia vetuſtiora eſſe urbe Romanâ. adeò, ut ante Romam in Græciâ hoc ſolenne cœpiſſe L. Accius in Annalibus ſuis referat his verſibus:*

Maxima pars Graiûm Saturno, & maximè Athenæ
Conficiunt ſacra, quæ Cronia eſſe iterantur ab illis.
Hancque diem celebrant per agros urbeisque ferè omneis.
Exercent epulis leti; famulosque procurant
Quisque ſuos. noſtrique itidem. & mos traditus illinc
Iſte, ut cum dominis famuli epulentur ibidem.

Certum igitur eſt, omnia iſta primùm ex Arcadiâ deportata à *Pelaſgis* fuiſſe in Theſſaliam: inde per varios errores, duce *Euandro*, genere *Argivo*, in Italiam ad Aborigines: maximè verò literarum uſum, recèns inventarum. Excepti autem non ſolùm Pelaſgi fuêre benignè ab Aboriginibus in partem agrorum, ut ſuprà dictum, & commune *Latinorum* nomen; ſed & dux eorum Euander in regni ſocietatem ab rege Aboriginum: cui quod nomen fuerit, incertum eſt. poſterorum alii *Faunum* tradidêre. ſed minùs rectè: quum *Fannus* ipſe fuerit *Pan deus*: ut ſuperiori capite oſtenſum: cuius veherationem & ſacra primus in Italiam devexiſſe dicitur ipſe Euander. alii igitur *Ianum* adpellarunt: quem pro antiquiſſimo deorum ſuorum à Romanis cultum fuiſſe, ſuperiori capite ex Herodiano intelleximus. At quia primus hic advenarum in Italiam veniſſe dicitur Ianus; nomen id finxiſſe poſteà Latinos, credibile eſt, in Aboriginum rege, ad quem Euander pervenit, ab antiquiſſimo primoque gentis ſuæ conditore *Iavane*, Iapheti filio, Noaci nepote; à quo vetuſtiſſimum primumque poſt deſtructionem urbis Babylonicæ & gentium diſperſionem nomen fuiſſe invenitur Græcorum genti IONES. Conſimili modo eidem Pelaſgorum Aboriginumque poſteri *Latini* Euandro *Saturni* tribuerunt nomen: ab eoque primùm partem urbis Romanæ adpellarunt *Saturniam*, collemque, in quo ea ſita, *Saturnium*; mox omnem etiam regionem, quam incolebant, id eſt, totum *Latium*, *Saturniam*:

niam : quæ anteà à primis cultoribus *Siculis* dicebatur *Sicilia*; & ab rege eorum *Italo Italia*; ut ſuperiori capite, & item lib. I cap. I demonſtratum. Hinc poſteà alii dictarum rerum inventionem ſive traditionem ipſi adſcripſerunt Italo. Ariſtoteles Πολιτ. lib. VII cap. X: Τῶν γ' λέγουσι τὸν Ἰταλὸν νομάδας οὖσι οἰνωτρεῖς ὄντας ποιῆσαι γεωργούς. καὶ νόμους ἄλλους τε αὐτοῖς θεῖναι, καὶ τὰ συσσίτια καταστῆσαι πρῶτον. διὸ καὶ νῦν ἔτι τῶν ἀπ' ἐκείνου γενῶν τοῖς συσσιτίοις καὶ τῶν νόμων ἐνίοις. Hoc eſt: *Hunc igitur Italum ferunt Oenotros, quum paſtores eſſent, agricolas feciſſe; & primum cùm alias eis leges ſcripſiſſe, tùm ſodalitia ac convictus publicos inſtituiſſe. quapropter etiamnunc nonnulli ex iis, qui ab illo oriundi ſunt, ſodalitiis utuntur, & nonnullis aliis legibus.* Neque tamen arbitror, tam *Saturni* nomen tribuere voluiſſe Euandro poſteriores Latinos; quàm exiſtimaſſe, ipſum Saturnum deum iſtarum rerum primum inventorem fuiſſe, mortalibusque tradidiſſe. Sed in hac etiam hiſtoriâ multa cum fabulâ de Aeneâ congruunt. quidpe, quòd *Saturnus, profugus, claſſeque advectus, benignè ab Iano*, Aboriginum rege, *hoſpitio exceptus inque ſocietatem regni admiſſus* dicitur: id fabulatores illi de Latino, Aboriginum rege, & Aeneâ tradiderunt. In eo differunt, quòd hi Latinum ante Aeneam ex humanis rebus eduxerint; illi Saturnum ante Ianum exceſſiſſe tradiderint. At in hoc rurſus utrisque convenit, quod illi dicant *Saturno, quum ſubito non comparuiſſet, divinos tributos fuiſſe honores:* de Aeneâ autem ſic tradit Dionyſius dicto lib. I: Μάχης δ' ἡμουμένης καρτερᾶς, καὶ πολλῶν ἑκατέρωθεν ἀποθνῃσκόντων, τὰ μὲν τρόπαια νυκτὸς ἐπελθούσης διελύθη, τὸ δὲ Αἰνείου σῶμα φανερὸν οὐδαμοῦ γενόμενον, οἱ μὲν εἰς θεὸν μεταστῆσαι ἔλεγον, οἱ δ' ἐν τῷ ποταμῷ, παρ' ὃν ἡ μάχη ἐγένετο, διαφθαρῆναι. καὶ αὐτῷ καθιδρύουσιν οἱ Λατῖνοι ἡρῷον ἐπιγραφὴν τοιάδε κεκομμένον· Πατρὸς θεοῦ Ἰνδίγετος, ὃς ποταμοῦ Νομικίου ῥεῦμα δέπει. Hoc eſt: *Quumque pugna exorta eſſet acris, multis utrimque deſideratis, nox tandem prælium diremit. Corpus Aeneæ quum nusquàm compareret; alii conjectabant, ad deos ipſum diceſſiſſe; alii, necatum in flumine, apud quod pugnatum erat. Latini ſacellum heroi dicaverunt, cum inſcriptione huiusmodi. Patri deo Indigeti; qui Numicii amnis undas temperat.* Sex. Aurel. Victor, dicto libro de Origine gentis Romanæ: *Tunc Aeneam copias in aciem produxiſſe, circa Numici fluminis ſtagnum. ubi quum acerrimè pugnaretur, ſubitis turbinibus infuſcato aëre, repentè cælo tantum imbrium effuſum, tonitribus etiam conſequutis flammarumque fulgoribus, ut omnium non oculi modò præſtingerentur; verùm etiam mentes quoque confuſæ eſſent. quumque univerſos utriusque partis dirimendi prælii cupiditas inceſſiſſet; nihilo minùs in illâ tempeſtatis ſubitæ confuſione interceptum Aeneam, nusquàm deinde comparuiſſe. traditur autem, non proviſo, quòd propinquus flumini eſſet, ripâ depulſus, fortè in fluvium decidiſſe; atque ita prælium diremptum. dein, apertis fugatisque nubibus, quum ſerena facies effulſiſſet; creditum eſt, vivum eum cælo abſumptum. Itaque illi eo loco templum conſecratum: adpellarique placuit Patrem Indigetem.* Livius lib. I: *Secundum inde prælium Latinis, Aeneæ etiam ultimum operum mortalium fuit. Situs eſt, quemcumque eum dici fas eſt, ſuper Numicum flumen. Iovem Indigetem adpellant.* Verum tale quid ſi Euandro accidit; in poſteriori id tandem Latio, inter Aniem mareque inferum poſito, factum eſt. *Saturni* tunc nomen numenque an ei Latini tribuerint, incertum habeo. Cæterùm ex antiquo illo Latio inter Narem Anienemque amnes, id eſt, è Sabino agro cum Latinis ſuis, ſive ab Sabinis, ut ſuperiori capite & item lib. II cap. VIII ex Dionyſio relatum, ſeu ſponte ex Reatino agro, qui *Velia* dicebatur, *propter incommodum*, ut vult Sabinus *paluſtris* habitationis excedens; ejectis porrò è reliquo inter Anienem & mare agro Siculis, urbem eorum maximam nobiliſſimamque occupavit *Valentiam:* quam equidem univerſam eodem vocabulo, ſed in Græcam lingvam redacto, *Romam* dixit: partibus autem eius ſive ipſe, ſive mox poſt exceſſum eius Latini novas indiderunt adpellationes, PALANTII, SATVRNIAE, VELIAE, IANICVLI, & alias. Solinus cap. II: *De temporibus urbis conditæ ambiguitatum quæſtiones excitavit, quòd quædam ibi multo ante Romulum condita ſint. quidpe aram Hercules, quam voverat, ſi amiſſas boves reperiſſet, punito Caco, patri inventori dicavit.* Et mox: *Suo quoque nomini idem Hercules inſtituit aram, quæ maxima apud pontifices habetur, quum ſe ex Nicoſtratâ, Euandri matre, quæ à vaticino Carmentis dicta eſt, immortalem comperiſſet fore. conſeptum etiam; intra quod ritus ſacrorum, factis bovicidiis, docuit Potitios. Hoc ſacellum Herculis in foro boario eſt. in quo argumenta & convivii & lætæ maieſtatis ipſius remanent. nam divinitus illo neque canibus neque muſcis ingreſſus eſt. etenim quum viſce-*

PALANTIVM, SATVRNIA, VELIA, IANICVLVM, *partes urbis antiquiſſimæ Romæ.*

rationem sacrificuli daret, Myagrum deum dicitur imprecatus: clavam verò in aditu reliquisse, cuius ab factu refugerunt canes. id usque nunc durat. Aedem etiam, quæ Saturni ærarium fertur, comites eius condiderunt in honorem Saturni; quem cultorem regionis illius cognoverant ex stitisse. iidem & montem Capitolium Saturnium nominarunt. castelli quoque, quod excitaverat, portam Saturniam adpellaverunt; quæ posteà Pandana vocata est. Pars autem infima Capitolini montis habitaculum Carmentis fuit, ubi Carmentis nunc fanum est: à quo Carmentali portæ nomen datum. Palatium verò nemo dubitaverit, quin Arcades habeat auctores. à quibus primùm Palantéum opidum conditum. Hæc quamvis anilibus fabulis gentilibusque superstitionibus obvelata; tamen clarè ostendunt, jam ante ea tempora, quibus Aeneæ in Italiam adventus adfingitur, habitatam fuisse Romam, in plureis parteis divisam. Varro de Lingvâ Latinâ lib. III, de eodem Capitolino monte loquens: *Hi mons antè Tarpeius mons dictus.* Mox: *Hunc anteà montem Saturnium adpellatum prodiderunt; & ab eo latè Saturniam terram; ut etiam Ennius adpellat. Antiquum opidum in hoc fuisse Saturniam, scribitur. eius vestigia etiamnunc manent tria: quòd Saturni fanum in faucibus: quòd Saturnia porta; quam Iunius scribit: quam nunc vocant Pandanam. quòd post ædem Saturni in ædificiorum legibus parietes postici muri sunt scripti.* Et posteà: *Argeorum sacraria in* VII *&* XX *parteis urbis sunt disposita. Argeos dictos putant à principibus, qui cum Hercule Argivo venerunt Romam, & in Saturniâ subsederunt.* Plinius lib. III cap. V; in recensione opidorum Latii: *Saturnia: ubi nunc Roma est.* Apud Ovidium Fastor. lib. VI ita Iuno:

A patre dicta meo quondam Saturnia Roma est.

Dionysius lib. I: Γενεαῖς δ' ὕστερον ἑκκαίδεκα μετὰ Ἴλιον ἁλωσιν ἐκπέμψαντες οἱ Λατῖνοι ἐκ τῆς Ἄλβας ἀποικίαν εἰς τὸ Παλάντιόν τε καὶ Σατορνίαν, ἔνθα Πελοποννήσιοί τε καὶ Ἀρκάδες τὰ πρώτιστα οἴκησιν ἐποιήσαντο, καὶ ἕως ἔτι καὶ νῦν ἀπῶν ζώπυρα ἄττα τῶν ἐκλειπόμενα ἐν παλαιᾷ ἕδρᾳ, οἰκίζουσι τοῦτ' ἐκεῖνοι τόπους, περιβάλλοντες τείχεσι τὸ Παλάντιον, ὥστε λαβεῖν σχῆμα πόλεως τότε πρῶτον. τίθενται δὲ τῷ κλίσματι Ῥώμῃ ὄνομα ἀπὸ τῆς τοῦ ἡγεμόνος τῆς ἀποικίας Ῥωμύλου. Id est: *Sextâ decimâ post Ilium captum ætate miserunt Latini ex Albâ coloniam in Palantium atque Saturniam; ubi Peloponnesii & Arcades primas sedeis fixerant; quæque etiamtum scintillas quasdam prisci generis servabant: ac Palantium muris cinxerunt: ut urbis formam tum primùm acceperit, conditæ autem urbi nomen Romæ imposuerunt, à ductore coloniæ Romulo.* In eamdem ferè mentem Propdrtius lib. IIII eleg. I:

Hoc, quodcumque vides hospes, quà maxima Roma est,
Ante Phrygem Aeneam collis & herba fuit.
Atque ubi navali stant sacra Palatia Phœbo,
Euandri profugi procubuêre boves.

At quis vel huic poëtæ vel Dionysio temerè credat, per tot sæcula, ad Romulum usque, Arcadum, quos Euander adduxerat, posteros *Palantium Saturniam*que heic sine mœnibus vici in ritum inhabitasse? utique, quum, teste ipso Dionysio, circumjectæ gentes, Latini, Etrusci, Sabini, mutitissimas jam tum incoluerint urbeis. Atqui *castellum* Solinus, Varro autem *opidum* ait fuisse *Saturniam*. quibus consentiens Festus, *Mons*, inquit, *qui nunc est Capitolinus, Saturnius adpellabatur, quòd in tutelâ Saturni esse existimatur. Saturnii quoque dicebantur, qui castrum in imo clivo Capitolino incolebant: ubi ara dicata ei deo ante bellum Troianum.* Verùm absurdo huic occurrere voluisse videtur Virgilius Aeneid. lib. VIII; ubi Euandrum introducit ita Aeneam adloquentem:

Hæc duo præterea disjectis opida muris
Reliquias veterumque vides monimenta virorum.
Hanc Ianus pater, hanc Saturnus condidit arcem,
Ianiculum huic, illi fuerat Saturnia nomen.

Sed hoc minimè concedit Dionysius: qui ait τότε πρῶτον, *tunc primùm* muris hæc cincta fuisse quum Romulus ab Albâ coloniam eò deduxisset. De *Palantio* testatur ipse poëta ibidem paullo antè:

Tum rex Euandrus Romanæ conditor arcis.

Et aliquanto antè ita Tiberinus deus Aeneam in somnis adfatur

Arcades his oris, genus à Pallante profectum,
Qui regem Euandrum comites, qui signa sequuti,

Dele-

Delegère locum, & posuêre in montibus urbem,
Pallantis proavi de nomine Pallantéum.

Et posteà; ubi Aeneas à Tiberis ostiis ad Euandrum proficiscitur:

Sed medium cœli conscenderat igneus orbem
Quum muros arcemque procul & rara domorum
Tecta vident; quæ nunc Romana potentia cœlo
Aequavit. tum res inopes Euandrus habebat.

Et eodem libro infrà:

Fama volat, parvam subitò vulgata per urbem,
Ocyus ire equites Tyrrheni ad litora regis.

Sic & Pausanias in Arcadicis: Α'παιτεῖ δὲ ἡμᾶς τὸ μὴ τῷδε λόγῳ τὸ τι Παλλάντιον, ἢ δὴ καὶ αὐτόθι ἐστὶν εἰς μνήμην, καθ' ὧντινα βασιλέως αἰτίαν Α'ντωνῖνος ὁ πρεσβύτερος πόλιν τε αὐτὶ κώμης ἐποίησε Παλλάντιον, καὶ σφίσιν ἐλευθερίαν καὶ ἀτέλειαν ἔδωκεν εἶναι φόρων. Φασὶ δὴ, καὶ γνώμῃ γενέσθαι τὰ ἐς πόλεμον ἄριστον τῶν Α'ρκάδων ὄνομα Εὔανδρον· παῖδα δὲ αὐτὸν νύμφης τινὰ εἶναι, θυγατρὸς τοῦ Λάδωνος, καὶ Ε'ρμοῦ. στελέσθαι δὲ ἐς ἀποικίαν, ἐξ ἄστεος Α'ρκάδων τῶν ἐκ Παλλαντίου σταλῆναι, σὺν τῷ πατρὶ πόλιν τῷ Θύμβρει οἰκίσαι· καὶ Ρ'ωμαίων μέρος τῆς καθ' ἡμᾶς πόλεως· ὅπερ ὠκεῖτο ὑπὸ τοῦ Εὐάνδρου καὶ Α'ρκάδων τῶν συνακολουθησάντων, ὄνομα ἔχει Παλλάντιον ἀπὸ μνήμης τῆς ἐν Α'ρκαδίᾳ. χρόνῳ δὲ ὕστερον μεταπεσὲ τὸ ὄνομα ἐν ἀμυρίσι γραμμάτων τοῦ τι λ καὶ ν. Τέτων μὲν τῶν λεγομένων ἕνεκα Παλλαντιέσιν ἐκ βασιλέως ἐγένοντο ἀφορμαί. Hoc est: *Postulat locus heic, uti ad Pallantium transeam; quæque memoratu illic digna, uti oratione persequar. nec omittam, quare imperator Antoninus maior urbem ex vico fecerit: & incolis libertatem & à tributis immunitatem dederit. Euandrum ferunt, nymphâ, Ladonis filiâ, & Mercurio genitum, consilio & bellicâ virtute Arcadas cæteros antecelluisse. hunc in coloniam missum, deductâ è Pallantis Arcadum manu, opidum apud Tiberim amnem condidisse, quod urbis Romanæ pars postmodùm fuerit: adpellatum verò ab Euandro & Arcadibus, qui eam in coloniam secuti sunt, ab Arcadici opidi nomine Pallantium. quod nomen posteà temporis, duabus literis l & n extritis, immutatum est. Hæc ipsa res Antoninum imperatorem adduxit, ut Pallantienses beneficiis adficeret.* Hinc etiam Seneca in Consolatione ad Helviam: *Quid interest enumerare Antenorem Patavii conditorem, & Euandrum in ripâ Tiberis regna Arcadum collocantem.* Ad hanc Euandrum advenam Herculem divertisse, plerique tradunt auctores Romani. at Diodorus non ab nuperrimis advenis, sed ab indigenis opidum heic tunc habitatum testatur lib. IIII his verbis: Η'ρακλῆς δὲ διελθὼν τήν τε τῶν Λιγύων καὶ τὴν Τυῤῥηνῶν χώραν, καταντήσας πρὸς τὸν Τίβεριν ποταμὸν, κατεστρατοπεδεύσατο ἔνθα νῦν ἡ Ρ'ώμη ἐστὶν· ἀλλ' αὕτη μὲν πολλαῖς ὑστερεῖς ὕστερον ὑπὸ Ρ'ωμύλου τοῦ Α'ρεος ἐκτίσθη· τότε δέ τινες τῶν ἐγχωρίων κατῴκουν ἐν τῷ νῦν καλουμένῳ Παλατίῳ, μικρὰν παντελῶς πάλιν οἰκοῦντες. Id est: *Hercules, per Liguriam Tyrrheniamque profectus, quum ad Tiberim amnem devenisset, castra posuit ubi nunc Roma est. sed hæc multis ætatibus post à Romulo, Martis filio, condita est. tunc verò indigenarum quidam exiguum admodùm opidum in eo loco, qui nunc Palatium vocatur, incolebant.* Et in *Saturnio* sive *Tarpeio* monte, qui posteà *Capitolinus* dictus, prædictum opidum *Saturniam* quondam adpellatum fuisse TARPEN, apud aliquem veterum auctorum legit Stephanus: cuius epitomator ita habet: Τάρπη, πόλις Ι'ταλίας, ἐθνικὸν ὄρος· καὶ ἰθνικὸν Ταρπαῖος. Id est: *Tarpe, opidum Italiæ; & item Tarpæus mons: & gentilitium Tarpæus.* Verùm enimverò si etiamtum, quum Romulus coloniam huc ab Albâ deduxisse fertur, ζώπυρα ἄττα ἔτι παλαιῶν ἦσαν, id est, *scintillæ quædam prisci* Peloponnesiorum, quos cum Hercule venisse vult eodem lib. I Dionysius, *Arcadumque*, qui cum Euandro heic consederunt, *generis reliquæ* fuêre: haud *vastæ tum*, ut inquit Livius lib. I, *in iis locis solitudines erant, ubi Romulus & Remus expositi: ubique in stabulis Faustuli, magistri pecoris regii, ab Laurentiâ, eius uxore, educati fuêre*; id est, *in Palatino monte; quem primum Romulus, quia in eo ipse erat educatus, munierit.* Sed ipsius Livii ibidem ista leguntur verba: *Iam tum in Palatino monte Lupercal hoc fuisse ludicrum ferunt, & à Palantéo, urbe Arcadicâ, Palantium deinde Palatinum montem adpellatum. Ibi Euandrum, qui ex eo genere Arcadum multis antè tempestatibus ea tenuerat loca, solenne, allatum ex Arcadiâ, instituisse, ut nudi juvenes, Lycæum Pana venerantes, per luxum atque lasciviam currerent: quem Romani deinde vocarunt Inuum. huic deditus ludicro, quum solenne vocatum esset, insidiatos ob iram præda amissæ, latrones, quum Romulus vi se defendisset, Remum cepisse.* Quis credat, *solenne ludicrum*

TARPE, *quæ aliàs* Saturnia.

in vastis solitudinibus celebratam fuisse? quis ignorat, ubicumque sacra diis instituta fuerint, celeberrima fuisse loca; ac pleraque opida insignia? Hoc quum ne ipse quidem Valerius Maximus negare potuisset; Romulum auctorem fecit *Lupercilium* lib. II cap. II, his verbis: *Equestris ordinis juventus omnibus annis bis Vrbem spectaculo sui sub magnis auctoribus celebrabat, die Lupercalium & Equitum probatione. Lupercalium mos à Romulo & Remo inchoatus est, tunc, quum lætitiâ exsultantes, quòd his avus Numitor, rex Albanorum, eo loco, ubi educati erant, urbem condere promiserat sub monte Palatino hortatu Faustuli, educatoris sui, quem Euander Argivus consecraverat.* At verò si montem *Euander* consecravit alicui deorum; solenne etiam huic sacrum instituit, id verò fuit istud *Lupercal*; teste Livio. cui consentiens Dionysius, dicto lib. I, multo etiam plura, quæ in rem nostram faciunt, narrat. De *Palatino* loquens *monte*, in quo Euandrum cum Arcadibus opidum *Palantium* condidisse tradit; οἱ δ' ἦν, inquit, Ἀρκάδες ὑπὸ τῷ λόφῳ συνοικισθέντες, τά τε ἄλλα διεκοσμοῦντο κλισμαῖα, τοῖς οἴκοθεν νομίμοις χρώμενοι, καὶ ἱερὰ ἱδρύοντο· πρῶτον μὲν τῷ Λυκαίῳ Παΐ, τὸν Θέμιδος ἐξηγησαμένης, (Ἀρκάδι γὰρ θεῶν ἀρχαιότατός τε καὶ ἱλαώτατός ὁ Πάν) χωρίον ἐξελόντες ὑπτιάδεσον, ὃ καλοῦσι Ῥωμαῖοι Ἀντιπεραλίσιον, ἡμεῖς δ' αὖ ἐπὶ μὲν Λυκαῖον. Νῦν μὲν ἂν συμπεπλησμένων τῷ πλήθει τῶν περὶ αὐτὸ χωρίων, δυσεικασία γέγονε ἡ παλαιὰ τοῦ τόπου φύσις. Ἦν δὲ τὸ ἀρχαῖον, ὡς λέγεται, σπήλαιον ὑπὸ τῷ μεγάλῳ, δρυμῷ λασίῳ κατηρεφὲς, καὶ κρημνοῖς ὑπὸ τῶν πέτρας ἐμβύθιοι, ἢ τι παρεσεχὴς τῶν κρημνῶν νάπη, πυκνοῖς καὶ μεγάλοις δένδρεσιν ὑπόσκιος. ἔνθα βωμὸν ἱδρυσάμενοι τῷ θεῷ, τὰ πάτρια θυσίαν ἐπετέλεσαν, ὧν μέχρι καθ' ἡμᾶς χρόνου, Ῥωμαῖοι θύουσιν ἐν μηνὶ Φεβρουαρίῳ, μετὰ χειμερίας τροπὰς, ἐνδὲν τὰ τότε γινομένων μεταβεβηκότες· Ἐπὶ δὲ τῇ κορυφῇ τοῦ λόφου τὸ τῆς Νίκης ἱερὸν ἐξελόντες, θυσίας καὶ πομπὴ καθεστήσαντο διετησίους· ἃς καὶ ἐπ' ἐμοῦ Ῥωμαῖοι ἔθυον. ταύτην δὴ Ἀρκάδες μυθολογοῦσι Πάλαντος εἶναι θυγατέρα, τοῦ Λυκάονος. Ἱδρύσαντο δὴ καὶ Δήμητρος ἱερὸν, καὶ τὰς θυσίας αὐτῇ διὰ γυναικῶν τε καὶ νηφαλίους ἔθυσαν, ὡς Ἕλληνι νόμος, ὧν οὐδὲν καθ' ἡμᾶς ἧλαττε χρόνου. Ἀπόλλωνι δὴ καὶ Ποσειδῶνι ἱππίῳ, καὶ τῇ ἑορτῇ Ἱπποκράτια μὲν παρ' Ἀρκάσι, Κωνσουάλια δὲ ὑπὸ Ῥωμαίων λεγόμενα κατεστήσαντο· ἐν ᾗ καὶ Ῥωμαίοις ἐξ ἔθους ἐλινύουσιν ἔργων ἵπποι καὶ ὄνοι, καὶ στέφονται τὰς κεφαλὰς αὔρεσι. Πολλὰ δὲ ἄλλα τιμῇ καὶ βωμοὺς, καὶ βρέτη θεῶν καθωσίωσαν, ἁγιασμούς τε καὶ θυσίας κατεστήσαντο πατρίους, αἳ μέχρι τοῦ κατ' ἐμὲ χρόνου τὸ αὐτὸν ἐνόησαν, τρόπον. Οὐ θαυμάσομαι δ' αὖ, εἰ καὶ παρῆνταί τινες διαφυγόντες τὸν τῶν ἀρχαιομύθων μύθον, ὡς τὰ πάνυ ἀρχαῖα· ἀλλ' ὑπερῶσί γε καὶ νῦν ἔτι γινόμενα τεκμήρια εἶναι τῶν Ἀρκαδικῶν πόλεως νομίμων. Hoc est: *Arcades igitur, conjunctis sub colle sedibus, exædificatisque pro more patrio domiciliis; templa quoque construunt: primum Lycæo Pani; jubente Themide, (Arcadibus enim deorum antiquissimus honoratissimusque est Pan) idoneo ad id invento loco: quod Romani Lupercal nominant. nos Lycæum dixerimus. Et nunc equidem, ædificiis fanum undiquaque sepientibus, difficilis conjectura est, qualis olim loci natura fuerit. cæterùm, ut fertur, erat tum spelunca sub tumulo magna, denso querceto contecta; & sub petris profundi fonticuli; solumque rupibus contiguum nemorosum, & frequentibus procerisque opacum arboribus. Ibi arâ deo exstructâ, more patrio sacra fecerunt; quæ nostrâ quoque tempestate faciunt Romani mense Februario, post brumam; nihil mutantes ex ritu pristino. In vertice verò collis Victoriæ fano exstructo, rem divinam ei alternis annis fieri instituerunt. quod & nostrâ ætate Romani faciunt. Hanc Arcades fabulantur filiam fuisse Palantis, Lycaonis filii. Cereri quoque templum erexerunt: & per feminas sacerdotes sacra ei fecerunt abstemia. quorum nihil immutatum est nostro tempore. Tum Neptuno etiam Hippio delubrum adsignarunt; festumque instituerunt, Hippocratia dictum Arcadibus; Romanis verò Consualia: per quod apud Romanos ex more immuneis ab opere equi & muli; coronanturque floribus. Alia quoque multa fana & aras & simulacra deorum dedicaverunt; expiationesque & sacrificia patria instituerunt, quæ ad meam usque ætatem fiunt eodem modo.* Sanè, si hæc cuncta ad Dionysii usque & imperatoris Augusti tempestatem perdurarunt; non potuêre Romuli, ut vult Dionysius, ætate *tenues* tantùm *quædam scintillæ* Arcadici generis superfuisse. Celebris fuit omni ævo Roma, postquàm, pulsis inde Siculis eam cum Aborigiuibus atque Pelasgis, id est, cum Latinis occupavit *Euander*. nec huc alia *Peloponnesiorum*, sive *Argivorum*, seu *Arcadum* manus sub belli Troiani tempora invecta est: sed ipse hic Euander fuit *Arcas* atque *Argivus:* ut & utraque gens, Aborigines simul & Pelasgi: illi cum Oenotro duce è Peloponneso in Italiam profecti; hi à Pelasgo primùm, (unde & nomen habuêre; ut suprà è Dionysio ostensum,) in Thessaliam deducti; inde verò posteri eorum per varias Europæ Asiæque partes errantes, tandem ab Euandro in Italiam devecti. Livius, licèt dicto lib. I historiam illam vulgarem

garem de *Hercule* & *Caco*, deque *Potitiis* ac *Pinariis* sacerdotibus recitet; tamen & ipse lib. v posteà, ubi de Gallorum transitu in Italiam agit; *Alpes inde*, inquit, *oppositæ erant: quas inexsuperabileis visas, haud equidem miror; nullâ dum viâ, quòd quidem continens memoria sit, (nisi de Hercule fabulis credere libet) superatas*. Nihil igitur est, quòd suprà citati scriptores narrant, comites Herculis, quos heic reliquerit, constituisse *Saturniam castellum in Saturnio monte*. Aliud opidum *Saturniam* condidisse, vel saltem, pulsis inde Siculis, nominasse Pelasgos cum Aboriginibus è Sabino agro profectos, qnod etiam nunc in Etruriâ nomen antiquum retinet, suprà è Dionysio didicimus. Idem Dionysius eodem lib. I, ut suprà citatum, ex veterum quorundam Romanorum monumentis tradit, *Romulum Aneæ filium, Ascanii ac Romi fratrem, condidisse*. Αἰνείαν πόλιν, ἀπὸ δ' πατρὸς, τ' ὕστερον κληθεῖσαν Ἰαύκλον· id est, *opidum Aeneam, à patre denominatum; quod posteà Ianiculum dictum*. Vnde & illud Plinii lib. III cap. v: *Saturnia: ubi nunc Roma est: Aeneipolis; quod nunc Ianiculum in parte Romæ*. Stephani epitumator: Αἴνεια, πόλις Τυρρηνίας, *Aenea, opidum Etruriæ*. Hoc quoque de primo *Janiculi* conditore, Aneæ filio, alii haud admisêre auctores. in quibus Virgilius dicto Aeneid. lib. VIII Euandrum introducit Aneæ ita narranti:

Hanc Ianus pater, hanc Saturnus condidit arcem?
Ianiculum huic, illi fuerat Saturnia nomen.

Et Ovidius Fastor. lib. I ipsum Ianum deum ita fingit loquentem:

Heic, ubi nunc Roma est, tunc ardua silva virebat:
Tantaque res paucis pascua bobus erat.
Arx mea collis erat: quam vulgus nomine nostro
Nuncupat, hæc ætas Ianiculumque vocat.

Sed ex hoc argumento manifestè patet, jam inde antiquissimis temporibus, & multis ante bellum Troianum sæculis, *Romam*, sive *Valentiam*, ad utramque Tiberis ripam celeberrimâ frequentatione inhabitatam fuisse. quidpe *Ianiculum* in Etruscâ amnis est ripâ. Præcipuam quoque ac principem totius urbis partem fuisse eamdem, quæ posteà fuit; id est, *Saturniam*, in monte *Saturnia*; qui *Tarpeius* etiam, ac tandem *Capitolinus* dictus; inde patet, quòd hinc, veluti à capite, omne *Latium* nomen *Saturniæ* accepisse, quidam tradiderint. Varro suprà dicto lib. IIII de lingvâ Latinâ: *Hunc anteà montem Saturnium adpellatum, prodiderunt; & ab eo latè Saturniam terram; ut etiam Ennius adpellat. Antiquum opidum in hoc fuisse Saturniam scribitur.* Doctissimus equidem Iosephus Scaliger ad hæc ita commentatus est: *Adparet manifestè, esse vrsiculum Ennii,*

—— Saturnius illi
Nomen erat; de quo latè Saturnia terra.

Verùm ego potiùs crediderim, mendum esse apud Vatronem: ipsumque scripsisse: *& ab eo Latium Saturniam terram*. nam innumera in Varronis exemplaribus esse menda, vulgò notum est. Caput igitur antiqui illius Latii, quod & *Saturnia* & anteà *Italia* ac priùs *Sicilia* dicebatur, jam inde vetustissimis ante bellum Troianum temporibus fuit urbs VALENTIA; postmodùm Aboriginibus atque Pelasgis, utrâque Græcâ gente, Ῥώμη, ROMA dicta. Hinc est, quòd quidam auctores antiqui, qui urbem conditam voluerunt ab Aneâ; *toti* eum *Italiæ* imperasse tradiderunt. unde illud Dionis Chrysostomi in libro de Troiâ numquàm captâ: Αἰνείας, ὑπὸ Ἕκτορι πεμφθεὶς μετὰ στόλου καὶ δυνάμεως πολλῆς, Ἰταλίαν κατέσχεν. Id est: *Aeneas, ab Hectore emissus cum classe ac numerosâ manu, Italiam occupavit*. Et clariùs paullo pòst: Αἰνείας δὲ πέσης Ἰταλίας ἐβασίλευσε, καὶ πόλιν ὠκίσε τὴν μεγίστην πασῶν. Hoc est: *Aeneas autem toti Italiæ regiâ potestate impetravit; urbemque condidit omnium maximam*. Nemini itaque jam fas sit mirari, *rem Romanam, à parvis*, ut inquit Livius initio libri primi, *profectam initiis, eò crevisse*, ut tandem eius ævo *magnitudine laboraverit suâ*: quandoquidem origo huius ultra CIↃ IↃ annos, antequàm ista à Livio scripta sunt, extendi potest. tot quidpe circiter annis ante Livii historiam, anteque natum cœli terrarumque Dominum, Siculi Latio ab Aboriginibus atque Pelasgis, communi nomine *Latinis* dictis, expulsi fuêre; ut suprâ demonstratum. Regiâ dignitate, quamvis potestate minùs absolutâ, cùm ipsi urbi tùm universo Latio alios etiam post Euandrum præfuisse duces, haud dubitaverim: licèt incertum sit, quàm diu & quibus singuli nominibus fuerint reges. etenim quum *Romu-*

lum, Aeneæ posterum, quem, ab Albâ profectum, urbem condidisse tradunt Dionysius lib. I ac Solinus cap. 11, aliique item auctores, Olympiadis VII anno primo, id est, anno ccccccxxxII post Troiam captam, nullum omnino fuisse, satis superque suprà demonstratum sit: de huius rebus gestis, quas Dionysius, Livius, Plutarchus, & alii complures referunt auctores, item de successoribus eius, sex reliquis Romanorum regibus, quid credam? Primùm bellum Romulo exortum esse cum Sabinorum gente, ob raptas in publico Romanorum spectaculo virgines Sabinas, prædicti tradunt scriptores. ex his Dionysius lib. II de fine eius belli ita scribit: Καὶ γίνονται τοῖς ἔθνεσιν ἐκεχειρίαι μὴ πρῶτον, ἔπειτα συνελθόντων τῶν βασιλέων, συνθῆκαι περὶ φιλίας. ἐν ᾗ ὁμολογηθέντα τοῖς αἰδρᾶσι, περὶ ὧν σφᾶς ὅρκους ἐποιήσαντο, τριάδε· βασιλείας μὲν εἶναι Ῥωμύλον καὶ Τάτιον, ἰσοψήφους ὄντας, καὶ ἡμᾶς καρπουμένους τὰς ἴσας· καλεῖσθαι δὲ τὴν μὲν πόλιν ἀπὸ κτίσαντος τὸ αὐτὸ φυλάττεσθαι ὄνομα, Ῥώμην· ἕνα ἕκαστον τῶν ἐν αὐτῇ πολιτῶν Ῥωμαῖον, ὡς πρότερον· τοὺς δὲ σύμπαντας ἀπὸ τῆς Τατίου παλαιᾶς κοινῆς προσλαμβανομένους κλήσεως, Κυρίτας· πολίταις δὲ τοὺς βουλομένους Σαβίνων ἐν Ῥώμῃ, ἱερά τε συνεγκαμένους, καὶ εἰς φυλὰς καὶ φράτρας ἀποδεδειγμένους. Id est: *Interpositis primùm induciis, deinde congressis inter se regibus, fœdus ictum est, & jurejurando firmatum in has condiciones: Vt Romæ pari potestate parique honore regnarent Romulus & Tatius. ut urbs deductum à conditore servaret vocabulum. ut cives singuli quidem, ut antè, adpellarentur Romani; universi autem à Tatii patriâ communi adpellationis complexu nominarentur Quirites. ut Sabinis jus civitatis Romanæ daretur, quicumque id cuperent: atque hi cum suis sacris reciperentur in tribus & curias.* Livius lib I: *Inde ad fœdus faciendum duces prodeunt. nec pacem modò, sed civitatem unam ex duabus faciunt. regnum consociant. imperium omne conferunt Romam: ita geminatâ urbe, ut Sabinis tamen aliquid daretur. Quirites à Curibus adpellati.* Hunc *Tatium* Dionysius paullo antè *Curium*, Livius verò *Sabinorum regem* fuisse tradit. Plutarchus in Romulo: Καὶ συνῴκησεν οἰκεῖν κοινῇ τὴν πόλιν Ῥωμαίους καὶ Σαβίνους· καλεῖσθαι μὲν Ῥώμην ἀπὸ Ῥωμύλου τὴν πόλιν, Κυρίτας δὲ Ῥωμαίους ἅπαντας ἀπὸ τῆς Τατίου πατρίδος. Id est: *Ita fœdus fit, ut communem habitarent Romani ac Sabini urbem: Roma urbs à Romulo, Romani omnes Quirites à Totii patriâ vocarentur.* Et in Numâ: Ἦν δὲ πόλεως μὲν ὁ Νομᾶς ἀπὸ Φαυστοῦ τοῦ Κυρίτου, ἀφ' ἧς Κυρίτας Ῥωμαῖοι σφᾶς αὐτοὺς ἅμα τοῖς αὐξηνεχθεῖσι Σαβίνοις προσηγόρευσαν. Hoc est: *Erat Numa è celebri Sabinorum urbe Curibus; à qua Quirites sese Romani unà cum receptis Sabinis nominavêre.* Festus: *Quirina tribus à Curensibus Sabinis adpellationem videtur traxisse.* Et item: *Nunc & Sabini & Romani populi singulare usurpatur nomen; ut indicio est preco; qui in funeribus indictivis ita pronunciare solet: Ollus Quiris leto datus. Quirites autem dicti post fœdus à Romulo & Tatio percussum, communionem & societatem populi factam indicant.* Varro de Lingvâ Latinâ lib. IIII: *Collis Quirinalis, ubi Quirini fanum: qui à Curitibus, qui cum T. Tatio Curibus venerunt Romam; quòd ibi habuerunt castra.* Servius ad Virgilii Aeneid. lib. VII: *Prisci Quirites ideò Sabini dicti, quia post fœdus Tatii & Romuli placuit, ut quasi unus de duobus fieret populus. unde & Romani Quirites dicti sunt; quod nomen Sabinorum fuerat, à civitate Curibus: & Sabini à Romulo Romani dicti sunt.* Livius lib. I: *Romani Sabinique redintegrant prælium. sed res Romana erat superior.* Fit hinc pax atque fœdus. Sanè res magna est, nec facilè aliàs credibilis; tantum devictis Sabinis sive *Quiritibus* à victoribus Romanis delatum fuisse honorem, uti rex illorum T. Tatius in regni æquam societatem receptus, ipsi verò Romani in communem *Quiritium* adpellationem transgressi fuerint. qua certè re non tantùm *aliquid*, ut ait Livius, *Sabinis datum*; sed tanto plus illis concessum, quàm ipsi Romani retinuerint, quanto præstantiores erant incolæ ipsâ urbe. Livius exiguo pòst ita scribit: *Eodem tempore & centuriæ tres equitum conscriptæ sunt. Ramnenses à Romulo, ab T. Tatio Tatienses adpellati. Lucerum nominis & originis causa incerta. Inde non modò commune, sed concors etiam regnum duobus regibus fuit.* M. Varro dicto de Lingvâ Latinâ lib. IIII: *Ager Romanus primùm divisus in parteis treis; à quo tribus adpellatæ; Tatiensium, Ramnium, Lucerum. nominata, ut ait Ennius, Tatienses à Tatio, Ramnenses à Romulo; Lucerus, ut ait Iunius, à Lucumone. Sed omnia hæc vocabula Tusca; ut Volumnius, qui tragœdias Tuscas scripsit, dicebat.* Mirâ certè analogiâ à *Romulo Ramnenses* seu *Ramnes*, à *Lucumone Luceres* dicti fuerint. Attamen ex his colligere datur, magnam civium Romanorum partem constitisse ex *Sabinis* atque *Tuscis*. Dionysius dicto lib. II antè de Romulo ac bello Sabino loquens: Ἦκε δὲ αὐτῷ Τυρρηνῶν ἀπικομένων ἱκανὸν ἄγων ἐκ Οὐητυλωνίας πόλεως ἀνὴρ δεσπόζων καὶ τὰ πολέμια ἔργα διαφανὴς, Λουκέμων ὄνομα,

μα, φίλον ἐ ποὸ πολλῦ γενούς. Id est: *Auxilium validum adduxit ei à Vetulonio, Etruscâ urbe vir strenuus & bello clarus, nomine Lucumo; nuper receptus in amicitiam.* Propertius lib. IIII eleg. 1:

Prima galeritus posuit prætoria Lucmo;
Magnaque pars Tatio rerum erat inter oveis.
Hinc Titiens Ramnesque viri Luceresque coloni.

Minimè credibile est, ab remotissimâ potiùs omnium XII principum Etruriæ urbium auxilia Romulo venisse, quàm à proximis *Veiis, Falerius, Volsiniis, Tarquiniis, Cære*. ac proinde rectiùs alii, totam auxilia misisse Etruriam, tradiderunt. Servius ad Virgilii Aeneid. lib. V: *Constat, primò treis parteis fuisse populi Romani: unam Tatiensium, à Tito Tatio, duce Sabinorum, jam amico post fœdera; alteram Ramnetum à Romulo; tertiam Lucerum: quorum, secundùm Livium, & nomen & causa in occulto sunt. Varro tamen dicit, Romulum, dimicantem contra Titum Tatium, à Lucemonibus, id est, à Tuscis, auxilia postulasse. Ergo à Lucumone Luceres dicti sunt.* Credo, antiquissimos illos primosque Romanos regem suum *Euandrum*, qui *Valentiam* urbem, pulsis inde priscis cultoribus Siculis, adpellavit Græcâ lingvâ Ῥώμην, *Romam*, inde denominasse Ῥωμύλον, *Romulum*. & quia is non tantùm novum hoc urbi nomen indiderat; sed & novis eam frequentaverat colonis; posteriores conditam ab eo esse tradiderunt. Omnem autem de Aeneâ fabulam è similitudine rerum Euandri Pelasgorumque & Aboriginum confictam esse, suprà membratim exposui. ubi ostensum, quemadmodùm Euander in accepto ab Aboriginibus agro, qui *Velia* dicebatur, *Pallantium* condidit opidum: sic Aeneam quoque in accepto à Latino, Aboriginum rege, solo *Lavinium* ædificasse narrari. Hoc relicto, filius eius Ascanius sive Iulus novam constituisse dicitur urbem *Albam longam*; quæ inde Latinorum sive Albanorum regum fuerit regia, apud lacum & montem, quibus inde cognomen *Albanis*. Dionysius lib. II de Sabinorum gente ita tradit: Πρώτην αὐτῶν οἴκησιν ἀποφαίνει ὁ Κάτων ἡμέας κώμην τινὰ καλουμένην Τεστρίναν, ἀγχοῦ πόλεως Ἀμιτέρνης κειμένην· ἐξ ἧς ὁρμηθέντας ἅμα, εἰς τὴν Ῥεατίνην ἐμβαλεῖν, Ἀβοριγίνων τότε κατοικούντων, κ̀ πλείν αὐτῶν τὴν ἐπιφανεστάτην Κοτυλίας πολέμῳ χειρωσαμένους καθέξειν. ὁκ ὅσῃ δ' Ῥεατίνης ἀποικίας ἀποσείλαντας, ἄλλας τε πόλεις κλῆσαι πολλὰς, ἐν αἷς οἰκεῖν ἀπέχρησε, κ̀ ἣν Κ τὰς μεσαγορδομένας Κυρῆτις. Hoc est: *Primam eorum sedem tradit Cato fuisse vicum quemdam Testrinam nomine, haud procul Amiternâ urbe situm. unde expeditione factâ, Reatinum agrum invasisse, Aboriginibus tunc habitatum: urbemque eorum nobilissimam Cutilias armis occupasse. missisque è Reatino agro colonis, inter alia opida multa, sed immunita, etiam Cureis condidisse.* Vt alia pleraque apud Romanos antiqua, sic hoc quoque erroribus involutum censuerim. probabilius quidpe est, Euandrum, postquàm Latinorum rex post obitum ultimi Aboriginum regis factus est, sedem regiam à *Pallantio* opido in urbem, *Cureis* recèns abs sese conditam, transportasse. posteà verò, ingruentibus Sabinis, Opicâ gente, quum vel omnem hunc inter Nam Anienemque agrum, vel maximam eius partem, relinquere cogeretur; expulsis porrò ex reliquo inter Anienem mareque inferum agro Siculis, urbeque eorum maximâ *Valentiâ* occupatâ; huc dictam sedem omneisque Curium incolas transtulisse. unde urbs quidem priscum nomen retinuit; sed in Græcam lingvam conversum ROMAM: incolæ verò servatâ & ipsi antiquâ adpellatione, quam *Curibus* habebant, QVIRITES dicti sunt. Pelasgos autem urbem *Cureis* condidisse, ex ipso nomine colligo. quidpe tametsi posteà vox *curis* ab Sabinis usurpata fuerit pro hastâ; unde etiam apud Latinos vocabulum *securis*; tamen, quia Pelasgis *Iupiter* dictus est *Curis pater*, & *Iuno* item *Curis*; longè credibilius est, ab hoc deorum nomine urbem adpellationem accepisse. Tertullianus in Apologetico, cap. XXIIII: *Falisçorum in honore est Pater Curis: unde accepit cognomen Iuno.* Antiqua lapidis inscriptio: PONTIFEX · SACRARIVS · IVNONIS · QVIRITIS · Festus: *Matronæ Iunonis Curitis in tutelâ sunt.* Et: *Quirites dicti & Sabini à Curi deâ; cui aquâ & vino sacra facere soliti erant. Ab eiusdem deæ nomine videntur item cures Sabinæ hastæ adpellatæ, quibus ea gens armis erat potens.* Omnibus Græcis id urbis nomen dictum fuisse Κύρις, *Curis*, suprà lib. II cap. VIIII in Sabinis patuit. Atque hinc etiam ipse *Euander*, qui alio, ut dixi, nomine *Romulus*, non tam à *Quiritium populo*, quem regebat, quàm à loco adpellatus fuit *Quirinus*. cui tamen vocabulo posteà numen

attribuerunt; interpretatique sunt plerique *Martem*; alii *Ianum*: ut suprà ostensum. At posteriores mortales, quorum ævo jam dudum tenebant Sabini non tantùm Cureis urbem, sed omnem circà agrum, ad Anienem usque amnem: quum accepissent famâ quadam, à Curibus venisse, cum quibus omnes Romanæ urbis incolæ dicti fuerint *Quirites*; ipsos *Sabinos*, bello victos à Romulo, inde transductos fuisse, arbitrati sunt. Sed hic error satis jam à nobis apertus est. Ostendendum nunc deinceps, qua ratione & quibus temporibus *Tuscorum* quidam in urbem recepti fuêre: unde *Lucerum* tribum in urbe quasi à *Lucumonibus* nomen habuisse putarunt. Dionysius lib. 1 de Pelasgis narrans, qui ab Aboriginibus in partem agrorum circa Cutilias & Reate opida recepti fuêre; Ἔπειτα, inquit, μέρος τι αὐτῶν οὐκ ἐλαχίστη, ὡς ἡ γῆ πᾶσιν οὐκ ἀπέχρη, πεισθέντες συμφερόντως σφίσι τῆς διεξόδου, στρατεύουσιν ἐπὶ τοὺς Ὀμβρικούς, καὶ πόλιν αὐτῶν εὐδαίμονα καὶ μεγάλην ἄφνω περιπεσόντες αἱροῦσι Κρότωνα· ταύτῃ χρησάμενοι καὶ ἐπιτειχίσμασι τῶν Ὀμβρικῶν χρώμενοι. πολλῶν δὲ καὶ ἄλλων ἐκράτησαν χωρίων· πρός τε Ἀβορίγινας τὸν πρὸς τοὺς Σικελοὺς πόλεμον ἐπὶ σωτηρίᾳ συμφέρουσαν, ἕως ἐξήλασαν αὐτοὺς ἐκ τῆς σφετέρας. καὶ πόλεις πολλάς, τὰς μὲν οἰκισθείσας ὑπὸ τῶν Σικελῶν, τὰς δὲ αὐτοὶ καταskευάσαντες, ὅπου οἱ Πελασγοὶ κοινῇ μετὰ τῶν Ἀβορίγινων· ὧν ἐστιν ἥ τε Καιρεταϊνῶν πόλις, Ἀγύλλα δὴ τότε καλουμένη, καὶ Πίσα καὶ Σατορνία καὶ Ἄλσιον, καὶ ἄλλαι τινές, ἃς ἀνὰ χρόνον ὑπὸ Τυρρηνῶν ἀφῃρέθησαν· Φαλέριον δὲ καὶ Φασκένιον ἔτι καὶ εἰς ἐμὲ ἦσαν οἰκούμεναι ὑπὸ Ῥωμαίων, μικρὰ ἄττα διασώζουσαι ζώπυρα τοῦ Πελασγικοῦ γένους, Σικελῶν ὑπαρξάντων πρότερον. Hoc est: *Pars deinde eorum haud minima, quum agri omnibus non sufficerent, Aboriginibus in expeditionem adscitis, bello Vmbros adgrediuntur: urbemque eorum florentem ac magnam Crotonem repentino incursu capiunt: qua mox pro arce belli contra Vmbros usi sunt. posthinc alia quoque loca multa in potestatem suam redegerunt: & Aboriginibus contra Siculos promptam præstiterunt operam; donec eos ejecerunt suis sedibus. In his multa opida, partim jam antè ab Siculis habitata, partim recèns ab se condita, tenuerunt indivisa sociæ gentes Pelasgi & Aborigines. ex quibus sunt Cære, Agylla tunc dictum, Pisa, Saturnia, Alsium, & quædam alia: quæ postmodùm à Tyrrhenis occupata sunt. Falerium autem & Fescennium, etiam meâ tempestate à Romanis habitata, exiguas quasdam scintillas Pelasgici generis servant; quum initio Siculorum fuerint.* Partem isthanc Pelasgorum, quæ Crotonem urbem aliaque Vmbrorum opida bello occupavit, eam constituisse regionem, quæ, inter Apenniuum montem, Arnum amnem, mare inferum, ac Tiberim flumen, ab cognomine eorum Græcis dicta fuit Τυρρηνία, *Tyrrhenia*; hancque in XII principatus totidemque principeis urbeis divisisse; in quarum numero fuerunt *Cortona*, *Cære*, & *Falerium*; superiori volumine in descriptione Etruriæ satis abundéque demonstratum est. Paullo igitur indiligentiùs hæc sive indistinctiùs ab Dionysio tradita sunt. quidpe illa pars Pelasgorum, quæ cum Aboriginibus in Reatino agro circa Cutilias manserat, mox in unum, ut suprà ostendi, *Latinorum* nomen corpusque cum Aboriginibus conjunct fuêre. pars autem altera gentem Pelasgorum *Tyrrhenorum* in *Tyrrheniâ*, quæ posteà dicta est *Etruria*, constituit. Hi igitur suam ûbi soli habitarunt Tyrrheniam; donec *Etrusci* ex Circumpadanâ regione à Gallis pulsi, in occidentalem eius partem recepti fuêre; ut suprà lib. II cap. 1 ostensum. illi ab lævâ Tiberis ripâ, primùm inter Narem & Anienem, mox inter hunc & mare, πόλεις πολλὰς, τὰς μὲν οἰκισθείσας καὶ πρότερον ὑπὸ τῶν Σικελῶν, τὰς δὲ αὐτοὶ καταskευάσαντες, ὅπου κοινῇ μετὰ τῶν Ἀβορίγινων, id est, *multas urbeis partim jam antè ab Siculis habitatas, partim recèns ab se conditas, tenuerunt communiter & conjunctè*, sub uno *Latinorum* nomine. Trans Tiberim Siculos non habitasse; sed Vmbros, ad Arnum usque; suprà dicto lib. II cap. 1, & item cap. IIII, ostensum est. At Tyrrheni tamen Pelasgi arctam semper jam inde ab initio cum Latinis amicitiam fœdusque æquum coluêre, καὶ αὐτοῖς τὸν πρὸς τοὺς Σικελοὺς πόλεμον ἐπὶ σωτηρίᾳ συμφέρουσαν, ἕως ἐξήλασαν αὐτοὺς ἐκ τῆς σφετέρας, id est, *promptamque ipsis contra Siculos, bello etiam tum durante, ac fidam operam præstiterunt; donec eos ejecerunt sedibus suis.* Atque hinc jam est, quòd quidam antiqui Romanorum scriptores rradiderunt, ut loco suprà scripto è Varrone recitat Servius, *Romulum dimicaturum à Lucumonibus*, id est, *à Tuscis, auxilia postulasse*. Nempe Euander, sive contra Siculos, seu contra Volscos, quod innuit Virgilius, exercitum eductutus, auxilia à Tyrrhenis Pelasgis ex fœdere postulavit. Virgilius Aeneid. lib. XI Euandrum introducit super Pallantis filii cadavere sic lamentantem:

— *Quòd*

——— Quòd si immatura manebat
Mors natum; cæsis Volscorum millibus antè,
Ducentem in Latium Teucros, cecidisse juvabit.

Sed cum Volscis bellum gesseritne Euander, incertum est. de Siculis satis ex hactenus allatis constat. Tanta igitur quum Latinis sive Romanis fuerit cum Pelasgis Tyrrhenis consangvinitas, tamque arctum fœdus; quid jam mirum, si statim ab initio quidam eorum in communem à Romanis civitatem recepti sint? quid mirum, si jam inde primi Romanorum reges à XII Etruriæ populis XII *lictores* totidemque *secureis*, tum *sellam curulem togamque prætextam*, & cætera imperii insignia habuisse traduntur Dionysio & Livio; ut suprà lib. II cap. I ostensum? Hinc igitur etiam est, quòd Romani post Euandrum modò ex Sabino agro, modò ex Etruriâ reges sibi adsciviſse traduntur; licèt fabulosè. nam quum *Tarquinii* una fuerit è XII principibus Tyrrhenorum Pelasgorum urbibus, & quam posterioribus etiam temporibus, Etruscis jam occidentalem, ut dixi, Tyrrheniæ partem tenentibus, incoluerunt; quid opus erat Græcum hominem à Corintho fingere *Damaratum*; qui, mercaturam postquàm aliquamdiu per Etruriam exercuisset, tandem Tarquiniis consederit: ductâque inibi uxore, filios duos ex eâ procreaverit, quibus Etrusca nomina imposita *Lucumo* atque *Aruns*. quorum ille posteà, quum Romam se contuliſset, mutato nomine *L. Tarquinius Priscus* dictus, regnum ibi nescio quibus artibus consequutus sit: ut inter alios Dionysius maximè lib. III & Livius lib. I referunt. Verùm enimverò Latinorum sive Romanorum regibus, qui ab Euandro ad consules usque fuêre, falsas adscriptas esse origines, falsa item nomina, falsasque interdum res gestas, nihil sit mirum; quando, ut suprà ostensum, monimenta antiquissimorum illorum temporum posteriores Romani habuerunt nulla: Græci autem, à quibus posteà suas mutuati sunt historias Romani, pro libitu suo, quæcumque vel per quietem somniassent, falsa pro veris non minùs audacter quàm impudenter prodiderint. unde haud injuriâ ista sexto demum libro perscaipsit Livius: *Quæ ab conditâ urbe Româ ad captam eamdem urbem, Romani sub regibus primùm, consulibus deinde ac dictatoribus decemvirisque ac tribunis consularibus gessere foris bella, domi seditiones, v libris exposui: res cùm vetustate nimiâ obscuras; velut quæ magno ex intervallo loci vix cernuntur; tùm, quòd perraræ per eadem tempora literæ fuêre; una custodia fidelis memoriæ rerum gestarum: & quòd, etiamsi quæ in commentariis pontificum aliisque publicis privatisque erant monumentis, incensâ urbe pleraque interièrè. Clariora deinceps certioraque ab secundâ origine, velut ab stirpibus lætiùs feraciusque renatæ urbis, gesta domi militiæque exponentur.* Atque hactenus de origine urbis *Romæ* deque variis eius incolis satis & abundè à nobis disertum est. Hoc autem lectorem heic monitum volo; me ubique vulgari Romanorum uti chronologiâ in citandis eorum rebus gestis.

Iam verò situm eius, figuram, ambitum, & magnitudinem, tum singulas universæ parteis si enarrare adgrederer, alterum foret opus, haud exiguum. latè quidpe hæc apud auctores dispersa sunt; & à nemine hactenus satis diligenter conquisita. De ambitu tamen & magnitudine pauca quædam adferam. De his ita legitur apud Plinium lib. III cap. V: *Vrbem trīs portas habentum Romulus reliquit; aut, ut plurimis tradentibus credamus, quatuor. Mœnia eius collegêre ambitu, imperatoribus censoribusque Vespasianis, anno conditæ* IↃCCCXXVIII, *passuum* XIII *millia* CC. *Complexa montes* VII, *ipsa dividitur in regiones* XIIII. *compita earum* CCLXV. *Eiusdem spacii mensurâ currente à milliario, in capite Romani fori statuto, ad singulas portas (quæ sunt hodiè numero* XXXVII; *ita, ut duodecim portæ semel numerentur; prætereanturque ex veteribus* VII, *quæ esse desierunt) efficit passuum per directum* XXX *millia* IↃCCLXV. *ad extrema verò tectorum cum castris prætoriis, ab eodem milliario, per vicos omnium viarum mensura colligit paullo amplius* LXX *millia passuum. Quòd si quis altitudinem tectorum addat, dignam profectò æstimationem concipiat: fateaturque, nullius urbis magnitudinem in toto Orbe potuisse ei comparari. Clauditur ab oriente adgere Tarquinii Superbi, inter prima opera mirabili. namque eum muris aquavit: quà maximè patebat, aditu plano. Caterò munita erat præcelsis muris aut abruptis montibus; nisi quòd exspatiantia tecta multas addidêre urbeis.* In hac oratione nonnulla verba ac plerique numeri variis in exemplaribus mirum in modum variant. Examinantur maximè numeri & universa urbis dimensio à doctissimo Lipsio de Magnitudine Romanâ lib. III cap. II: ac tandem in hunc modum

modum quàm scitissimè corrigitur: *Mœnia eius collegêre passuum* XXIII *millia*, CC. Et: *Eiusdem spacii mensurâ currente* [ego malim, *mensura currens*] *à milliario in capite Romani fori statuto ad singulas portas, efficit passuum per directum* III *millia*, IↃCCLXV. *ad extrema verò tectorum cum castris prætorii, ab eodem milliario, per vicos omnium viarum mensura colligit paullo amplius* VII *millia passuum*. Hanc omnium verissimum esse urbis ambitum atque magnitudinem, mox ex aliis videbimus auctoribus. Primùm igitur, quod *Romuli urbem* attinet; ut *plurimi tradentes*, teste Plinio, *quatuor portarum* eam fecêre, sic Dionysius & Plutarchus ac Solinus Festusque *quadratam* fuisse testantur. Livius lib. I: *Ita solus potitus imperio Romulus. condita urbs conditoris nomine adpellata. Palatinum primùm montem, in quo ipse erat educatus, muniit*. Dionysius lib. I: Ῥ῾ωμύλῳ μὲν γνώμη ἦν τὸ Παλάτιον οἰκίζειν, ἢ τι ἄλλων ἕνεκα καὶ τῆς τύχης ἕτυχε, ἢ τὸ σωθῆναί τε αὐτοῖς ἐν τραφεῖσιν παρέσχε. * · * Ἦν δὲ Ῥ῾ωμύλῳ μὲν οἰωνιστήριον, ἐφ᾽ ἧς ἦλθε τὸν δοκίμιον ἱδρύσειν, τὸ Παλάτιον· Ῥ῾ώμῃ δὲ τεῖχος ἐκείνῳ λόφος. * — * · Ἐπεὶ δὲ πᾶν ὅσον ἐν λογισμῷ θεοῖς φίλον, ὥστε πεπράχθαι ὁ Ῥ῾ωμύλος, καλέσας ἅπαντας εἰς τὸν δοκιμασθέντα τόπον, περιγράφει πρόαγωνον χῆμα τῷ λόφῳ. Id est: *Romulo visum est munire Palantium; præter alias causas, ob loci fortunam, cuius beneficio illic & servati essent & educati*. Mox: *Romulus templum observandis alitibus optavit Palantium; Romus verò contiguum ei collem Aventinum*. Aliquanto post: *Satis deinde placata ratus numina Romulus; convocatis in destinatum locum omnibus, circumscripsit collem figurâ quadratâ*. Plutarchus in Romulo: Ῥ῾ωμύλος μὲν οὖν τὴν καλουμένην Ῥ῾ώμην Κυαδράτην ἔκτισε, καὶ ἐκεῖνον ἐβούλετο πλίζειν τὸν τόπον. Ῥ῾ῶμος δὲ χωρίον τι ἐν Ἀβεντίνῳ καρτερὸν, ὃ δι᾽ ἐκεῖνον μὲν ὠνομάσθη Ῥεμώνιον· νῦν δὲ Ῥιγνάριον καλεῖται. Id est: *Romulus itaque Romam Quadratam, ut vocant, condidit; atque eo in loco statuere urbem voluit. at Romus Aventini munitiorem designavit partem: quæ ab eo dicta est Remonia; nunc verò Rignaria adpellatur*. Solinus cap. II: *Romam condidit Romulus. dictaque est primùm Roma Quadrata; quòd ad æquilibrium foret posita*. Festus: *Quadrata Roma in Palatio ante templum Apollinis dicitur; ubi posita sunt, quæ solent boni ominis gratiâ in urbe condendâ adhiberi: quia saxo munitus est initio* [fortè, *is locus*] *in speciem quadratam. Eius loci Ennius meminit, quum ait,* *Et quis exstiterat Romæ regnare Quadratæ*.

Ennius certè non de uno loco, sed de universâ hæc intellexit urbe à Romulo conditâ. Hinc Agellius lib. XIII cap. XIIII: *Antiquissimum urbis pomœrium, quòd à Romulo institutum est, Palatini montis radicibus terminabatur*. Verùm nullum heic fuisse *Romulum*, nisi qui IↃCCLX annis ante fictitium hunc Romanorum Romulum dux fuit Pelasgorum nomine *Euander*; Romanæque urbis, quum hic *Latinos* suos sive *Quirites*, pulsis inde Siculis, à *Curibus* eò transduceret, parteis jam tum habitatas fuisse, *Veliam*, *Saturnium* sive *Tarpeium*, *Palatinum*, *Ianiculumque* montes, postquàm suprà satis abundéque demonstratum; hæc quoque falsi Romuli *Roma Quadrata* concidat oportet. Quia verò Euander eam urbis partem, in qua domicilium seu sedem suam regiam posuit, à priori in Reatino agro circa Velinum lacum sede adpellavit *Palantium*; fabulosi isti scriptores commentitium suum Romulum hunc primum collem communivisse, inque opidi quadrati (credo, quia ædes regiæ Euandri eâ erant figurâ) formam redigisse, tradiderunt. Cæterùm Livius dicto lib. I, reges enumerans Latinorum, qui ab Ascanio, Aeneæ filio, ad Romulum usque Albæ sedem habuerint; *Post Agrippam*, inquit, *Romulus Silvius, à patre accepto imperio, regnat. Aventino, fulmine ipse ictus, regnum per manus tradidit. is sepultus in eo colle, qui nunc est pars Romanæ urbis, cognomen colli fecit*. Fabulosos videri omneis istos Albanos reges, suprà dictum. hinc igitur Servius ad Virgilianæ Aeneid. lib. VII: *Varro dicit de gente populi Romani; Sabinos, à Romulo susceptos, accepisse montem, quem ab Avente fluvio provinciæ suæ adpellaverunt Aventinum*. Ergo jam tum, quum Euander Latinos sive *Quiriteis* à *Curibus* Romam transferret, pars eorum *Aventinum* montem incolere cœpit; ut alia item pars *Quirinalem* collem; quod suprà intelleximus. Itaque de tam variis urbis amplificationibus quod tradunt auctores Romani, nihil est, quod tutò credere liceat. Cæternm Dionysius dicto lib. I ita tradit de Fauno & Euandro Arcadibusque, qui cum Euandro in Italiam venisse feruntur: οὗτος ὁ ἀνὴρ δεξάμενος πολὺ φιλότιμα τοὺς Ἀρκάδας, ὀλίγους ὄντας, δίδωσιν αὐτοῖς τε αὐτοῦ χώρας ὑπόσην ἐβούλοντο. οἱ δὲ Ἀρκάδες αἱροῦνται λόφον, ὀλίγον ἀπέχοντα τοῦ Τιβέρεως, ὃς ἐστι νῦν ἐν μέσῳ μάλιστα τῆς Ῥωμαίων πόλεως· καὶ καθοικοδομοῦν-

πρὸς αὐτῷ κώμῃ βραχεῖαν, δυσὶ ναυλικοῖς πληρώμασιν, ἐν οἷς ἀπανίσησαν τῆς Ἑλλάδος, ἀποχρῶσαν· ᾧ ἔμελλε τὸ πεπρωμένον σωὶ χρόνῳ ῥᾳδίως ὅσῳ ἄθ' Ἑλλάδα πόλιν, ἔτι βαρβαρον, καίτοι γε οἰκήσεως μέγεθος καὶ κατὰ δυναστείας ἀξίωσιν, καὶ τῷ ἄλλῳ ἅπασιν εὐτυχίαν, χρόνον τε ὁπόσον ἂν ὁ θνητὸς ἀντίσχῃ, πόλεων μάλιστα πάντων μνημονευθησομένῳ. ὄνομα δὲ τῷ πολίσματι τούτῳ θέσθαι Παλάντιον. Hoc est: *Is igitur vir paucos illos Arcades, comiter exceptos, donavit agrorum quantâ ipsi vellent portione. Elegerunt autem tumulum, non longè distantem à Tiberi: qui nunc fermè in meditullio Romanæ urbis situs est. apud eum construxerunt parvum vicum, capacem hominum, quot duæ naves advexerant è Graciâ. cui erat in fatis, uti in tantam evaderet urbem, quanta alia nulla, vel Græca vel barbara;* 01 *sive amplitudo sedium, sive maiestas imperii spectetur, sive alia quævis felicitas. cuius nomen, quo usque mortales duraverint, præ cunctis urbibus memorabitur. Huic opidulo nomen illi imposuêre Palantium.* Et lib. III de templo loquens Iovis & Iunonis ac Minervæ, cuius fundamenta in Capitolino monte jecerat Tarquinius Superbus rex, à consulibus verò absolutum est: Ἄξιον δὲ καὶ τοῦ περὶ τῆς καθιδρύσεως αὐτοῦ μνήματος διελθεῖν, ἃ προεδείκνυσαν ἅπαντες οἱ τὰς ὀπτικωτέρας σωαγορεύοντες ἱερείας. ἐπεὶ δὴ γὰρ ἔμελλε καθιδρύεσθαι ὁ Ταρκυίνιος τὸν νεών, συγκαλέσας τοὺς οἰωνομάντεις, ἐκέλευσε τοῖς ἀνδράσι πρῶτον ἁγνισθῆναι δεῖν αὐτὸ πρῶτον ἁγνισθῆναι δεῖν ἔστι, τίς ὀπτηθησόμενος ἐστὶ τοῦ πόλεως χώρου ἱερὸς ἀνεθείς. ἀποδεξάντων δὲ αὐτῶν τὸν ὑπερκείμενον τῆς ἀγορᾶς λόφον, ὃς τότε μὲν ἐκαλεῖτο Ταρπήιος, νῦν δὲ Καπιτωλῖνος, αὖθις ἐκέλευσεν αὐτοὺς ἁγνισθῆναι πρῶτον εἰπεῖν, ἐν ὁποίῳ δὲ λόφῳ χωρίῳ θεᾶς δεήσει οὗ θεμε- 20 λίους. τοῦτο δὲ πάνυ ῥᾴδιον ἦν· πολλοὶ γὰρ ἦσαν ἐν αὐτῷ βωμοὶ θεῶν τε καὶ δαιμόνων, ὀλίγον ἀπέχοντες ἀλλήλων, ὡς ἔδει μεταξὺ ἐπέρασέ πη, καὶ πᾶν ἀποδοῦναι τῷ μέλλοντι τοῖς θεοῖς τεμένει ῥυῆναι τὸ δάπεδον. ἔδοξε δὴ τοῖς οἰωνοπόλοις ὑπὲρ ἑκάστου βωμοῦ τῶν καθιδρυμένων ἁγνισαμένους, ἐὰν προχωρῶσιν οἱ θεοί, τότε κινεῖν αὐτούς. Οἱ μὲν οὖν ἄλλοι θεοί τε καὶ δαίμονες ἐπέτρεψαν αὐτοῖς εἰς ἑτέραν χωρίᾳ τοὺς βωμοὺς μεταφέρειν· οἱ δὲ Τέρμων τε καὶ Νεότης πολλὰ προαιρημένοις τοῖς μάντεσι καὶ λιπαρεῖν οὐκ ἐπείθησαν, ἀλλ' ὠίχοντο προχωρήσαντων τῶν τόπων. Ἐκ δὴ τούτου συνέβαλον οἱ μάντεις ὅτι τὴν Ῥωμαίων πόλεως ἄτε τοὺς ὅρους μεταβαίνησι κυρίους ἀθεὶς, ἅτε τῷ ἀμείνονι μεταβαλεῖ. Καὶ μέχρι τοῦ κατ' ἐμὲ χρόνου ἀληθὲς ἐστιν αὐτῶν ἑκάτερον, εἴκοσι δὴ ἤδη καὶ τετρακοσίοις ἔτεσιν. Hoc est: *Memoratu dignum est & illud, quod ante ædificationem accidit; quodque constanter ab omnibus Romanis scriptoribus proditur. Ædificaturus Tarquinius, convocatis* 30 *auguribus, jussit primùm deos consuli de loco, quisnam fano struendo esset aptissimus. quumque ostendissent imminentem foro tumulum: qui tum Tarpeius, nunc Capitolinus vocatur; jussit iterum consultis auspiciis respondere, qua tumuli parte deberet fundamenta jacere. id quidpe erat non admodùm facile: quòd multæ in eo essent deorum geniorumque aræ modico à se invicem disjunctæ intervallo: quas oportebat alio transmoveri; totamque aream ædificando diis fano tribui. Placuit anguribus de singulis aris ibi sitis consulere & si dii concederent tunc eas loco movere. Ibi cæteri dii & genii permiserunt eis aras in alia loca transferre: at Terminus & Iuventus nullis, quamvis crebrò repetitis, augurum precibus & supplicationibus flecti potuerunt, uti sustinerent locis suis cedere. Hinc conjiciebant vates, nec movendos umquàm urbis terminos, nec juvenilem vigorem ei defore.* 40 *quorum neutrum usque ad hæc nostra tempora, per ætates jam* XXIIII, *vanum fuit.* Libro verò IIII de rege Servio Tullio loquens: Τῇ τε πόλει προσέθηκε δύο λόφους, τόν τε Οὐϊμινάλιον καλούμενον καὶ τὸν Ἐσκυλῖνον, ὧν ἑκάτερον ἀξιολόγου πόλεως ἔχει μέγεθος· καὶ διένειμεν αὐτοὺς τοῖς ἀνεστίοις Ῥωμαίων οἰκίας καθαπαξ, ἔνθα καὶ αὐτὸς ἐποιήσατο τὴν οἴκησιν ἐν τῷ κρατίστῳ τοῦ Ἐσκυλίας τόπου. Οὗτος ὁ βασιλεὺς τελευτῶν ἠύξησε τὸ περίβολον τῆς πόλεως, τὰς δύο τοῖς πέντε προσθεὶς λόφους. προσωτέρω δὲ οὐκ ἔτι προῆλθεν ἡ καθαπαξ τῆς πόλεως, οὐκ ἐῶντος, ὡς φασι, τοῦ δαιμονίου· ἀλλ' ἔστιν ἅπαντα τὰ περὶ τὴν πόλιν οἰκήματα χωρία, πολλὰ ὄντα καὶ μεγάλα, γυμνὰ καὶ ἀτείχιστα, καὶ ῥᾳδίως πολεμίοις ἑλθεῖν ἐπιχείρημα γενέσθαι. Καὶ εἰ μὲν εἰς ταῦτά τις ὁρᾷ, τὸ μέγεθος ἐξελαύνειν βουλήσεται τῆς Ῥώμης, παραδαδῆσαί τε ἀναγκασθήσεται, δ' ἔχει βέβαιον σημεῖον ἐθέλειν, ὦ Μαγνώσιοι μέχρι πᾶ προβαίνουσα ἡ πόλις ἐστὶ, καὶ πόθεν ἄρχει μηκέτι εἶναι πόλις· ἔτω σιωπάται τῷ ἀσφαλεῖ ἡ χώρα, καὶ εἰς ἄπορον ἐκμηκυνομένης πόλεως ἐπόλεψιν τοῖς θεωμένοις παρέχει. εἰ δὴ τῷ τείχει τῷ δυσθρέτῳ μὲν ὄντι Μὲ πᾶς περιλαμβανόμενος αὐτὸ πολλαχόθεν οἰκήσεις, ἴχνη δὲ ἔνα φυλακῆσθαι καὶ πολλὰς τάφρους τὰ δὲ χαίας καθαπαξ, βληθείη μετρεῖν αὐτὸν καὶ τὸ Ἀθηναῖον κύκλον τὸ περιέχοντα ἄστυ, ὃ πολλῷ ἔνι μείζων ὁ τῆς Ῥώμης φανείη κύκλος. Id est: *Urbi duos colles, Viminalem & Esquilinum, adjecit; singulos justâ opidi magnitudine. atque ibi loca civibus lare carentibus ad ædificandum distribuit. ipse quoque in Esquiliis domicilium statuit, loco regionis eius commodissimo. Hic regum postremus urbis pomœria protulit: duobus ad quinque colleis additis. ulteriùs posteà non processit urbis exædificatio; religionibus,*

ut aiunt,

ut aiunt, prohibentibus. quæ circùm urbem habitantur loca, multa illa & magna, immunita sunt, & hostium incursibus valde obnoxia. in hæc oculis conversis, si quis magnitudinem Romæ exquirere velit; longè fallatur necesse est: nec cerò dignoscere poterit, quò usque urbs sese extendat; & ubi urbs esse desinat. ita regio omnis urbi perpetuò nexu cohæret, in infinitam longitudinem porrectæ urbis existimationem spectantibus præbens. Quod si quis mœnibus, inventu quidem difficilibus, propter undique conjunctas ædeis, vestigia tamen veteris structuræ multis in locis servantibus, metiri ambitum eius voluerit, & conferre cum eo, quo Athenienſis urbs continetur; non multum capacior adparebit Romæ ambitus. Et lib. VIIII, anno, secundùm vulgatam Romanorum opinionem, ab urbe conditâ CCXCI, P. Servilio Prisco & L. Aebutio Helvâ consulibus: Ἦν δὲ ὁ πρῶτος περίβολος τῆς πόλεως ἐν τῷ τότε χρόνῳ, ὃς ἦν Ἀθηναίων μέγιστος καὶ ἄριστος· ὁ κύκλος· ἐστὶ τὰ μὲν ἄλλα λόφοις κείμενα καὶ πέτραις δυσβάτοις ὑπ' αὐτῆς ὠχυρωμένα τῆς φύσεως καὶ ὀλίγης δεόμενα φυλακῆς, τὰ δὲ ὑπὸ Τιβέρεως τετειχισμένα πολέμου. ἓν δὲ χωρίον, ὃ τῆς πόλεως ἐπιμαχώτατόν ἐστιν ἀπὸ τῆς Ἐσκυλίνων καλουμένων πυλῶν μέχρι τῆς Κολλίνων, χερσαίτατος ἐστὶν ὀχυρόν. ἔφρουρε τι καὶ ὀρώρυκτο πρὸ αὐτοῦ, πλάτος ἡ βραχυτάτη μείζων ἑκατὸν ποδῶν, καὶ βάθος ἐστὶν αὐτῆς τριακονταπήχους. τεῖχος δὲ ὑπερανέσχηκε τοῦ φρέατος χώματι συνεχόμενον ἔνδοθεν ὑψηλῷ καὶ πλατεῖ· οἷον μήτε κριοῖς καταφθαίσαι, μήτε ὑπορυττόμενον τὰ θεμελίων ἀναστατῶσαι. τοῦτο τὸ χωρίον ἐπὶ μὲν ἐστὶ μάλιστα ὅσον μηκος σταδίων, πεντήκοντα ἢ ποδῶν ὅσον πλάτος. Hoc est: *Erat tunc urbis ambitus non maior, quàm Athenarum. & pars eius, in collibus abruptisque sita rupibus, ab ipsâ naturâ sic munita erat, uti exiguo egeret præsidio: pars à Tiberi flumine non secus ac muro defendebatur. quà verò maximè hostium incursionibus urbs est obnoxia, ab Esquilinâ portâ Collinam usque, opere manu facto munita est. nam fossâ præcingitur, cuius latitudo minima centum & amplius pedum est: altitudo* XXX. *& supra fossam exsurgit murus alto & lato intus suffultus agere: nec arietibus concuti nec cuniculis suffodi facilis. ea munitio* VII *fermè stadia longa est; lata* L *pedes.* De Athenarum magnitudine ita tradit Aristides in Oratione Panathenaicâ: Τὰ δ' αὖ μεγέθη καὶ τἄλλης κατασκευῆς τίς οὐκ ἂν ἄξια τῆς ὅλης τύχης εἴποι καὶ μεγάλα τῶν Ἀθηναίων ὀνόματος; τοῦτο μὲν αὐτὸν τὸν κύκλον καὶ ἄστεος, μέγιστον μὲν τῶν Ἑλληνικῶν, κάλλιστον δὲ τῶν πανταχῆ. καὶ σιωπῶ τείχη, καθήκοντα ποτὲ μὲν θαλάττης ἡμερησίας ὁδὸν μήκος τὰ σύμπαντα. Id est: *Iam verò magnitudo urbis & reliquus adparatus fortunæ Athenienſium respondet: sive ipsum urbis ambitum, qui omnium Græcarum maximus est atque pulcherrimus, consideres; sive mœnia, ad mare quondam usque pertinentia, & itineris diurni longitudinem complexa.* At diei iter haud uno modo auctoribus accipitur. Plutarchus igitur in Niciâ ita scribit: Ὀλίγῳ χρόνῳ περιετείχισε Συρακούσας, πόλιν Ἀθηνῶν οὐκ ἐλάττονα. Id est: *Exiguo tempore Syracusas circumvallavit, urbem, Athenis haud minorem.* De Syracusis sic Strabo lib. VI: Πενταπόλεις γὰρ ἦν τὸ παλαιὸν, ἑκαίδεκα καὶ ὀγδοήκοντα σταδίων ἔχουσα τὸ τεῖχος. Hoc est: *Olim quinque constabat urbibus, muro contenta* CLXXX *stadia longo.* Tot stadia millia conficiunt XXII & passus IO. Sic ergo Thucydides quoque lib. II ambitum Athenarum facit stadiorum ampliùs CLXXVIII, hoc modo: Τὸ Φαληρικὸν τεῖχος σταδίους ἦσαν πέντε καὶ τριάκοντα, πρὸς τὸν κύκλον τοῦ ἄστεος· καὶ αὐτοῦ τοῦ κύκλου τὸ φυλασσόμενον τρεῖς καὶ τεσσαράκοντα· ἔστι δὲ αὐτοῦ ὃ μὲν ἀφύλακτον λίθου, τὸ μεταξὺ τοῦ τε Μακροῦ καὶ Φαληρικοῦ. τὸ δὲ Μακρὸν τεῖχος πρὸς τὸν Πειραιᾶ, τεσσαράκοντα σταδίων· ὧν τὸ ἔξωθεν ἐτηρεῖτο. καὶ τοῦ Πειραιῶς ξυὶ Μουνυχίᾳ, ἑξήκοντα μὲν σταδίων ὁ ἅπας περίβολος. Hoc est: *Phalericus murus erat stadiorum* XXXV, *ad ambitum usque urbis. ipsius ambitus pars, quæ custodiebatur,* XLIII. *nam pars eius media longum murum inter & Phalericum, sine custodiâ erat. Longi verò muri ad Piræa usque stadia continebant* XL: *quorum exteriora custodiebantur. Piræei cum Munychiâ universus ambitus erat* LX *stadiorum.* Stadia hæc omni numero sunt, ut dixi, CLXXVIII; id est, millia XXII & passus CCL. Quot autem fuerit stadiorum pars illa media inter Longum murum & Phalericum, ignoratur. Dio Chrysostomus universæ Athenarum urbis ambitum facit CC stadiorum; id est, millium passuum XXV. Verba eius in Oratione de Tyrannide hæc sunt: Καί τι διακοσίων σταδίων εἶναι τὸν περίμετρον τῶν Ἀθηνῶν καὶ τοῦ Πειραιέως συνῳκισμένων, καὶ τὰ μέσα τούτων πρὸς τὸν περίβολον καὶ ἄστεος. Id est: *Quamquàm ducentûm sit stadiorum ambitus Athenarum; si Piræa una complectaris & quod muri medium est inter eum & urbis ambitum.* Olympiodorus apud Photium: Τὸ τεῖχος Ῥώμης μετρηθὲν παρὰ Ἄμωνος γεωμέτρου, καθ' ὃν καιρὸν Γότθοι τὸ πρῶτον κατ' αὐτῆς καταδρομὴν ἐποιήσαντο, εἴκοσι καὶ ἑνὸς μιλίων διάστημα ἔχον ἀπεδείχθη. Id est: *Romanæ urbis mœnia, mensurata ab Amone geometrâ, quo tempore Gothi primam invasionem fecêre, comprehendebant* XXI *milliaria.* Ex his igitur satis clarè patet, non

scripsisse

scripsisse Plinium loco prædicto, *passuum* XIII *millia ducentos*; sed, *passuum* XXIII *millia ducentos*; scilicet *passus*. Huius igitur ambitus diameter dimidiata, id est, *spacium à milliario in capite fori Romani statuto ad singulas portas, efficiebat passuum per directum tria millia & passus* IↃCCLXV. *Ad extrema verò tectorum*, id est, ædificiorum, *ab eodem milliario per vicos omnium viarum*, id est, per singula suburbia, quæ viis publicis, *Ostiensi, Appiæ, Latinæ, Labicanæ, Prænestinæ, Tiburtinæ, Nomentanæ, Salariæ, Flaminiæ, Claudiæ, Triumphali, Aureliæ, Portuensi*, circumjecta erant, *mensura colligebat paullo amplius septem millia passuum*. Huius mensuræ ambitus efficiet ad passuum millia XLV. Sed jam antiquitus *Ianiculum* extra urbem Romam habitum fuisse, ex Dionysio maximè disco. Lib. III, de L. Tarquinio Prisco; qui à Tarquiniis Romam migrasse, regnumque ibi consequutus dicitur: Ὡς δὲ εἰς τὸ καλούμενον Γιανίκλον ἦκεν, ὅθεν ἡ Ῥώμη τοῖς ἀπὸ Τυρρηνίας ἐρχομένοις πρῶτον ἀφορᾶται. Id est: *Ut ad Ianiculum pervenerunt, unde Roma ex Etruriâ adventantibus primùm conspicitur*. Lib. V, ubi Porsenâ Clusinorum rex, ad Romam obsidendam exercitum ducit: Ἐπὶ πᾶσι τὸ καλούμενον Γιανίκλον ἔχθον (ἔστι δὲ τοῦτο τοῦ ὄρους ὑψηλὸν αὐχὴν ἡ Ῥώμης, πέραν δὲ Τιβέριδος ποταμοῦ κείμενον) ὀχυρωτέροις ἐκρωμώσαντο καταφυγαῖς καὶ φυλακαῖς, ὡς μὴ παντὸς πιέζοιτο, μὴ ἡδέως τοῖς πολεμίοις ὀπίσω μέρος ἐπιτείχισμα ᾖ τῆς πόλεως. Hoc est: *Deinde Ianiculum, qui excelsus mons est, non procul ab urbe trans Tiberim situs, firmioribus munitionibus & præsidiis emunierunt; modis omnibus dantes operam, ne tam opportunus ad urbis oppugnationem locus in hostium potestatem veniret*. Lib. VIIII, de Veientibus loquens: Χώραν δὲ ἐπῆλθον ἄχρι Τιβέρεως τε ποταμοῦ καὶ ὄρους Γιανίκλου, σταδίους τῆς Ῥώμης ἀπὸ εἴκοσιν ἀφεστηκότα. Id est: *Depopulando agrum excurrerunt usque Tiberim & montem Ianiculum, stadia ab urbe Româ minùs* XX *distantem*. Et eodem libro posteà, de Etruscis: Τῇ δὲ ἑξῆς ἡμέρᾳ τὰς δυνάμεις ἄγοντες ἐπὶ τὴν Ῥώμην, ἐκ σταδίων ἀμφὶ τοὺς ἑκκαίδεκα προελόντες, ὄρος, ἐξ οὗ σκοπὸς ἐστὶν ἡ Ῥώμη, τὸ καλούμενον Γιανίκλον, καταλαμβάνουσι. Hoc est: *Sequenti die versùs Romam ducentes exercitum, ad* XVI *ab urbe stadia, montem Ianiculum, è quo conspici Roma potest, occupant*. Hinc etiam eodem libro, ut suprà citatum, Romam ait ab unâ parte Tiberi amne muniri ac defendi. & dicto lib. III anteà, Ὁ δὲ Τίβερις ποταμὸς, inquit, καταβαίνει μὲν ἐκ τῶν Ἀπεννίνων ὀρῶν, παρ' αὐτὴν δὲ τὴν Ῥώμην ῥεῖ. Id est: *Tiberis amnis ex Apennino delatus monte præter ipsam Romam defluit*. In eamdem sententiam & M. Varro de Lingvâ Latinâ lib. IIII, *Tiberis*, inquit, *amnis, qui ambit Martium campum & urbem*. Sed & *Septicollis* quum esset urbs, *Ianiculus* in horum collium non fuit numero: sed omnes illi cis Tiberim fuêre in Latio. unde istud Martialis lib. IIII epigr. LXIIII:

Iuli jugera pauca Martialis
Hortis Hesperidum beatiora
Longo Ianiculi jugo recumbunt.
Hinc septem dominos videre montes,
Et totam licet æstimare Romam.

Et Virgilius Aeneid. lib. VI Anchisen introducit, ita Aeneæ apud inferos de posteris eius prædicentem:

Quin & avo comitem sese Mavortius addet
Romulus.
En, huius, nate, auspiciis illa inclyta Roma
Imperium terris, animos æquabit Olympo;
Septemque una sibi muro circumdabit arces.

Attamen Dionysius Περιηγητὴς, quem sub Augusto vixisse, testatur commentator eius Eustathius & item, ni fallit me opinio, Plinius lib. VI cap. XXVII: disertè alteram urbis partem ab dextrâ censet Tiberis ripâ, in his verbis:

Θύμβρις, ὃς ἱμερτὴν διείργων) ἀνδιχα Ῥώμην.
Thymbris; qui amabilem secat duas in parteis Romam.

Et ipse Dionysius suprà scripto lib. I, ubi de Euandro & Arcadibus narrat, ita scribit de Palatino monte: Αἱροῦσι) λόφον, ὀλίγον ἀπέχοντα τοῦ Τιβέριδος, ὃς ἐστι νῦν ἐν μέσῳ μάλιστα τῆς Ῥωμαίων πόλεως. Id est: *Deligunt collem haud procul ab Tiberi distitum, qui nunc in meditullio fermè est Romanæ urbis*. Certè, nisi Transtiberinam quoque regionem urbi includat; nullo pacto Palatinus mons in eius erit medio; sed potiùs in extremitate. in qua potiùs, quàm in mediâ urbe, *milliarium aureum*, seu, ut mox ostendam, *columnam auream*, quæ fuit in *foro Romano* inter Palatinum & Capitolinum

linum monteis Tiberimque amnem, voluisse statuere Augustum, ad quam omnes viæ Italiæ militares terminarentur, minimè credibile est. Sed fuisse Transtiberinam regionem unam ex XIIII, in quas universa Roma divisa fuit, auctore suprà scripto Plinio, & item Inscriptione antiquâ. testis est inter alios disertissimus P. Victor, in libello, quem de *Regionibus urbis* Romæ conscripsit. Videtur autem Augustus Cæsar hanc urbis divisionem primus instituisse. Fl. Vopiscus in Aureliano: *Muros urbis Romæ dilatavit. nec tamen pomœrio addidit eo tempore; sed posteà. Pomœrium autem nemini principum licet addere, nisi ei, qui agri Barbarici aliquâ parte Romanam rempublicam locupletaverit. Addidit autem Augustus; addidit Troianus; addidit Nero.* Addidêre & alii. Agellius lib. XIII cap. XIIII: *Pomœrium quid esset augures populi Romani, qui libros de auspiciis scripserunt, istiusmodi sententiâ definierunt: Pomœrium est locus intra agrum effatum, per totius urbis circuitum, ponè muros regionibus certis determinatus, qui facit finem urbani auspicii. Antiquissimum autem pomœrium, quod à Romulo institutum est, Palatini montis radicibus terminabatur. Sed id pomœrium pro incrementis reipublicæ aliquotiens prolatum est, & multos editosque colleis circumplexum est. Habebat autem jus proferendi pomœrii, qui populum Romanum agro de hostibus capto auxerat. Propterea quæsitum est, ac nunc etiam in quæstione est, quam ob causam ex VII Vrbis montibus, quum cæteri VI inter pomœrium sint, Aventinus solus, quæ pars non longinqua nec infrequens est, extra pomœrium sit: neque id Ser. Tullius rex, neque Sulla, qui proferendi pomœrii titulum quæsivit, neque posteà divus Iulius, quum pomœrium proferret, intra effatos Vrbis fineis incluserint.* Mox: *Sed de Aventino monte prætermittendum non putavi, quod non pridem ego in Elidis, grammatici veteris, commentario offendi. in quo scriptum erat: Aventinum anteà, sicuti diximus, extra pomœrium exclusum, post auctore divo Claudio receptum, & intra pomœrii fineis observatum.* De *Claudio* idem testatur Tacitus: at de *C. Iulio Cæsare* abnuit. Verba eius sunt de Claudio Annal. lib. XII ista: *Et pomœrium Vrbis auxit Cæsar, more prisco; quo iis, qui protulêre imperium, etiam terminos Vrbis propagare datur. Nec tamen duces Romani, quamquàm magnis nationibus subactis, usurpaverant; nisi L. Sylla & divus Augustus. regum in eo ambitio vel gloria variè vulgata. Sed initium condendi, & quod pomœrium Romulus posuerit, noscere, haud absurdum reor. Igitur à foro boario (ubi areum tauri simulacrum adspicimus; quia id genus animalium aratro subditur) sulcus designandi opidi cœptus; ut magnam Herculis aram amplecterectur. inde certis spaciis interjecti lapides, per ima montis Palatini, ad aram Corsi, mox ad Curias veteres, tum ad sacellum Larium. forumque Romanum & Capitolium non à Romulo, sed à T. Tatio additum urbi credidêre. Mox pro fortunâ pomœrium auctum. Et, quos tum Claudius terminos posuerit, facile cognitu, & publicis actis perscriptum.* De C. Iulio Cæsare ita Dio lib. XLIII: Τὸ τὶ πωμήριον ὅπερ πλεῖον ἐπηύξησε ὁ Καῖσαρ. καὶ ἐν τούτῳ ὅμοια τῷ Σύλλᾳ πρᾶξαι ἔδοξεν. Id est: *Pomœrium quoque ampliavit Cæsar. Atque in hoc Syllam imitari videbatur.* Et de Augusto lib. LV: Τό τε γὰρ Πομήριον ὅπερ ἐπηύξησε ὁ Αὔγουστος. Id est: *Pomerii etiam fineis Augustus protulit.* Verùm quousque id regum & imperatorum quisque protulerit, incertum est. Cæterùm de suprà dicto Aureliano imperatore ita Eutropius lib. VIII: *Vrbem Romam muris firmioribus cinxit.* Et Paul. Diaconus Historiæ miscellæ lib. X, item compilator eius in Epitomâ de Cæsaribus, quæ vulgò Sex. Aurelio Victori adscribitur, sic tradunt: de eodem Aureliano: *Hic muris validioribus & laxioribus urbem sepsit.* Præfatus Vopiscus: *Muros urbis Romæ sic ampliavit: ut L propè millia murorum eius ambitus teneant.* Ergo igitur *extremis* illis Plinii *tectis* sive *omnium viarum vicis*, id est, *à milliario in capite fori Romani statuto, ad septem paullo ampliùs millio passuum*, muros novos circumduxit. Quamquàm ego etiamnum dubito, an ista Plinianorum exemplarium *paullo ampliùs septuaginta millia passuum* satis feliciter ac rectè à Lipsio correcta sint in *paullo ampliùs septem millia*. ait quidpe posteà Plinius; *Caterò munita erat præcelsis muris aut abruptis montibus: nisi, quòd exspectancia tecta multos addidêre urbeis.* Heic sanè *exspaciantia tecta* eadem vocat extra muros, quæ anteà extra urbis ambitum, quem XXIII fecit millia, ponit. Ac sanè ad septimum lapidem nullæ fuêre Plinii ævo urbes. & ipse Lipsius inter *multas* istas *urbeis* vult fuisse *Tibur*, *Ocriculum*, *Ariciam*, *Ostiam*. Quapropter nescio, an Plinius scripserit, *paullo ampliùs septemdecim millia passuum*. nam intra XVII lapidem erat, viâ Ostiensi, ipsa *Ostia*; viâ Appiâ, *Bovillæ*, *Aricia*; viâ Latinâ, in diverticulo sinistrorsum, *Tusculum*; viâ Prænestinâ,

neſtinâ, *Gabii*, viâ Nomentanâ, *Nomentum*; viâ Salariâ, *Fidenæ*, *Cruſtumeria*, *Eretum*; propter viam Flaminiam ſiniſtrorſum, *Veii*. Atque hoc ipſum fuerit, quod Dionyſius ſuprà citato lib. IIII ait de ædificiis extra prædictum XXIII millium ambitum ſitis: Καὶ εἰ μὲν εἰς ταῦτα ἰοῦσι ὁρῶν, τὸ μέγεθος ἐξετάζειν βουλήσεται τῆς Ῥώμης, πλανᾶσθαί τι ἀναγκαθήσεται, καὶ οὐκ ἔξεστι βέβαιον σημεῖον εὑρεῖν, ᾧ διαγνώσεται, μέχρι τοῦ προβαίνειν ἡ πόλις ἐστὶ, καὶ πόθεν ἄρχεται μηκέτι εἶναι πόλις. Id eſt: *Si quis, ea intuens, magnitudinem Romæ exquirere velit; longè fallatur neceſſe eſt: nec certò dignoſcere poterit, quò usque urbs ſeſe extendat; & ubi urbs eſſe deſinat.* Certè in Ianiculo monte conſtitutus; unde commodiſſimus optimusque circa omnem urbem proſpectus; non tantùm præſcripta opida, ſed & ulterius ſita, *Præneſte*, *Tibur*, & his etiam longiùs diſſita in Sabino agro proſpexeris. Hinc Ariſtides quoque in Oratione, qua laudes Romæ celebrat, ita tradit: Τίς γὰρ οὐ ποτὲ δὲ ὁρῶν κορυφὰς κατειλημμένας, ἢ πεδίων νομὰς ἐκπεπλισμένας, ἢ γῆν τοσήνδε εἰς μιᾶς πόλεως ὄνομα συνηγμένην; εἶτα ἀκριβῶς καταθεάσηται ἀπὸ ποίας τοιαύτης σκοπιᾶς; * · Τοῦτο ἄρα καὶ ἤδη ἡ πόλις καλύπτει καὶ ἄκρους πρώονας, καλύπτει τὴν ἐν μέσῳ γῆν, καταβαίνει καὶ μέχρι θαλάττης· ἔστι τὸ κοινὸν ἀνθρώπων ἐμπόριον, καὶ ἡ κοινὴ τῶν ἐν γῇ φυομένων διοίκησις. * · Καὶ μὴν δὴ ἔστι πόλις γε μέχρι τοῦ· ἀλλ' ἀπειρίαν πολὺ ὑπερῆν τὸ καθεκάστην ἔτι πλεῖον αὖ ἥκειν ἐφ' ἑαυτοῦ. * · καθάπερ οὖν ἐπὶ τοσοῦτον αὐτὴ πολὺ νικᾶν ἔοικε τῶν ἄλλων μεγεθῇ τινι καὶ ῥώμῃ, οὐκ ἀγαπᾷ μὴ καὶ ἄλλας ὑπερῆν αὐτὸν δραμοῦσα φέρειν· ὡς δὲ καὶ ἥδε ἔστι τοσαύτης γῆς ᾠκισμένη, οὐκ ἀγαπᾷ, ἀλλ' ἐπέρας πόλεις ἰσομετρήτως ὑπερῆν αὐτὴν δραμοῦσα φέρειν ἄλλας ἐπ' ἄλλαις· ὥσπερ ἄρα ἐπώνυμον αὐτῇ τέτυκται, καὶ ἔστιν ἄλλο ἢ ῥώμη τὰ τῇδε. Hoc eſt: *Quis enim vel tot juga montium occupata camposque coædificatos, vel tantum terræ in unius urbis nomen coactum, ex ullâ ſpeculâ contemplari poſſit?* Mox: *Similiter & urbs hæc tum ſumma juga tum mediam tegit terram, & ad mare usque deſcendit. ubi publicum eſt emporium, & communis rerum è terrâ naſcentium miniſtratio.* Statim: *Nec verò ſuperficiem tantum occupat: ſed longè, ſupra exemplum, quàm altiſſimè in æerem adſcendit. & ſicuti vir aliquis, qui cæteris magnitudine ac robore multum ſuperat, alios quoque, in ſe ſublatos, ferre gaudet: ſic & hæc, quum tantum terræ ſpacium occupet; non tamen quieſcit, antequàm alias etiam æqualeis urbeis, ſibi impoſitas alteram ſuper alteram, ferat. quod eius nominis fert ratio: quum totum, quod hèic videmus, ῥώμη, id eſt, robur ſit.* Hinc Svetonius in Nerone, cap. XVI: *Deſtinârat etiam Oſtiâ tenus mœnia Vrbis promovere: atque inde foſſâ mare veteri urbi inducere.* Verùm licèt cuncta iſta opida & loca circa Romam ipſis urbis extremis tectis conjuncta atque innexa eſſent; tamen certa ad unumquodque numerabantur ab urbe millia paſſuum; eaque ab dicto *milliario in capite Romani fori ſtatuto*; quod quia ex eo eſſet metallo, *Aureum* adpellabatur *milliarium*. Svetonius in Othone cap. VI: *Deſtinatâ die, præmonitis conſciis, ut ſe in Foro ſub ædo Saturni ad Milliarium aureum opperirentur, manè Galbam ſalutavit.* Tacitus Hiſtoriar. lib. I: *Otho per Tiberianam domum in Velabrum, inde ad Milliarium aureum ſub ædem Saturni pergit.* P. Victor, in deſcriptione regionis VIII quæ Forum Romanum dicebatur: *Aedes Opis & Saturni, in vico Iugario. Milliarium aureum.* Plutarchus in Galbâ: Καὶ διὰ τῆς Τιβερίου καλουμένης οἰκίας καταβὰς ἐβάδιζεν εἰς ἀγορὰν, ἔνθα χρυσοῦς ἵσταται κίων, εἰς ὃν αἱ πλησιόχωροι τῆς Ἰταλίας ὁδοὶ πᾶσαι πλησιάζουσιν. Id eſt: *Per Tiberianam domum deſcendit in Forum, ubi aurea columna eſt poſita, in quam viæ militares Italiæ omnes deſinunt.* Auctorem eius columnæ milliariæ Dio lib. LIIII narrat Auguſtum Cæſarem. Τότε δὴ, inquit, ὁ Αὔγουστος πρῶτος τῶν περὶ τὴν Ῥώμην ὁδῶν αἱρεθεὶς, καὶ τὸ χρυσοῦν μίλιον κεκληκὼς ἔστησε, καὶ ὁδοποιὸς αὐτὰς ἐκ τῶν ἐσχηκότων, ῥαβδούχους δύο χρωμένους, προσέταξε. Id eſt: *Tunc Auguſtus viarum, quæ ſunt circa Romam, curator conſtitutus, Milliarium aureum, quod vocant, ſtatuit; quique viis muniendis præeſſent, prætorios viros, qui binis lictoribus uterentur, deſignavit.* Sic igitur Plinius dicto lib. III cap. V, *Latium*, inquit, *ubi Tiberina oſtia, & Roma, terrarum caput, XVI millium paſſuum intervallo à mari.* Et ſub ipſo Auguſto ſcribens Dionyſius, initio ſtatim libri: Ἡ τῶν Ῥωμαίων πόλις ἀπέχει τῆς Τυρρηνικῆς θαλάττης ἑκατὸν εἴκοσι σταδίους. Id eſt: *Vrbs Roma abeſt à Tuſco mari ſtadia CXX.* Hoc eſt, millia paſſuum XV. Hodiéque ſanè XV haud ampliùs deprehenduntur eſſe millia ab urbis Romæ medio ad Tiberina oſtia. Sed plerique auctores, quos ſequenti capite citabo, XVI computarunt millia cum Plinio. De cætero ad *Ariciam* quoque, viâ Appiâ itineraria Romana, ut infrà videbimus, XVI habent millia paſſuum; quæ hodiè non niſi in medium urbis Romæ conveniunt. Sic eodem reſpondent e ſtadia Dionyſii, quæ lib. X ab Vrbe ad *Tuſculum* numerat; id eſt, millia XII, paſſus 10.

sic idem Dionysius lib. IIII *Gabios* Prænestinâ viâ totidem stadia ab Vrbe distare dixit: Appianus verò Civil. bellor. lib. V, medio itinere id opidum ait esse Romam inter & *Prænesten*: Strabo etiam lib. V æquis utrimque intervallis c circiter stadia adscribit: pro quibus Tabula itineraria ab Vrbe ad *Gabios* XII millia, hinc verò unà cum Antonino XI ad Prænestè usque habet. at hodiè vix XXII millia effeceris inter Prænestè & medium urbis Romæ. Sic item, quum nunc ex medio Vrbis ad *Tibur* usque XVIII haud ampliùs dignosci possint justa millia, Antoninus eo intervallo posuit XX millia: & Tabula itineraria ab Vrbe ad *Albulas aquas*, quæ IIII fermè millia à Tibure absunt, XVI refert millia. Sic eiusdem Tabulæ auctor ex Vrbis medio viâ Nomentanâ ad *Nomentum*, & item viâ Salariâ ad *Eretum*, XIIII numeravit millia. Et ut hodiè, sic jam olim ab Vrbe ad Fidenas viâ Salariâ numerabantur V millia; ad Anienem verò fluvium millia III: quod suprà lib. II cap. VIII in Sabinis ostensum. Sic item viâ Flaminiâ ad *Rubra Saxa* jam olim VIIII tantùm numerata sunt millia; & ad vicinum opidum Veios, quod nunc est *Scrofano*, XII millia; ut suprà lib. II cap. II docui. denique Tabula itineraria II habet millia ab Vrbe ad *Milvium pontem*; qui hodiè vulgò dicitur *Ponte Molle*, duobus exiguis admodùm ab Vrbe distans. Verùm tamen haud dissimulaverim hoc loco, ista milliaria, quæ viâ Flaminiâ & Salariâ traduntur magis ad hodiernos urbis muros usque respondere, quàm in mediam urbem. proinde etiam, ubi antiquiores auctores, qui res à regibus Romanorum contra Fidenates, tùm Gallorum & Hannibalis contra Romanos gestas narrant, III tantùm millia ab Vrbe ad Anienem referunt, posteriores ævi scriptores IIII milliaria eo spacio pronunciarunt; ut dicto lib. II cap. VIIII ostensum est. Vnde sanè supicio haud levis nascitur, non in Forum usque Romanum, sed ad muros tantùm Vrbis terminata fuisse Italiæ itinera antequàm milliarium aureum Augustus statuerit. Muros autem intelligo, non amplissimos illos, quorum ambitum Dionysius vult jam sub rege Ser. Tullio Athenarum magnitudinem, id est, millia passuum circiter XXIII impleviſse: sed antiquissimi cuiusdam pomerii; cuius circuitus haud maior fuisse videtur, quàm quo nunc cingitur Romana urbs: quo & ipso VII colles, qui in antiquâ urbe auctoribus narrantur, includuntur. quidpe & *Milvius pons* extra urbem censetur auctoribus, & *Almo fluvius*; qui ipsa propemodùm mœnia nunc abluit. Ovidius Fastor. lib. IIII:

Est locus, in Tiberim quà lubricus influit Almo
Et nomen magno perdit in amne minor.
Illic purpureâ canus cum veste sacerdos
Almonis Dominam sacraque lavit aquis.

Paullo pòst:

Ipsa sedens plaustro portâ est invecta Capenâ.

Martialis lib. III epigram. XLII:

Capena grandi porta quà pluit guttâ;
Phrygiæque Matris Almo quà lavat ferrum.

Statius Silvar. lib. V, carm. I:

Est locus ante Vrbem, quà primùm nascitur ingens
Appia; quáque Italo gemitus Almone Cybele
Ponit.

Tacitus Annal. lib. XIII: *Pons Milvius in eo tempore celebris nocturnis illecebris erat, ventitabatque illuc Nero; quò solutiùs Vrbem extra lascivîret.* Historiar. lib. II: *Ipse Vitellius, à ponte Milvio, insigni equo, paludatus adcinctusque, senatum ante se agens, quò minùs ut captam Vrbem ingrederetur, amicorum consilio deterritus.* Historiar. lib. III: *Tentavit tamen Antonius vocatas ad concionem legiones mitigare; ut, castris juxta pontem Milvium positis, posterâ die urbem ingrederentur.* Huc adde, quòd non nisi in hodiernum urbis ambitum convenit illud VII stadiorum, id est, mille fermè passuum spacium, quod Dionysius dicto lib. VIIII ponit inter *Collinam Esquilinamque portas*; quæ hodiè sunt vulgò *Salaria & Divi Laurentii*. Et, ne mendum Dionysii exemplaribus inesse suspiceris; en ita scriptum est de eâdem re apud Strabonem lib. V: Ἡ λεγξις ἡ Σερουϊανὴ τὸ ἐπὶ λόφῳ. αὐτὴ πληροῦσα μὲν τὸν τε Ἐσκυλῖνον λόφον καὶ Οὐιμινάλιον. καὶ τοῦτο δὴ ἀκρόπολιν τῆς ἔξω ἐστί. διὸ περ Ἄκρον βαθεῖαν ὀρύξασα, εἰς τὸ ἑπτὰ ἐδείξατο

ἐδέξατο τὸν γλῶ, καὶ ἐξέτεινεν ὅσον ἐξαπέδιον χῶμα ἀπὸ τῆς ἐντὸς ὀφύος τὸ βάθος, καὶ ἐπέβαλον τεῖχος καὶ πύργους ἀπὸ τῆς Κολλίνας πύλης μέχρι τῆς Ἐσκυλίνας. Hoc est: *Defectum hunc Servius animadvertit, atque implevit; adjectis Esquilino & Viminali collibus. quæ loca quum facilè extrinsecus capi possent; fossâ altâ egestâ, terram intro receperunt; adgereque* VI *circiter stadiorum interiore fossæ margine facto, muros & turreis in eo statuerunt à Collinâ portâ usque ad Esquilinam.* Nescio igitur, an hic quoque ambitus & hi muri intelligendi sint in Lege 11 tituli de Verborum significatione; ubi sic scriptum: *Vrbis adpellatio muris, Romæ autem continentibus ædificiis finitur: quod latiùs patet.* Id est; omnia illa quidem *continentia ædificia*, seu *latè exspaciantia tecta*, sub *Romæ* adpellatione comprehendebantur; ita, ut si quis in his esset, Romæ esse diceretur. at *Vrbis* adpellatione id tantùm intelligebatur, quod *muris* clausum erat. Sed de magnitudine urbis Romæ, de ambitu, & variis amplificationibus, satis hactenus disertum. Ipsa quia in VII sita erat collibus; horum adpellatione frequenter poëtis indicatur. Plutarchus in Quæstionibus Romanis: Τὸ ἢ Σεπτιμόντιον ἄγεσθαι ἀπὸ τοῦ ἕβδομον λόφον τῇ πόλει προσκατεμβλῶσαι, καὶ τὸν Ῥώμιλον ἐπτάλοφον ἠρῶσθαι. Id est: *Septimontium feriæ institutæ sunt propter adjectum septimum Romæ collem: quod facta est Septicollis.* Virgilium & Martialem suprà audiximus. Statius Silvar. lib. I carm. III:

Quis septemgeminæ posuisset mœnia Romæ.

Eodem libro carm. V:

Vos mihi, quæ Latium septenaque culmina nympha
Incolitis.

Silvar. lib. II carm. IIII:

——— *Dum per juga septem*
Errat, Aventinæque legit vestigia terræ.

Eodem libro carm. VIII:

Non tu flumina nec greges ferarum
Nec plectro Geticas movebis ornos:
Sed septem juga Martiumque Tybrim
Et doctos equites, & eloquentes
Cantu purpureum trahes senatum.

Silvar. lib. IIII carm. III:

Gaudens Euboicæ domum Sibyllæ
Gauranosque sinus & æstuantes
Septem montibus admovere Baias.

Eodem libro carm. V:

Quis non in omni vertice Romuli
Reptasse dulcem Septimium patet?

Huc sanè quadrabit expositio Servii, quam adscripsit Virgilii verbis, quæ hic Aeneid. lib. VI: Anchisen fingit Aeneæ filio apud inferos dixisse de posteris eius hoc modo:

Quin & ævo comitem sese Mavortius addet
Romulus.
En, huius, nate, auspiciis illa inclyta Roma
Imperium terris, animos æquabit Olympo;
Septemque una sibi muro circumdabit arces.

Ad quæ ita Servius: *Benè urbem Romam dicit* VII *inclusisse montes: & medium tenuit. nam grandis est inde dubitatio, & alii dicunt, breves* VII *colliculos à Romulo inclusos: qui tamen aliis nominibus adpellabantur. alii volunt, hos ipsos, qui nunc sunt, à Romulo inclusos: id est, Palatinum, Quirinalem, Aventinum, Cælium, Viminalem, Esquilinum, & Ianicularem. alii verò volunt, hos quidem fuisse; aliis tamen nominibus adpellatos. Capitolinum* heic à septenario montium numero excluſum, miror. Verùm ita sanè est, ut sæpiùs jam antè dixi: numquàm convenit inter ipsos Romanos super aliquâ antiquitatum suarum vel minimâ parte. An verò isthæc sententia non directò spectat ad verum nostrum *Romulum*. id est, *Euandrum?* quem jam inde ab initio cum Latinis sive Quiritibus suis omneis istos VII colleis, ejectis inde Siculis, occupasse, suprà ostendi. Apud Pompeium Festum ita scriptum est: *Septimontio, ut ait Antistius Labeo, hisce montibus feriæ: Palatio; cui sacrificium quod fit, Palatuar dicitur: Veliæ; cui item sacrificium: Fagutali, Suburæ Cermalo, Oppio, Cælio monti, Cispio monti. Oppius autem*

autem adpellatus est, ut ait Varro Rer. humanar. lib. VIII *ab Opitâ Oppio Tusculano; qui, cùm præsidio Tusculanorum missus ad Romam tuendam, dum Tullus Hostilius Veios oppugnaret, consederat in Carinis, & ibi castra habuerat. similiter Cispius, à Lævo Cispio Anagnino; qui eiusdem rei causâ eam partem Esquiliarum, quæ jacet ad vicum Patricium, tuitus est.* Montes, qui in septenario illo numero censebantur, ut ex suprà relatis variorum auctorum verbis patuit, fuêre isti: *Palatinus, Capitolinus, Quirinalis, Viminalis, Esquilinus, Cœlius, & Aventinus.* Verba igitur Festi uti rectâ intelligantur, Varronis audiantur verba, quæ Lingvæ Latinæ lib. IIII perscripsit huiusmodi: *Sunt & nomina ab tot montibus, quot postea urbs muris comprehendit. è queis Capitolium & Aventinus. Reliqua urbis olim discreta. è queis prima est scripta regio Suburana; secunda, Esquilina; tertia, Collina; quarta, Palatina. In Suburanæ regionis parte princeps est Cœlius mons, à Cœlio Vibennio Tusco, qui cum suâ manu dicitur Romulo venisse auxilio contra Sabinum regem. cum Cœlio conjunctæ Carinæ. Secunda regio Esquilinæ ab Esquiliis. Esquiliæ duo montes habiti: quòd pars Cispius mons suo antiquo nomine etiam nunc in sacris adpellatur. In sacris Argeorum scriptum est sic: Oppius mons princeps lucum Esquilinum, lucum Fagutalem sinistrâ, quæ sub mœrum est. Oppius mons bicepsos simplex. Oppius mons tricepsos lucum Esquilinum, dexterior via in tabernolâ est. Oppius mons quadricepsos lucum Esquilinum, via dexterior in figlinis. Septimius mons quinticepsos lucum Pœtilium. Esquilinus sexticepsos. Cispius mons septicepsos. Tertiæ regionis colles ab* V *deorum fanis adpellati. è queis nobiles duo colles; Viminalis, Quirinalis. quòd vocabulum conjunctarum regionum nomina obliteravit. dictos enim colleis plureis, adparet ex Argeorum sacrificiis; in quibus sic scriptum est: Collis Salutaris quarticepsos, ædem Quirino. collis Salutaris quarticepsos; adversùm est Pila Naris; ædem Salutis. collis Mutialis quinticepsos, apud ædem Dii Fidii. collis Latiaris sexticepsos, in vico Mustellario. Quartæ regionis Palatium. huic Germalum & Velias conjunxerunt.* Igitur *Oppius* & *Cispius* colles partes tantùm fuêre Esquilini montis; ut Quirinalis montis parres fuêre, *Salutaris* & *Mutialis* ac *Latiares, colles.* Atque hactenus de urbe *Româ* hoc in opere disseruisse sufficiebat; nisi præcipuæ eius quoque indicandæ forent *portæ*, ex quibus *viæ militares* sive *consulares* in varias Italiæ parteis ferebant. his quidpe cognitis, commodiùs posthinc faciliùsque reliquorum Latii opidorum situs investigare poterimus. Verùm nomine heic tantùm ac situs portarum nudè indicabimus. auctorum testimoniis ea pòst ad calcem huius operis adseremus; ubi peculiaris nobis de viis Italiæ erit dissertatio. Ad *Ostiam* igitur opidum, apud Tiberina ostia, lævo amne, sita, ferebat *via Ostiensis*, ex *portâ Trigeminâ*; quæ nunc *divi Pauli* cognominatur. *Appia via* initium ducebat *à portâ Capenâ*; quæ nunc est *Divi Sebastiani*. In hanc viam uti apud Casilinum, Campaniæ opidum, incidebat *via Latina*, ita ab eâdem initium sumebat apud ipsam mox portam Capenam. Inde *Labicanam* emittebat *porta Esquilina*; quæ nunc cognominatur *Divi Laurentii*. eâdem & *Prænestina via* exibat. Hinc *Tiburtina via* initium ferebat à *portâ Viminali*; quæ nunc est *Divæ Agnetis*. Proxima inde *Collina porta*, vulgò nunc *Salaria* dicta emittebat *viam Salariam*. Vltima inde ab lævâ Tiberis ripâ erat porta *Flumentana*; à qua *via Flaminia* ducebat ad *pontem Milvium*: versùs quem nunc exitur *portâ Populi*. Ab alterâ amnis ripâ viæ maximè celebres erant duæ; *Aurelia & Portuensis*. illa ab eâ portâ initium ducebat, quæ nunc *Divi Pancratii* cognominatur; hæc ab eâ, quæ etiamnunc vulgò dicitur *Porta Portuese*. Medio sæculo portæ utræque communia nomina cum ipsis viis habuêre. antiquiore ævo quæ eis fuerint adpellationes, parum constat.

PORTÆ præcipuæ urbis Romæ.

Absolutâ hactenus ipsius urbis Romæ descriptione, antequàm ad reliqua Prisci Latii opida pergam, pauca quædam dicenda erunt loca, sub ipsis fermè urbis mœnibus quondam sita.

CAMPVS MARTIVS.

Ac primùm quidem MARTIVS CAMPVS semper extra urbem habitus est. Livius lib. II: *Ager Tarquiniorum, qui inter urbem & Tiberim fuit, consecratus Marti, Martius deinde campus fuit.* Et lib. XXI Hannibal ita ad milites suos: *Itineris finem sperent campum interjacentem Tiberi ac mœnibus Romanis.* Dionysius lib. V: Καὶ τὸ αὐτῶν γῆῖον, ὅσον ἐκέκτηντο, τοῖς μηδὲν κλῆρον ἔχουσι διένειμαν, ἐν μέσῳ ἐξελόμενοι πεδίον, ὃ κεῖται μεταξὺ τῆς τε πόλεως καὶ ποταμοῦ. τοῦτο δὴ Ἄρεως ἱερὸν κατάρχὴν ἱερὸν εἶναι ἐνόμισαν, ἵππους τε λεμῶνα, καὶ νέοις ἀσκεῖσι τοῖς ἐνοπλίοις μελέτης γυμνάζιον ἁπανθόλοιτον. Id est: *Atque agrum, quem illi possede-*

possederant, diviserunt civibus agro carentibus; excepto uno tantùm campo, qui situs est inter urbem & amnem. hunc Marti sacrum esse voluerunt; aptissimum & equis pratum & juventuti in armis exercendæ gymnasium. Et lib. VII: Σωμὴ ἡ τὸ πλῆθος εἰς τὸ πρὸ τῆς πόλεως Ἄρειον πεδίον. Id est: *Conveniebat multitudo ante urbem in campum Martium.* De eodem loquitur lib. VIII: οἱ δ' ὕπατοι προελθόντες ἔξω τῆς πόλεως ἐν τῷ προκειμένῳ πεδίῳ, ἔνθα στρατηγικὰς δίφρους ἔθηκαν ἐνταῦθα, καὶ τὴν στρατιὰν ἐπεῖδον καταλογον. Hoc est: *Consules ex urbe in adjacentem campum egressi, positis ibi sellis imperatoriis, delectum militum habebant.* Et lib. XI: Καπετραλοπέδωσαν ἔξω τῆς πόλεως κατὰ τὸ καλούμενον Ἄρειον πεδίον. Id est: *Castra posuerunt extra urbem in campo Martio.* De suâ tempestate loquens M. Varro, lib. IIII de Lingvâ Latinâ, *Tiberis amnis*, inquit, *qui ambit Martium campum & urbem.* Cicero ad Atticum lib. XIII epist. XX: *De urbe augendâ quid sit promulgatum, non intellexi. id sanè scire velim.* Et epist. XXXIII: *Sed casu sermo à Capitone de urbe augendâ. à ponte Milvio Tiberim duci secundùm monteis Vaticanos. campum Martium coædificari. illum autem campum Vaticanum fieri quasi Martium campum.* Quidquid tunc inædificatum fuerit, nomen tamen antiquum campus retinuit, & post hæc etiam extra urbem censitus est. Strabo lib. V; ubi de variis urbis ornamentis disserit: Τούτων δὲ τὰ πλεῖστα ὁ Μάρτιος ἔχει κάμπος, πρὸς τῇ φύσει προσλαβὼν καὶ τὴν ἐπιτηδείαν κόσμον. καὶ γὰρ τὸ μεγεθος ἔξω θαυμαστὸν ἅμα, καὶ τὰς ἀρματοδρομίας, καὶ τἄλλα ἱππασίαν, ἀκώλυτον παρέχων τῷ πολυτρόπῳ πλήθει, τῆς σφαίρας καὶ κίρκου καὶ παλαίστρας γυμναζομένων· καὶ περικείμεναι ἕρκος, ἔτι τὸ ἔδαφος πάλαι δι' ἔτους, ἔτι τὸ λόφος στεφανοῖ, αἱ ὑπ' ἐσχάτῃ δὲ πλατεῖ, μέχρι δὲ ῥεύθρου, σκιογραφικὸν ὄψιν ἀποδεικνύμεναι, δυσαπόλαυστον παρέχουσι τὴν θέαν· πλησίον δὲ ἐστὶ δὲ πεδίον τούτου καὶ ἄλλο πεδίον, ἔτι στοαὶ κύκλῳ πεπληθεῖς, καὶ ἄλση, ἔτι θέατρα τρία, ἔτ' ἀμφιθέατρον, καὶ ναοὶ πολυτελεῖς καὶ συνεχεῖς ἀλλήλοις· ὡς πάρεργον αὖ δόξαιεν ἀποφαίνειν τὴν ἄλλην πόλιν· Διόπερ ἱεροπρεπέστατον νομίσαντες τὸν τόπον τοῦτον, καὶ τὰ τῶν ἀριστέων μνήματα ἐνταῦθα καθιέρωσαν ἀνδρῶν ἔτι γυναικῶν· ἀξιολογώτατον δὲ τὸ Μαυσώλειον καλούμενον, ὄχθῃ κοπτοῦ ὑψηλῆς λευκολίθου πρὸς τῷ ποταμῷ χῶμα, ἀχέρδοις πυκνοῖς τοῖς ἀληθέσι τῶν δένδρων σκιερὸν. ἐπ' ἄκρου δὲ ἵδρυται εἰκὼν ἐστὶ χαλκῆ τοῦ Σεβαστοῦ Καίσαρος· ὑπὸ δὲ τῷ χώματι θῆκαι εἰσὶν αὐτοῦ, καὶ τῶν συγγενῶν καὶ οἰκείων. ὄπισθεν δὲ μέγα ἄλσος, περίπατοι θαυμαστοὺς ἔχων· ἐν μέσῳ δὲ τῷ πεδίῳ ὁ τοῦ καύσεως αὐτοῦ περίβολος, καὶ ἔστι λίθου λευκοῦ, κύκλῳ περικείμενον ἔχων σιδηροῦν περίφραγμα, ἔντος δὲ αἰγείροις καταφυτον. Πάλιν δ' εἴ τις εἰς τὴν ἀγορὰν παρελθὼν τὴν ἀρχαίαν, ἄλλην ἔξ ἄλλης ὄψει θαυμασίως βεβλημένην ταύτην, καὶ βασιλικὰς στοὰς καὶ ναούς, ἴδοι δ' ἂν καὶ τὸ Καπιτώλιον, καὶ τὰ ἐνταῦθα ἔργα, καὶ ἃ ἐν τῷ Παλατίῳ καὶ τῇ τοῦ Λιβίης περιπάτῳ, ῥᾳδίως ἐκλάθοιτ' αὐτοῦ τὸ ἔξωθεν. Hoc est: *Horum pleraque habet Martius campus; cùm naturâ tùm hominum prudentiâ ornatus. nam & magnitudo eius miranda est: & curruum equorumque decursionibus liberè patet; tantæque multitudini pilâ & circo ac palæstrâ sese exercentium. tum opera circumjecta, solumque toto anno herbâ virens, tumulorumque corona supra amnem, usque ad alveum eius, scenæ quamdam ostentant speciem: à cuius spectaculo difficulter quis avellatur. prope hunc campum alius est campus, porticusque circumcircà permultæ; tum luci, tria theatra, amphitheatrum, templa magnifica, alterum alteri subinde contiguum. quarum rerum respectu reliqua urbs quasi additamentum quoddam videri possit. Itaque Romani hunc locum maximè sacrum ac venerabilem rati, illustrissimorum virorum monimenta ibi collocarunt ac matronarum. quorum omnium præclarissimum est Mausoleum; agger ad amnem supra sublimem albi lapidis fornicem congestus, & ad verticem usque semper virentibus arboribus coopertus. in fastigio statua est Augusti Cæsaris. sub aggere loculi eius & cognatorum familiariumque. à tergo locus magnus, ambulationes habens admirabileis. in medio autem campo est busti eius ambitus ex albo lapide, in orbem ejnctus ferreâ sepe; intus populis consitus. At rursus si quis, in forum progressus antiquum, basilicas, porticus templaque contueatur, una alteris idemtidem conjuncta; tum Capitolium videat, & opera, quæ sunt ibi & in Palatio inque Liviæ ambulacro: is facilè eorum, quæ sunt extra urbem, obliviscatur.* Ergo ea pars hodiernæ urbis, quæ est inter Pincium montem ac Tiberim, ubi hodiéque Mausoléum Augusti visitur, item ipse mons Pincius, extra urbem olim fuerunt. Non autem hoc tantùm spacio, quod nunc intra muros inter dictum montem Pincium & Tiberim protenditur, *Martius campus* finiebatur; sed etiam totus reliquus campus, qui Tiberis lævâ ripâ & adjacentibus collibus ad pontem usque Milvium & sacellum S. Iuliani, apud ripam amnis in crepidine situm, includitur, sub eâdem comprehendebatur adpellatione. hinc enim est, quòd Strabo ait *magnitudinem* eius fuisse *mirandam*. hinc item *geminum*

eum facit. quia medio ſpacio in anguſtas quaſi fauceis arctatur Tiberi & collibus objacentibus. hinc item eſt, quòd Cicero ait, à *ponte Milvio Tiberim duci ſecundùm monteis Vaticanos, campumque Martium illic coædificari*. Eumdem & TIBERINVM CAMPVM, dictum fuiſſe, teſtis eſt Agellius lib. VI cap. VII: ubi de C. Tarratiâ, quæ aliis dicebatur Fufetia, ita ſcribit: *Quòd campum Tiberinum ſive Martium populo Romano condonaſſet*.

CAMPVS VATICANVS. At CAMPVS VATICANVS ex ſuprà ſcriptâ Ciceronis deſcriptione is eſt, qui, Campo Martio oppoſitus, inter pontem Milvium & Ianiculum montem, dextrâ Tiberis ripâ & objacentibus collibus includitur.

VATICANVS mons; & item ager. Ipſi verò colles VATICANI appellabantur, teſte eodem Cicerone, MONTES. Singulari quoque numero dictus eſt VATICANVS MONS, ſive COLLIS. Feſtus: *Vaticanus collis adpellatus eſt, quòd eo potitus ſit populus Romanus, vatum reſponſo expulſis Etruſcis*. Quum ipſe quoque circa hos colles *ager* dictus ſit VATICANVS, paullo aliam adpellationis rationem adfert Agellius lib. XVI cap. XVII. *Et agrum*, inquit, *Vaticanum, & eiusdem agri deum præſidem, adpellatum acceperamus, à vaticiniis, quæ vi atque inſtinctu eius dei in eo agro fieri ſolita eſſent. Sed, præter hanc cauſam, M. Varro in libris Divinarum aliam eſſe tradit iſtius nominis rationem. nam ſicut Atius, inquit, deus adpellatus, araque ei ſtatuta eſt, quæ eſt infimâ novâ viâ; ita Vaticanus deus nominatus, penes quem eſſent vocis humanæ initia. quoniam pueri, ſimul atque parti ſunt, eam primam vocem edunt, quæ prima in Vaticano ſyllaba eſt. idcircòque vagire dicitur, exprimente verbo ſonum vocis recentis*. Meminêre *Vaticani agri* Livius quoque ac Plinius. Livius lib. X: *Alii duo exercitus haud procul Vrbe Etruriæ oppoſiti; unus in Faliſco, alter in Vaticano agro*. Plinius lib. III cap. V; ita de Tiberi loquens: *Non procul Tiferno Peruſiâque & Ocriculo Etruriam ab Vmbris ac Sabinis, mox citra* XIII *millia paſſuum Vrbis Veientem agrum à Cruſtumino, dein Fidenatem Latinumque à Vaticano dirimit*. Ergo ad V millia paſſuum ab Româ & Ianiculo monte in ſeptemtriones verſùs juxta dextram amnis ripam porrigebatur *Vaticanus ager*. namque Fidenæ, ut ſuprà lib. II cap. VIIII oſtenſum, V millia, Cruſtumium verò VI millia ab Vrbe abfuêre. Idem Plinius lib. XVIII cap. III: *Aranti quatuor ſuo jugera in Vaticano, quæ* PRATA QVINTIA *adpellantur, Cincinnato viator attulit dictaturam: & quidem, ut traditur, nudo pleneque pulveris etiamnum ore*. Feſtus: *Quintia prata dicta ſunt à Quintio Cincinnato, quòd ſibi, damnato filio, venditis omnibus, quatuor jugerum agrum trans Tiberim paraverat*. Livius lib. III, in conſulatu L. Minucii Augurini & C. Nautii Rutili II, anno Vrbis CCXCVI, ante natum Ieſum CCCCLVII: *Spes unica imperii populi Romani L. Quintius trans Tiberim contra eum ipſum locum, ubi nunc Navalia ſunt, quatuor jugerum colebat agrum, quæ Prata Quintia vocantur*. Quosdam video hæc *Prata Quintia* interpretari eum campum, qui ultra pontem Milvium ſitus eſt ex adverſo confluentis Anienis in Tiberim. verùm, quænam heic circa Anienis confluentem eſſe potuerint *Navalia* illa, nondum ego diſpicio: ſuſpicorque, propiùs Vrbem fuiſſe eum locum. Livius hoc pòſt paullo addit: *Navis Quintio publicè parata fuit. transvectumque tres obviam egreſſi filii excipiunt*. En, *transvexit* tantum *navis*, non devexit flumine Quintium. ergo apud ipſam Vrbem fuêre hæc *Prata Quintia*; haud dubiè, ut quorumdam doctorum virorum eſt ſententia, in ipſo *campo Vaticano*, inter vineam Medicéam, quæ vulgò dicitur *La Vigna di Madama*, & molem Hadriani ſive caſtellum S. Angeli; ad flexum Tiberis, qui eſt inter portam Populi & ipſum caſtellum: qui campus hodiéque vulgò vocatur *I Prati*. & in adversâ ripâ NAVALIA illa Livii, apud campum Martium, ſub Mauſoléo Auguſti, hodiéque frequentantur navibus, quæ ſupernè flumen deſcendunt ad Vrbem, vulgari vocabulo *La Ripetta*; quemadmodùm inferiori urbis parte in dextrâ amnis ripâ navale navium ex mari ſubeuntium dicitur *La Ripa*.

PRATA QVINTIA.

NAVALIA *in campo Martio.*

PRATA MVCIA. Cæterùm fuêre etiam PRATA MVCIA trans Tiberim, contra Vrbem itidem ſita: quæ memorantur Dionyſio, Livio, auctori de Viris illuſtribus, & Feſto. quorum hic ita: *Mucia prata, trans Tiberim; dicta à Mucio; cui à populo data fuerant, pro eo, quod Porſenam, Etruſcorum regem, ſuâ conſtantiâ ab Vrbe dimovit*. Auctor libri de Illuſtribus viris, in C. Mucio Scævulâ: *Mucio prata trans Tiberim data, ab eo Mucia adpellata*. Dionyſius lib. V: Βασιλοῦς δὲ τῶν Κλασίνιον ὁ Παρσίνας, ἄγων τὴν στρατιὰν, τὸ μὲν ἱππικὸν ἐξ ἐφόδου καταλαμβάνει, καταπηξάμενος τὸν Φυλάκιον τῶν αὐτῶν, καὶ φρουρὰν τυρ-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Τυῤῥηνῶν ἐν αὐτῷ καθίσησιν. Id est: *Porsena Clusinorum rex cum exercitu adveniens, Ianiculum primo impetu capit, exterritis loci præsidiariis; suumque ibi præsidium collocat.* Et deinde, ubi pugnam narravit, apud Tiberim sub Ianiculo pugnatam. Μετὰ τὴν μάχην ἐκείνην, ὁ μὲν Τυῤῥηνῶν βασιλεὺς ἐν τῷ πλησίον ὄρει καταστρατοπεδευσάμενος, ὅθεν ἦν Ῥωμαίων φρουρὰν ἐξέβαλεν, τὰ ἐπέκεινα τοῦ Τιβέρεως ποταμοῦ χώρας ἀπάσης ἐκράτει. Id est: *Post id prælium rex Etruscorum in proximo monte, unde præsidium Romanum ejecerat, castris positis, in potestate habebat, quidquid agri erat ultra Tiberim.* Tandem finito bello: Μυκίῳ δὲ τῷ προελομένῳ αὐτὸν πατρίδος ἀποθανεῖν, αἰτησαμένῳ δόξαν γενέσθαι τῆς καταλύσεως τοῦ πολέμου, ἐψηφίσαντο ἡ τῶν Ῥωμαίων βουλὴ, χαρίσασθαι χώραν ἐκ τῶν δημοσίας πέραν τοῦ Τιβέρεως ποταμοῦ, ὅσην ἂν ὀρθρου περιλαβεῖν ἐν ἡμέρᾳ μιᾷ δυνῇ). ἔστιν ὁ χῶρος ἕως τῶν καθ' ἡμᾶς χρόνων Μύκιοι λειμῶνες καλοῦνται). Hoc est: *Mucio autem, qui paratus fuerat pro patriâ mortem oppetere, quòd visus esset fuisse siniendi belli causa præcipua, donarunt ex publico agrum trans Tiberim, quantum posset circumarare uno die. is meâ quoque ætate vocatur Prata Mucia.* Livius lib. II: *Porsena primo conatu repulsus, consiliis ab oppugnandâ Vrbe ad obsidendam versus, præsidio in Ianiculo locato, ipse in plano ripisque Tiberis castra posuit; navibus undique adcitis; & ad custodiam, ne quid Romam frumenti subvehi sineret; &, ut prædatum milites trans flumen per occasiones aliis atque aliis locis trajicerent. brevique adeò infestum omnem Romanum agrum reddidit, ut non catera solùm ex agris, sed pecus quoque omne in urbem compelleretur.* Ergo castra habuit Porsena inter Ianiculum montem & Tiberim: in ego campo, qui posteà, unà cum proximâ Ianiculi parte, universæ urbis regio XIIII, cognomine *Transtiberina*, factus: milites infra urbem trajecerunt flumen. unde illud Dionysii eodem loco: Ἐκ δὲ τοῦ Πωμεντίνου πεδίου λάφυρόις τε καὶ Ἐρμινίου, οἱ συμπεμφθέντες ὑπὸ τῶν νομιδῶν πολλὰς μεμίσωτες σκάφας παντοίας τροφῆς, ἀπὸ θαλάττης ἀνὰ τὸν ποταμὸν, ἐν νυκτὶ ἀσελήνῳ λαθόντες διὰ πολεμίων, διεκόμισαν. Id est: *Ex Pometino campo Largius & Herminius, frumentatum missi, multas scaphas, vario commeatu oneratas, è mari per fluvium noctu, silente Lunâ, clam hostibus subvexerunt.* Pergit deinceps Livius: *Obsidio erat nihilo minùs. & frumenti cum summâ caritate inopia: sedendoque expugnaturum se urbem, spem Porsena habebat; quum C. Mucius, adolescens nobilis, cui indignum videbatur, populum Romanum servientem. quum sub regibus esset nullo bello, nec ab hostibus ullis obsessum esse, liberum eumdem populum ab iisdem Etruscis obsideri, quorum sæpè exercitus fuderit: itaque magno audacique aliquo facinore eam indignitatem vindicandam ratus; primò suâ sponte penetrare in hostium castra constituit; dein metuens, ne, si consulum injussu & ignaris omnibus iret, fortè deprehensus à custodibus Romanis retraheretur ut transfuga; fortunâ tum urbis crimen adfirmante; senatum adiit. Transire Tiberim, inquit, patres, & intrare, si possim, castra hostium volo; non prædo, nec populationum invicem ultor. maius, si dii juvant, in animo est facinus. Adprobant patres. Abdito intra vestem ferro proficiscitur. Vbi eò venit; in confertissimâ turbâ prope regium tribunal constitit. ibi quum stipendium fortè militibus daretur; & scriba, cum rege sedens, pari ferè ornatu, multa ageret, eumque milites vulgò adirent; timens sciscitari, uter Porsena esset; ne, ignorando regem, semet ipse aperiret, quis esset; quò temerè traxit fortuna facinus, scribam pro rege obtruncat. Vadentem inde, quà per trepidam turbam cruento mucrone sibi ipse fecerat viam, quum, concursu ad clamorem facto, comprehensum regii satellites retraxissent ante tribunal regis; non destitutus tum quoque inter tantas fortunæ minas, metuendus magis quàm metuens: Romanus sum, inquit: cives C. Mucium vocant. hostis hostem occidere volui. nec ad mortem minus animi est, quàm ad cædem fuit. & facere & pati fortia Romanum est. nec unus in te ego hos animos gessi. longus post me ordo est idem petentium decus. proinde in hoc discrimen, si juvat, adcingere, ut in singulas horas capite dimices tuo; ferrum hostemque in vestibulo habeas regiæ. Hoc tibi juventus Romana indicimus bellum. nullam aciem, nullum prælium timueris. uni tibi, & cum singulis res erit. Quum rex, simul irâ infensus periculoque conterritus, circumdari igneis minitabundus juberet, nisi expromeret properè, quas insidiarum sibi minas per ambages jaceret; En tibi, inquit, ut sentias, quàm vile corpus sit iis, qui magnam gloriam petunt: dextramque accenso ad sacrificium foculo injicit. quam quum velut alienato ab sensu torreret animo; propè attonitus miraculo rex, quum, ab sede suâ prosiluisset, amoverique ab altaribus juvenem jussisset: Tu verò abi, inquit; in te magis, quàm in me hostilia ausus. juberem macte virtute esse, si pro meâ patriâ ista virtus staret. nunc jure belli liberum te intactum inviolatumque hinc dimitto. Tum Mucius;

quasi

quasi remunerans meritum; Quandoquidem, inquit, est apud te virtuti honos: ut beneficio tuleris à me, quod minis nequivisti; trecenti conjuravimus principes juventutis Romanæ, ut in te hac grassaremur. mea prima sors fuit. cæteri, ut cuique ceciderit, primo, quoad te opportunum fortuna dederit, suo quisque tempore aderunt. Mucium dimissum (cui posteà Scævola à clade dextræ manus cognomen inditum) legati à Porsenâ Romam sequuti sunt. Mox: *His condicionibus compositâ pace, exercitum ab Ianiculo deduxit Porsena, & agro Romano excessisset. Patres C. Mucio, virtutis causâ, trans Tiberim agrum dono dedêre, quæ posteà sunt Mucia prata adpellata.* Haud dubiè is ipse locus, in quo castra & tribunal suum habuerat Porsena rex, Mucio dono datus est. unde minimè errare videntur, qui hæc *Mucia prata* in Transtiberinâ regione apud inferiora urbis navalia, quem locum nunc vulgò *La Ripa* vocari dixi, collocant, circa divi Francisci templum. Apud Plinium lib. II cap. XCVI ita legitur in vulgatis exemplaribus: *In agro Arpano frumentum satum non nascitur. Ad aras Martias in Veiente, & apud Tusculanum, & in silvâ Ciminiâ, loca sunt, in quibus in terram depacta non extrahantur.* At heic pleraque exemplaria habent, *Ad aras Mutias.* quod falsò quidam trahunt ad *prata Mucia*, & in iis *aram* sive *altaria*, in quibus Mucium dextram adussisse tradunt Livius & auctor de Viris illustribus, præscriptis locis; & item Valerius Maximus lib. III cap. III. Quid ipse scripserit Plinius, planè incertum est.

ARSIA SILVA. Porrò haud procul Ianiculo memoratur apud Livium ac Valerium Maximum ARSIA SILVA. sed cuius nomen controversum redditum à Dionysii Plutarchique exemplaribus, mirè & ipsis inter se disentienbus. Apud Valer. Maximum lib. I cap. VIII ita scriptum: *Valerio Poplicolâ consule, qui post exactos reges bellum cum Veientibus & Etruscis gessit; illis Tarquinio pristinum imperium restituere, Romanis nuper partam libertatam retinere cupientibus; Etruscis & Tarquinio, in cornu dextro prælio superioribus, tantus terror subitò incessit, ut non solùm victores ipsi profugerent; sed etiam pavoris sui consorteis secum Veienteis traherent. cui rei pro argumento miraculum adjicitur, ingens repentè vox è proximâ silvâ Arsiâ; quæ ore Silvani in hunc penè modum missa traditur: Vno plùs Etrusci cadent: Romanus exercitus victor abibit. Miram dicti fidem digesta numero cadavera exhibuêre.* Gesta hæc anno antè, quàm Porsena urbem obsedit. Cæterùm, quos heic Valerius, præter *Veienteis*, adpellat *Etruscos*, Livius atque Dionysius *Tarquinienseis* fuisse testantur. Livius lib. II: *His incensus Tarquinius, non dolore solùm tantæ ad irritum cadentis spei, sed etiam odio iraque, postquàm dolo viam obseptam vidit, bellum apertè moliendum ratus, circumire supplex Etruriæ urbeis: orare maximè Veienteis Tarquinienseisque, ne se, ortum eiusdem sangvinis, extorrem, egentem, ex tanto modò regno cum liberis adolescentibus ante oculos suos perire sinerent.* Pòst aliquanto: *Postquàm in agrum Romanum ventum est, obviam hosti consules eunt. Valerius quadrato agmine peditem ducit: Brutus ad explorandum cum equitatu antecessit. Eodem modo primus eques hostium agminis fuit.* Paullo pòst: *Neque ita multo pòst & pedites superveniunt. ibi varia victoria; & velut æquo Marte pugnatum est. dextra utrimque cornua vicêre, læva superata. Veientes, vinci ab Romano milite adsveti, fusi fugatique sunt. Tarquinienses, novus hostis, non stetit solùm, sed etiæm ab suâ parte Romanum propulit. Ita quum pugnatum esset; tantus terror Tarquinium atque Etruscos incessit, ut, omissâ irritâ re, nocte ambo exercitus, Veiens Tarquinienseisque, suas quisque abirent domos. Adjiciunt miracula huius pugnæ. silentio proximæ noctis ex silvâ Arsiâ ingentem editam vocem. Silvani vocem eam creditam. hæc dicta: Vno plus Etruscorum cecidisse in acie: vincere bello Romanum. Ita certè inde abiêre Romani, ut victores; Etrusci pro victis. nam postquàm illuxit, nec quisquam hostium in conspectu erat; P. Valerius consul spolia legit: triumphansque inde Romam rediit.* Dionysius prædicto lib. V: Πωθανόμενοι δ' οἱ Ῥωμαῖοι σὺν Φυγάδας ἐξ ἁπασῶν τ πόλεων τῶν ἐν Τυῤῥηνίᾳ ἀγείρειν ὅπῃ σφᾶς ἕκαστον, καὶ δι' ὑμῶν πόλεις ἐκ ξ Φαινεροῦ συλλαμβάνειν αὐτοῖς ἐ καθόδε, Ταρκυνίους τε καὶ Οὐειεντανοὺς, ἐπὶ δὴ ἔμαθον ἐξεληλυθότας ἤδη τὰς πολεμίας, ἁπάντων αὐτοῖς ἐγνωζοα, ἓ πρὶν ἐκείνους ἀμβλεῖν πρὸ πόλεμε, αὐτοὶ τὰς δυνάμεις ἀμβιβάσαντες, ἐχώρεν ἐφόσω, καὶ καταστρατοπεδευσάμενοι πλησίον Τυῤῥηνῶν, ἐν λειμῶνι καλυμένῳ Οὐινίᾳ ἄλσ δρυμὸν ἱερὸν ἥρωος Ὀράτε. Id est: *Romani, audito, exsules ex omnibus Etruriæ urbibus exercitum contra se colligere; duosque populo, Veienteis & Tarquinienseis, ex professo illos in obtinendo reditu & adjutare; ubi jam hosteis adventare cognoverunt occurrendum rati, priores fluvium trajicere occupant: atque inde progressi, non procul ab Etruscis castra ponunt in prato Vinio, ad silvam heroi Oratæ sacram.*

Orato sacram. Plutarchus in Valerio Poplicola: Ἀντεξῆγον δὲ τοὺς Ῥωμαίους οἱ ὕπατοι, καὶ παρέπεξαν ἐν χωρίοις ἱεροῖς, ὧν τὸ μὲν Οὐρσον ἄλσος, τὸ δὲ Λισύειον λειμῶνα προσαγορεύουσιν. Hoc est: *Adversùm eos consules Romanas legiones eduxerunt: aciemque instruxerunt in locis sacris, quorum alterum Vrsum nemus, alterum Aesuvium pratum vocant*. Mirum sanè dictu, quàm hæc inter se varient. nec dubium esse potest, quin ab exscriptoribus vitiata sint. quo autem pacto in genuinam auctorum scriptionem restitui queant, nondum satis dispicio. etenim pro vocabulo *Arsia* facit consensus inter Livii Valeriique exemplaria. & hinc suspicio erat, Plutarchum quoque scripsisse, ὧν τὸ μὲν Ἄρσιον ἄλσος, id est, *quorum alterum Arsium nemus*: nisi istud Οὐρσον ad Dionysii Ὄρεαν accedere videretur. Illi qui heic Ἰούνιον λειμῶνα, *Iunium pratum*, restituere conantur, nil nisi claritudinem Iuniæ gentis sectantur. Nec tamen fortasse mea conjectatio certior fuerit, si legere, ὧν τὸ μὲν Ἄρσιον ἄλσος, τὸ δὲ Οὐρσίνιον λειμῶνα προσαγορεύειν. id est: *quorum alterum Arsium nemus, alterum Vrsinium pratum vocant*. De cæterorum nimis prope Vrbem nec procul inde abfuisse hæc loca, ex Livii Dionysiique narratione patet. Circa Ianiculum fuisse, haud dubium est; quando hac rectè conveniebant, ab alterâ parte *Veientes*, ab alterâ *Tarquinienses*. Fuerit igitur is campus, qui, proximè trans Ianiculum inter Aureliam Claudiamque vias positus, medius ferè inter Ianiculum & vicum viæ Claudiæ *Borghetto*, planitie & fontibus conspicuus est. Atque hæc ferè sunt loca trans Tiberim circa Vrbem auctoribus memorata. nunc ea quoque indicanda sunt, quæ ab lævâ amnis fuêre ripâ.

Apud Pompeium festum sic scriptum est: *Lucaria festa in luco colebant Romani, qui permagnus inter viam Salariam & Tiberim fuit, pro eo, quòd, victi à Gallis, fugientes è prælio ibi se occultaverunt*. Grammaticum esse puto nugamentum, quod de re antiquâ, non quæ suo exstiterit tempore, tradidit. Livius de eâ pugnâ ad Alliam flumen ita scribit lib. v: *In Romanorum acie nihil simile Romanis, non apud duces non apud milites erat. pavor fugaque occupaverat animos, & tanta hominum oblivio, ut multo maior pars Veios in hostium urbem, quum Tiberis arceret, quàm recto itinere Romam ad conjuges ac liberos fugrent*. Mox: *Circa ripam Tiberis, quò, armis abjectis, totum sinistrum cornu defûgit, magna strages, facta est: multosque imperitos nandi, aut invalidos, graveis loricis aliisque tegminibus, hausère gurgites. maxima tamen pars incolumis Veios perfûgit. Ab dextro cornu, quod procul à flumine & magis sub monte steterat, Romam omnes petière: &, ne clausis quidem portis urbis, in arcem confugerunt*. En, ut heic Livius de tertiis illis, qui in *permagno* isto *luco* se *occultarerint*, nihil meminit. Cæterùm Martialis lib. IIII epigram LXIIII ita canit:

Tulli jugera pauca Martialis
Longo Ianiculi jugo recumbunt.
Mox:
Hinc septem dominos videre montes
Et totam licet æstimare Romam:
Albanos quoque Tusculosque colles,
Et quodcumque jacet sub Vrbe frigus:
Fidenas veteres, brevesque Rubras;
Et, quod virgineo cruore gaudet,
Annæ pomiferum nemus Perennæ.
Illic Flaminiæ Salariæque
Vectator pavet, essedo tacente,
Ne blando rota sit molesta somno;
Quem nec rumpere nauticum celeuma
Nec clamor valet helciariorum:
Quum sit tam propè Mulvius; sacrumque
Lapsæ per Tiberim volent carinæ.

Haud obscurè innuit NEMVS hoc ANNAE PERANNAE, sive, ut alii scribunt, PERENNAE, medio fuisse situ inter Anienis confluentem & Milvium pontem. hæ quidpe regione *Salaria Flaminia*que *viæ* quàm proximè ad se invicem adcedunt. De festo huius deæ ita scribit Ovidius Fastor. lib. III:

Idibus est Annæ festum geniale Perennæ,
Haud procul à ripis, advena Tybri, tuis.

Vbi

Plebs venit; ac, virideis passim disjecta per herbas,
Potat; & adcumbit cum pare quisque suâ.
Sub Iove pars durat; pauci tentoria ponunt.
Sunt, quibus è ramis frondea facta casa est.
Pars sibi pro rigidis calamos statuêre columnis:
Desuper extensas imposuêre togas.
Sole tamen vinoque calent: annosque precantur,
Quot sumunt cyathos; ad numerumque bibunt.
Invenies illic, qui Nestoris ebibat annos:
Quæ sit per calices facta Sibylla suos.
Illic & cantant, quidquid didicêre theatris;
Et jactant facileis ad sua verba manus:
Et ducunt posito duras cratere choreas:
Cultaque diffusis saltat amica comis.
Quum redeunt, titubant; & sunt spectacula vulgi:
Et fortunatos obvia turba vocat.
Occurrit: nuper visa est mihi, digna relata,
Pompa. senem potum pota trahebat anus.

Adparet ex hac etiam narratione, prope Vrbem fuisse celebratum hoc festum: unde sacris deæ primùm, mox compotationibus multis longisque ac saltationibus peractis, eâdem die sub vesperam poti in Vrbem redire potuêre. haud dubiè igitur celebratum fuit haud procul Milvio ponte, apud *fanum* ac *pomiferum nemus* deæ, Martiali memoratum; quod è Ianiculo conspici paterat: unde *rami* ad *frondeas casas faciendas*. Quia autem nullius Ovidius meminit pontis; neque Tiberim nec Anienem ista plebs transiit. fuitque is locus inter *S. Iuliani* sacellum, quod ultra Martium campum Tiberis ripæ è crepidine imminere suprà dixi, & Anienem; hinc Tiberis lævâ ripâ, illinc monte seu colle clausus, qui vulgò dicitur *Monte Pariolo*. Atque hæc etiam præcipua sunt loca circa urbem Romam antiquis celebrata monumentis. Nunc reliqua Veteris Latii exsequar.

CAP. III.

De opidis PRISCI LATII *maritimis.*

LItus *antiqui Latii* fuisse à Tiberis ostiis ad Ardeam usque, quod opidum nomen hodiéque retinet, superiori capite dictum est. Loca in eo describuntur Melæ lib. II cap. IIII ista: *Ostia, Laurentum, Ardea*. Sed hæc jam extra Prisci Latii fineis in Rutulorum fuit agro; ut pòst ostendetur. Ptolemæo hoc in litore una memoratur urbs Ὦστία, *Ostia*. Strabo lib. V hæc habet: πόλεις δ' ἐπὶ θαλάττῃ μόνον εἰσὶ τῶν Λατίνων, Ὦστία τε Ἄντιον, αἰαὶ μέσον δὲ τούτων Λαβίνιον, εἶτα Λαύρεντον. Id est: *Latinorum opida maritima sunt Ostia & Antium; & in medio horum Lavinium; tum Laurentum*. Plurima omnium loca refert Plinius lib. I cap. V. *In principio*, inquit, *est Ostia colonia, à Romanorum rege deducta. opidum Laurentum: lucus Iovis Indigetis; amnis Numicius: Ardea*. Itineraria antiqua sic habent:

Tabulæ;		Antonini;	
Roma		*Roma*	
Hostîs	XVI.	*Hostîs*	XVI.
Laurento	XVI.	*Laurento*	XVI.
Lavinium	V.	*Lavinio*	XVI.
Antium	XVII.		

OSTIA *colonia.* Prima igitur à Tiberi in litore fuit OSTIA *urbs*. Huius situm & originem conditioremque complures adnotarunt auctores. Livius lib. I: *Nec Vrbs tantùm Anno rege crevit; sed etiam ager finesque. silva Mœsia Veientibus adempta: usque ad mare imperium prolatum: & in ore Tiberis Ostia urbs condita; salinæ circa factæ.* Sex. Aurelius

relius Victor, in libro de Viris illustribus: *Ancus Marcius rex Ostiam coloniam, maritimis commeatibus opportunam, in ostia Tiberis deduxit.* Is, qui sub falso Messalæ Corvini nomine de Augusti origine libellum aliquot abhinc sæculis conscripsit; in vitâ eiusdem regis: *Vsque ad mare dilati fines. ubi Tiberis in æquora prorumpit, Ostia urbs condita; & salinæ circumdatæ.* Pompeius Festus: *Vt est apud Ennium:*

Ostia munita est. idem loca navibus pulcris
Munda facit, nautisque mari quæsentibus vitam.

Florus lib. 1 cap. 111: Ancus Marcius Ostiam in ipso maris fluminisque *confinio* coloniam posuit. Eutropius lib. 1: *Ancus Marcius Ostiam civitatem supra mare sextodecimo milliario ab urbe Româ condidit.* Cassiodorus in Chronico: *Ancus Marcius sextodecimo milliario ab urbe Româ Ostiam condidit.* Eusebius Chron. lib. 11; & ex ipso haud dubiè auctor Olympiadum ἀώνυμος, & item Cedrenus in Annalibus: Ἄγκιος Μάρκιος τὸν ποταμὸν Τίβεριν πρὸς τῇ σκυβολαίᾳ τειχίσας, ἐπ' αὐτῆς τῆς ῥαχίας ἀνίσησι πόλιν, ἣν Ὠστίαν ἀπὸ τῆς θέσεως προσαγόρευσεν, ὃ σημαίνει θύραν, ἐκκαίδεκα που σημείοις ἀπέχουσαν Ῥώμης. Id est: *Ancus Marcius Tiberim amnem apud ostia communiens, in ipso ripæ supercilio constituit urbem, ad* XVI *ab urbe Româ lapidem, quam à situ Ostiam vocavit; quod Græcè* θύραν, [id est, *ostium* seu *januam*] *significat.* At Hieronymus eadem verba ita Latinè reddidit: *Ancus Marcius supra mare sextodecimo ab Vrbe milliario Ostiam condidit civitatem.* Sed eâ de re omnium copiosissimè scripsit Dionysius Halicarnassensis lib. 111, in vitâ Anci regis, hisce verbis: Ἕτερον δέ τι τῶν προφημένων πολιτεύματος κρεῖττον, ὃ καὶ τοῖς ὕστερον βίον ἅπασιν εὐδαιμονέστερον τῆς Ῥώμης ἐποίησε, καὶ πραγμάτων ἐπῆρεν ἀψαυστοτέρων. ὃ γὰρ Τιβέριος ποταμὸς καταβαίνων μὲν ἐκ τῶν Ἀπεννίνων ὀρῶν, παρ' αὐτὴν δὲ τὴν Ῥώμην ῥέων, ἐμβάλλων δὲ εἰς αἰγιαλὸς ἀλιμένους καὶ προσεχεῖς, ὡς τὸ Τυρρηνικὸν πιεῖν πέλαγος, μικρὰ μὲν καὶ οὐκ ἄξια λόγου τῆς Ῥώμης ὠφελῶντος, διὰ τὸ μηδὲν ἀπὸ τῆς σκυβολαίας ἔχειν φορέλιον, ὃ καὶ πᾶς εἰσκομιζομένας διὰ θαλάττης καὶ καταγομένας αὖθις ναῦς ὑποδέξεταί τι καὶ ἀμείψει τοῖς ἐμπορευομένοις, ἱκανῶς δ' ὄντος ἄχρι μὲν τῶν ποταμογενῶν σκάφεσιν εὐμεγέθεσιν ἀναπλεῖσθαι, πρὸς αὐτὴ δὲ τῇ Ῥώμῃ καὶ θαλαττίαις ὁλκάσι μεγάλαις, πλοῦν ἔγνω κατασκευάζειν ἀπὸ τῆς σκυβολαίας αὐτὸν, λιμένι χρησόμενος αὐτῷ ποταμῷ σύμφυτι. δύο γὰρ ἀπὸ τοῦ θαλάττης σταδίους, καὶ κόλπος λαμβανὸς μεγάλης, ὃς οἱ κράτιστοι τῶν θαλαττίων λιμένων. ὃν μάλιστα θαυμάσειεν ἂν τις, ὅτι ἀποκλείεται τῷ ποταμῷ ἐκτὸς τῆς θαλάττης ἄνω τινὸς ἐμφερομένου, ὃ πάσχουσι πολλοὶ καὶ τῶν μεγάλων ποταμῶν, ἀλλ', εἰς ἕλη ἢ πέλματα πλανώμενον, ἄλλοτε ἄλλῃ προκαταναλίσκει, πρὶν ἢ τῇ θαλάττῃ συμβῆναι τὸ ῥεῖθρον, ἀλλὰ ναυσιπόρατός ἐστιν ἀεί, ἐκ δι' ἑνὸς ἐκδίδωσι καὶ γνησίου στόματος, ἀνακόπτων ὡς πλαγίους ῥαχίας τῆς θαλάττης, κἀντεῦθεν πολὺς αὐτόθι γίνεται καὶ χαλεπὸς ὁ πρὸς τῆς ἑσπέρας αὔρημος. Αἱ μὲν οὖν ἐπίκωποι νῆες, ὁπηλίκον ποτ' αὖ δύναι τύχωσι, καὶ τῶν ὁλκάδων αἱ μέχρι τετρακισχιλιοφόρου, εἰσάγουσί τε διὰ στόματος αὐτοῦ, καὶ μέχρι τῆς Ῥώμης εἰρεσίᾳ καὶ ῥύμασι παρελκόμεναι κομίζονται· αἱ δὲ μείζους, πρὸ δ' στόματος ἐπ' ἀγκυρῶν σαλεύουσι τῶν ποταμογενῶν ὑποχειρίζονταί τε καὶ ὑποφορτίζονται σκάφαις. Ἐν δὲ τῷ μεταξὺ τοῦ ποταμοῦ καὶ τῆς θαλάττης ἀγκῶνι πόλιν ὁ βασιλεὺς ἐτείχισε, ἣν ὑπὸ τοῦ συμβεβηκότος Ὠστίαν ὠνόμασεν, ὡς δι' αὐ ἡμεῖς ἑπόμεθα, θύραν, οὐ μόνον ἠπείρωτῶν, ἀλλὰ καὶ θαλαττίων παρεσκεύασε τῇ Ῥώμῃ ῥᾳστώνας, καὶ τῶν ἀμφοτέρων ἀγαθῶν ἔγνωσεν. Hoc est: *Est & alterum eius civile factum, priore illo præstantius: quod Vrbem non modò cunctis vitæ commodis locupletavit; sed etiam ad res maiores capessendas incendit. quidpe quum Tiberis amnis, ex Apenninis montibus præter ipsam urbem defluens, & in importuosa ac continua litora, quæ Tyrrhenum efficit pelagus, sese exonerans, non magnoperè urbi prodesset, (quòd nullum haberet circa ostium castrum, quod naveis, tùm è mari adpellenteis, tùm per fluvium descendenteis, acciperet redderetque negotiantibus) alioqui usque ad fonteis fluvialibus scafis mediocribus pervius: usque ad urbem verò etiam magnis marinis onerariis navigabilis; decrevit, navale ad eius ostium condere; pro portu usus ore ipsius amnis. panditur enim in latum, qua se in mare effundit; sinusque comprehendit amplos: haud secus ac maritimorum portuum optimi. &, quod maximè mireris; ostium eius non præcluditur nec obturatur adgestâ è mari arenâ, quod multis etiam magnis fluviis accidit: neque, per paludes ac voragines oberrans, absumitur, priusquàm ad mare perveniat: sed perpetuò navibus est meabilis; per unum nativum ostium mari sese ingurgitans, & dorsa sub alto adsurgentia diverberans; quamvis vehemens ibi ventus crebro ab occidente spirare soleat. Itaque remigio instructæ naves, quantumvis magna, & ex onerariis vel termillenariæ, per ostium eius intrant, & Vrbem usque remigio ac funibus pertrahuntur: maiores autem ante ostium in salo firmantur ancoris; exoneranturque inde navigiis fluvialibus. Cæterùm quà inter flumen & mare locus in cubiti speciem curvatur, opidum Ancus muniit, quod à re ipsâ Ostiam adpellavit; θύραν nos Graci diceremus. effe-*

citque, ut Roma non mediterraneis tantùm, sed etiam marinis patens, transmarina quoque bona degustaret. De eodem portu Strabo, Dionysio paullo inferior auctor, paullo aliter ita scribit lib. v: Ἐπὶ δὲ θαλάττῃ τῆ Λατίνων ἐστὶ τὰ Ὦστια, πόλις ἀλίμενος, διὰ τὸ πρόσχωσιν, ἣν ὁ Τίβερις ποταμὸς προσεφόρησε, πληρώμενος ἐκ πολλῶν ποταμῶν. παρακινδύνως μὲν οὖν ὁρμίζονται μετέωρα ἐν τῷ σάλῳ τὰ ναυπλήρια. τὸ μέντοι λυσιτελὲς νικᾷ· ἢ γὰρ ἡ τῶν ὑποπρεπῶν σκαφῶν ἀπορία, τὰ ἐκδεχόμενα τὰ φορτία, τὰ ἀνταφορτιζόντων, ταχὺ ποιεῖ τὸ ἀπόπλουν, πολὺ ἡ πρόμοιρα ἄψασα ἢ, μέρος ἀποκεφιδεύσασα, εἰσπλεῖ, τὰ αἰσθόμενα μέχρι τῆς Ῥώμης, σταδίους ρ΄. Κλύσμα δ' ἐστὶ τὰ Ὦστια Ἄγκωνα Μαρκίου. Id est: *In orâ maritimâ Latinorum urbs est Ostia, importuosa ob adgestionem limi, quæ fit à Tiberi, multis amnibus aucto. itaque non sine periculo naves sublimes undis fluctuant. vincit tamen utilitas. nam actuariæ naves ad excipiendas è magnis navibus merceis & alias deportandas magno numero præstò sunt. quibus efficitur, ut naves, priusquàm ad Tiberim perveniant, celeriter subvehantur: ac parte oneris levatæ, per amnem adversum Romam usque descendant, ad stadia* CXC. Tot equidem stadia omnia habent Strabonis exemplaria, vulgata simul & manuscripta, quæ sciamus: quæ millia passuum conficiunt XXIII & passus IↃ CCL. at mendum illis inesse, cùm suprà scripti tot auctores, qui XVI haud ampliùs millia referunt, tum ipsa hodierna testatur experientia. quibus adde Plinii quoque testimonium; qui sub initium dicti lib. I cap. V, *Latium*, inquit; *ubi Tiberina ostia, & Roma, terrarum caput*, XVI *millium passuum intervallo à mari*. Et Plinii epitomator in geographicis Martianus lib. VI, in Italiæ descriptione: *Vmbri mox, Latiumque, atque ostia Tiberina. dehinc ipsa caput gentium Roma. hæc à mari* XVI *passuum millibus disparatur*. Scripsisse igitur opinor Strabonem σταδίους ρλ΄, id est, stadia CXXX: quæ sunt millia XVI cum duobus stadiis. Quamquàm ad ipsum maris, in quod effunditur Tiberis, litus, tot sint millia passuum; non verò ad opidum *Ostiam*; quod eodem etiam nunc nomine, cum ingentibus veterum murorum vestigiis, tria fermè millia à litore abest, apud flexum amnis, quem ἀγκῶνα, id est cubitum, vocat Dionysius. unde etiam Hieronymus, in Eusebiani Chronici lib. I, *Ancus*, inquit, *Marcius supra mare tertiodecimo ab Vrbe milliario Ostiam condidit civitatem*. Et Frecultius Chron. tomo primo lib. III cap. XV: *Ancus Marcius, Romanorum rex, supra mare tertiodecimo ab Vrbe milliario, in ipso fluminis marisque confinio Ostiam civitatem condidit*. Item Monachus Altissiodorensis in Chronico: *Ancus Marcius supra mare tertiodecimo ab Vrbe milliario Ostiam condidit civitatem*. Hinc Lucanus etiam lib. VI:

At tantum septi vallo sibi vindicat agri,
Parva Mycenææ quantum sacrata Dianæ
Distat ab excelsâ Nemoralis Aricia Româ;
Quoque modo Romæ prælapsus mœnia Tybris
In marè descendit, si nusquàm torqueat amnis.

Hodiéque ad Ariciam XIII sunt millia passuum; ut Tabula etiam itineraria habet: quod pòst videbimus. Ado in Martyrologio suo ita scriptum reliquit: *Sexto Idus Augusti, Romæ, viâ Ostiensi, miliario* VII, *natale S. Cyriaci martyris*. Locus hic, vulgò nunc *S. Civiaco* dictus, medio est itinere inter Vrbem & Ostiam, utrimque VI milliarium intervallis intercedentibus quæ si in VI millia & IↃ passus redigas, totum inter Romam & mare, quà Tiberis effunditur, intervallum erit millium XVI. At antiqui illi mortales tot millia ad Ostiam computarunt; quia hoc opidum ab *ostiis Tiberis* id nominis habere scirent. è diverso Lucanus, quia Ostia dicebatur esse ad Tiberis exitus, XIII tantùm ad mare usque posuit millia. Cæterò nomen id quidem Romani singulari numero femininoque genere usurparunt; testibus suprà citatis scriptoribus, Græcis pariter ac Latinis: quibus adde Taciti locum Annal. lib. XI; *Dum sacrificii gratiâ Claudius Ostiam proficisceretur*. & Plinii lib. XXXVI cap. VIIII; *Navem Claudius, perductam Ostiam, portus gratiâ mersit*. item Svetonii, in Claudio, cap. XII: *Quum, profectum eum Ostiam, periisse ex insidiis, nunciatum esset*. & cap. XX: *Portum Ostiæ exstruxit*. cap. XXV: *Ostiæ cohortem ad arcendos incendiorum casus collocavit*. item Agellî lib. XVIII cap. I: *Quum essemus unà omnes Ostiæ*. Verùm ab initio opidum communi amnis ostiorum adpellatione dictum est plurali numero τὰ Ὦστια Τιβερῖνα, OSTIA TIBERINA; scilicet διὰ τὸ θέσεως, ut ait Eusebius, id est, *à situ*; quia positum erat ad amnis bicornis ἐκβολὰς, sive *exitus*, quæ Latino verbo dicuntur *ostia*; ut domorum conclaviumque ingressus sive exitus. Hinc Ovidius Fastor. lib. IIII:

Ostia

Ostia contigerat, quà se Tiberinus in altum
Dividit, & campo liberiore natat.

Et aliquanto pòst:

Fluminis ad flexum veniunt: Tiberina priores
Atria dixerunt; unde sinister abit.

En; disertè opidum ad flexum sinistri alvei positum plurali numero *Atria Tiberina* ab initio dictum ait, quod posteà eodem numero *Ostia Tiberina*. Hinc Dio quoque lib. LX: Ἐς τὰ Ὤστια κατῆγε. id est: *Ad Ostia profectus est*. Et Strabo lib. III: Οἱ γὰρ μέγιστοι πλέουσιν εἰς τὴν Διηγαρχίαν ἐπὶ τὰ Ὤστια, τὸ Ῥώμης ἐπίνειον. Hoc est: *Maximæ onerariæ naves Puteolos & Ostia, Romanorum navale, adpellunt.* Et lib. V: Ἡ μὲν οὖν τῶν Λατίνων χώρα, μεταξὺ κεῖται τῆς τε ἀπὸ τῶν Ὤστίων παραλίας, μέχρι πόλεως Σινουέσσης καὶ τοῦ Σαβίνης. τὰ δ' Ὤστιά ἐστιν ἐπίνειον τῆς Ῥώμης, εἰς ὃ ἐκδίδωσιν ὁ Τίβερις, παρ' αὐτὴν ῥυείς. Id est: *Latinorum regio, sita est inter oram maritimam, qua ab Ostiis ad Sinuessam usque protenditur, & inter Sabinum agrum. Sunt autem Ostia urbis Romæ navale, in quod Tiberis effunditur, juxta urbem delapsus.* Et aliquanto pòst: Τῆς δὲ Τυῤῥωνίας μῆκος τὸ μέγιστον εἶναί φασι τὴν παραλίαν ἀπὸ Λούνης μέχρι Ὤστίων. Hoc est: *Etruriæ longitudo maxima traditur esse à Lunâ ad Ostia usque.* Et deinde, in Latii descriptione: Νῦν μὲν οὖν ἡ παραλία μέχρι πόλεως Σινουέσσης ἀπὸ τῶν Ὤστίων Λατίνη καλεῖται. Id est: *Nunc quidem omnis ora ab Ostiis ad Sinuessam Latinus ager vocatur.* Sequitur mox inde locus, ubi ipsum opidum describitur: quem suprà recitavi. Continuò igitur pòst: Ἑξῆς δ' ἐστὶν Ἄντιον, διέχον τῶν Ὤστίων περὶ σ ξ' σταδίους. Id est: *Sequitur inde Antium, ab Ostiis* CCLX *stadiis dissitum.* Et tandem: Ἐν δὲ τῇ μεσογαίᾳ πρώτη ὑπὲρ τῶν Ὤστίων ἐστὶν ἡ Ῥώμη. Hoc est: *In mediterraneo prima est super Ostia Roma.* Ex tam constanti igitur tot locorum scripturâ quis jam dubitet, quin eodem libro V in Etruriæ descriptione etiam legendum sit, Ἀπὸ τῶν Κοσσῶν εἰς Ὤστια, *à Cossis ad Ostia*; & ἀπὸ τῶν Πύργων εἰς Ὤστια, *à Pyrgis ad Ostia*. pro quo vocabulo nunc utrobique legitur εἰς Ὤστιαν. Idem pluralis numeri vocabulum posteriori sæculo rursus in quotidianum usum à Latinis etiam auctoribus revocatum fuisse, patet ex præscriptis Itinerariis; tum item ex antiquis Martyrologiis; in quibus frequenter memorantur Ostia Tiberina, pro opidi adpellatione. & Am. Marcellinus lib. XVIIII, *Dum Tertullus*, inquit, *apud Ostia in æde sacrificat Castorum, tranquillitas mare mollivit.* Apud Procopium tamen in Gothicis, ubi frequens eius mentio, semper singulari numero legitur ἡ Ὄστια. ubi prima etiam syllaba seu litera ο μικρὸν vitio eius ævi corrupta est ex genuinâ germanâque Ω, quam ideò hoic posuêre antiquiores illi Græci, quia in voce *os oris*, unde *ostium* deductum, ea litera Latinis erat longa. Charisius Grammat. Instit. lib. II: *Ostia exitus fluminum in mare neutro genere semper pluraliter dicuntur. sed si urbem significare velis, singularem potiùs numerum observabis; uti Sallustius. quamvis etiam frequenter plurali numero urbem significat.* Hoc veriùs, quàm quod Pompeius Festus: *Ostiam urbem ad exitum Tiberis, in mare fluentis, Ancus Marcius rex condidisse, & feminino adpellasse vocabulo fertur. quod sive ad urbem, sive ad coloniam, quæ posteà condita est, refertur, neutrum certè plurali numero efferri debet.* Apud Stephani breviatorem ita scriptum est: Ὤστια, πόλις Ἰταλίας. Ἰόβας ἐν πρώτῳ Ῥωμαϊκῆς ἱστορίας· Ἀπὸ μὲν τῶν βορείων μερῶν ὁ Τίβερις, ἡ Ὤστια πόλις πλησίον· ἐπὶ Πολύβιος δὲ ἕκτῳ· Ἔκτισε δὲ καὶ πόλιν Ὤστιαν ἅμα τῷ Τιβέριδος. Τὸ ἐθνικὸν διῶς καὶ Ὠστιανὸς καὶ Ὠστιάτης. φλέγων δὲ Ὤστιας αὐτὰς καλεῖ, λέγων· Παρέλαβε δὲ τὴν Ὤστίων πόλιν. Φλέγων δὲ ἐν τέλει φησὶν ἑτέρως· Τὰ Ὤστια τῆς Ῥώμης ἐπίνειον. Id est: *Ostia, opidum Italiæ. Iuba in primo Historiæ Romanæ: A septemtrionalibus partibus est Tiburis; & prope hunc Ostia opidum. Et Polybius lib.* VI: *Condidit etiam urbem Ostiam apud Tiberim. Gentilitium inde dici potest Ostianus & Ostiates. Phlegon autem Ostios eos vocat. Occupavit, inquit, Ostiorum urbem. At Strabo lib.* III *neutro genere sic dixit: Ostia Romæ navale.* Romanis omnibus opidani dicuntur OSTIENSES: ut Ciceroni ad Atticum lib. XII epist. XXIII & XXVIII: Varroni Rusticar. rer. lib. III cap. II; Livio lib. XXXII; Senecæ Natural. quæst. lib. I cap. XV; Tacito Historiar. lib. I; Svetonio in Claudio: & aliis compluribus auctoribus. Isidorus Originum lib. XV cap. I: *Ancus Marcius urbem in exitu Tiberis condidit, quæ & peregrinas merceis exciperet & hostem moraretur; quam ab ipso situ Ostiam adpellavit.* Et cap. VII: *Generaliter quidem ostium est, per quod ab aliquo arcemur ingressu, ab obstando dictum: sive ostium, quia ostendit aliquid intus. Alii aiunt ostium adpellari, quia hostem moratur. ibi enim adversariis nos objicimus. hinc est Ostia Tiberina; quia hostibus sunt opposita.*

Non semper absurdi sunt isti grammatici; sed interdum etiam faceti. Quàm compendiosè priore loco dixit Ostiam urbem esse dictam, simul quòd ad *ostia* Tiberis sita, simulque quòd *hostibus* opposita. At quis tam ineptus reperiatur, qui non credat, *ostium* ab *ore* dictum esse? unde ipsi etiam fluminum exitus quàm frequentissimè optimis auctoribus dicuntur *ora*. Ex similibus tamen grammaticorum nugis ortum, quòd in gravissimorum etiam auctorum exemplaribus hodiéque legantur cum adspiratione urbis *Hostia*; & opidanorum *Hostiensium* vocabula; quæ in cunctis lapidibus nummisque antiquis sine adspiratione inveniuntur. Cæterùm quum ex isthac pluralis numeri adpellatione quàm certissimo documento pateat, jam inde Anci Marcii tempore bicornem fuisse Tiberim, id est, duobus effluxisse in mare ostiis; nescio, an satis feliciter quidam nostri sæculi homines ex præscriptis Ovidii juxtà & Dionysii verbis conjecerint. unum solum tunc amni fuisse ostium; maximè quia Dionysius ait amnem δι' ἑνὸς ἐκδύναι ἐγνησίᾳ στόματος, id est, *uno genuino ac germano ostio effundi*. quibus verbis id ego arbitror Dionysium innuere voluisse; nempe, licèt duo flumini fuerint alvei duoque ostia; tamen sinistrum verum nativumque fuisse, & magnum: alterum autem alveum fuisse longè minorem, & tamquàm magni illius elicem tantùm. unde hodiéque diminutivo vocabulo adpellatur *Fiumicino*. Huc fortè Cicero quoque respexit in oratione pro lege Manilià, ubi ita de Cn. Pompeio loquitur: *Nam quid ego Ostiense incommodum atque illam labem atque ignominiam reipublicæ querar: quum, propè inspectantibus vobis, classis ea, cui consul populi Romani præpositus esset, à prædonibus capta atque oppressa est? Pro dii immortales? tantamne unius hominis incredibilis ac divina virtus tam brevi tempore lucem adferre reipublicæ potuit, ut vos, qui modò ante ostium Tiberinum classem hostium videbatis, ii nunc nullam intra Oceani ostium prædonum navem esse audiatis*. Scilicet *classis Romana*, ad tutelam huius litoris Tiberinorumque ostiorum heic antiquitus stabat. Livius lib. XXII: *M. Claudium, qui classi ad Ostiam stanti præesset, Canusium ad exercitum mittendum*. Et mox: *M. Claudius Marcellus ab Ostiâ CIↃ IↃ milites, quos in classem scriptos habebat, Romam, ut urbi præsidio essent, mittit*. Et lib. XXVI: *Ita cum XXX navium classe (omnes autem quadriremes erant) Ostiis Tiberinis profectus*. De cætero *coloniam* Romanorum fuisse *Ostiam*, suprà ex Plinio, Floro, ac Sex. Aur. Victore intellectum. Seneca Natural. quæst. lib. I cap. XV: *Sub Tiberio Cæsare cohortes in auxilium Ostiensis coloniæ cucurrerunt*. Tacitus Historiar. lib. I: *Septimamdecimam cohortem coloniâ Ostiensi in Vrbem aciri Otho jusserat*. Porrò in Rutilii itinerario, quod de itinere suo ab urbe Româ in Galliam conscripsit, ita legitur:

Tum demum ad naveis gradior, quà fronte bicorni
Dividuus Tiberis dexteriora secat.
Lævus inaccessis fluvius vitatur arenis.
Hospitis Aeneæ gloria sola manet.

Ergo, secundùm hanc Rutilii sententiam, lævum ostium & alveum, apud quem opidum *Ostia*, nemo umquàm navi ingressus est post Aeneam. At hoc opidò quàm falsum esse, disertissimis testatur verbis Ovidius, suprà citatis; ubi de advectione *Matris deorum* ex Phrygiâ in Italiam narrat. quod factum Livius tradit lib. XXVIIII in consulatu P. Cornelii Scipionis Africani & P. Licinii Crassi; id est, anno Vrbis IↃ XLVIII; ante natum Iesum anno CCV. Et ob id ipsum exstructum erat opidum *Ostia*; uti πλόϊον, id est, navale esset Romanæ urbis; teste suprà citatis scriptoribus. unde etiam Herodianus lib. I, de eodem Matris deûm simulacra loquens: Κομισθὲν δ' ὅτι νεὼς τὸ ἄγαλμα, καὶ ὑμένιον ἐν τῷ τοῦ Θυμβρέου ἐκβολαῖς (ταύτῃ γὰρ αὐτὴ λιμένων ἐχρῶντο Ῥωμαῖοι) ἔστη θείᾳ δυνάμει τὸ σκάφος. Id est: *Quum navigio devectum simulacrum in Tiberis ostium adpulisset, (hoc enim tum Romani vice portuum utebantur) divinâ quadam vi substitit navigium*. Ait, *tunc Romanos hoc Tiberis ostio vice portuum usos esse:* quia suo tempore ad dextrum alveum novus erat portus χλροπίητος· quem Iul. Cæsarem primum *mente agitasse*, testis est Plutarchus in vitâ eius his verbis: τῇ δ' ἔγγιστα τῆς Ῥώμης θαλάσσῃ κλεῖθρα λίθου χωμάτων ἐπαγαγὼν, καὶ τὰ τυφλὰ καὶ δύσορμα τῆς Ὠστιανῆς ἠϊόνος ἀναχαθηράμενος, λιμένας ἐμπορίσασθαι ἐπεχείρει, καὶ ναύλοχα πρὸς τοσούτῳ ἀξιόπιστα ναυτιλίαν. Id est: *Proximo Romæ mari claustra adgeribus imponere instituit, cæcumque & importuosum Ostiæ litus repurgare, ac portus ibi moliri navaliaque, quæ tanta sufficerent navigationi*. Claudius deinde imperator perfecit. Svetonius

tonius in vitâ eius, cap. xx: *Opera magna potiùs quàm necessaria, quàm multa, perfecit. sed vel præcipua: aquæductum, à Caio inchoatum; item emissarium Fucini lacus, portumque Ostiensem. quamquàm sciret, ex his alterum ab Augusto precantibus adsiduè Marsis negatum: alterum à divo Iuliæ sæpius destinatum, ac propter difficultatem omissum.* Et mox: *Portum Ostiæ exstruxit: circumducto dextrâ sinistrâque brachio: ad introitum profundo jam solo* [rectiùs, *salo*] *mole objectâ. quam quò stabilitùs fundaret, navem antè demersit, qua magnus obeliscus ex Aegypto fuerat advectus. congestisque pilis superposuit altissimam turrim, in exemplum Alexandrinæ phari; ut ad nocturnos igneis cursum navigia dirigerent.* Plinius lib. xxxvi cap. xv, ubi eiusdem Claudii *aquæductum* & *Fucini lacus emissarium*, & alia summæ admirationis maximique stuporis opera memoravit: *Nam portus*, inquit, *Ostiensis opus prætereo.* At lib. xvi cap. xl sic scribit: *Abies admirationis præcipuæ visa est in navi, quæ ex Aegypto Cali principis jussu obeliscum, in Vaticano circo statutum, quatuorque truncos lapidis eiusdem ad sustinendum eum advexit. qua nave nil admirabilius visum in mari, certum est.* cxx *millia modiûm lentis pro saburrâ ei fuêre. longitudo spacium obtinuit magnâ ex parte Ostiensis portus, latere lævo. ibi namque demersa est à Claudio principe, cum tribus molibus turrium altitudine in eâ exædificatis obiter Puteolano pulvere advecto. Arboris eius crassitudo* iiii *hominum ulnas complectentium implebat.* Et dicto lib. xxxvi cap. viii: *Divus Claudius navem, aliquot per annos adservatam, qua Caius Cæsar importaverat obeliscum, omnibus, quæ umquàm in mari visæ sunt, mirabiliorem, turribus Puteolano ex pulvere ædificatis, perductum Ostiam, portus gratiâ mersit.* Et lib. viii cap. vi. *Orca in portus Ostiensi visa est: oppugnata à Claudio principe. venerat, tunc exædificante eo portum, invitata naufragiis tergorum advectorum è Galliâ: satiensque se per complures dies, alveum in vado sulcaverat: adcumulata fluctibus in tantum, ut circumagi nullo modo posset, &, dum saginam persequitur, in litus fluctibus propulsa, emineret dorso supra aquas, carinæ vice inversæ. Pratendi jussit Cæsar plagas multiplices intra oras portus: profectusque ipse cum prætorianis cohortibus, populo Romano spectaculum præbuit; lanceas congerente milite è navigiis adsultantibus: quorum unum mergi vidimus, restatu belluæ oppletum undâ.* De eodem portu ita tradit Dio lib. lx, in rebus eiusdem Claudii: Λιμὲν δὲ ἰσχυρὸν ἠθροισμένων, καὶ μόνον τὸν ἐν τῷ τότε παρόντι ἀφθονίας τῶν τροφῶν, ἀλλὰ καὶ ἐς πάνυ τὸ μετὰ ταῦτα αἰῶνα τέκνωσιν ἐποίησατο. ἐπῳκοδόμησε γὰρ πάντας, ὡς εἰπεῖν, καὶ σίτου τοῖς Ῥωμαίοις ὄντος, ἡ χώρα ἡ περὶ τὸν Τιβέριδος ἐκβολαῖς, ἅτε καταρρεῖς ἀσφαλεῖς ἔτε λιμένας ἁπτηδείους ἔχουσι, οὐκ ὠφέλει σφίσι τὸ κράτος τῆς θαλάττης ἐπεί. ἔξωθέν τε γὰρ τῆ τε ὥρᾳ ἐκπλοῦ ἐντῶν ἐς τὰς ἀποβήκας ἀναχθέντων, ἅδεν τὸ χείμερνον ἐσεφέροντο, ἀλλ' εἴ τις παρεκινδύνευσε, κακῶς ἀπήλαυσε. Ταῦτ' ἐν νοῷ ἔχων, λιμένα τε ἐκ βάθρων ἐποιήσατο ἐπιχειρήσας· καὶ ἀπετέλεσε, (καίπερ τῶν ἐγχειρούντων αὐτῷ, πυθομένῳ πόσον τὸ ἀνάλωμα ἔσοιτο, ὅτι, εἰ θέλοις αὐτὸ ποιῆσαι· ἔστω ἔφη· καὶ πολήθους καὶ δαπανήματος ἀναχαλιοῦν αὐτόν, εἰ περιθοίο αὐτὸ, ἤλπισαν) ἀλλὰ καὶ ἐνεθυμήθη πρᾶγμα καὶ ἐς φρόνημα καὶ ἐς μεγάθος τῆς Ῥώμης ἄξιον, καὶ ἐπεπάλεσε. τοῦτο μὲν γὰρ, ἐξορύξας τὸν ἠπείρου χωμὸν ἐκ σμικροῦ, τὸ πέριξ πᾶν ἐκρηπίδωσε, καὶ τὴν θάλασσαν ἐς αὐτὸ ἐσεδέξατο· τοῦτο δὴ, ἐν αὐτῷ τῷ πελάγει χώματα ἑκατέρωθεν αὐτοῦ μεγάλα χώσας, θάλασσαν ἐλαύνειν πολλοῦ ἐποιήσατο· καὶ νῆσον ἐπ' αὐτῇ, πύργον τε ἐπ' ἐκείνῃ φρυκτωρίαν ἔχοντα, κατεσκεύασε. Ὁ μὲν οὖν λιμὼν, ὁ καὶ νῦν ἔτω καλούμενος, οὕτω ἐκείνε τε ἐπωνύμη. Hoc est: *Fame ingenti exortâ, non modò ad præsens tempus copiæ alimentorum, verùm in perpetuum etiam prospexit. frumentum quidpe, quo Roma utitur, omne propemodùm aliunde advehitur. at, quum loca circa ostia Tiberis neque tuta adpellendis navibus essent, neque portus opportunos haberent; efficiebatur, ut maris dominium parum Romanis prodesset: quum, præterea, quæ æstate subveherentur, conderenturque in granariis, hieme nihil supportaretur; ac, si quis hoc tentaret, magno ei staret periculo. Id intelligens Claudius, instituit portum ibi exstruere. quumque architecti, interrogati, quanti sumptus eius operis essent futuri, tantos respondissent, quantos ipse facere nollet; sperantes, impendii magnitudine auditâ ipsum à proposito destiturum: nihil deterritus, rem in animum induxit, perfecitque, magnanimitate ac potentiâ Romanâ dignam. Ecfodit humum haud exiguo spacio; ambitumque omnem crepidine lapidum firmavit: ac in eum locum mare accepit. deinde ex utrâque huius loci parte adgeres in ipso mari magnos jaciens, multum maris iis complexus est: insulamque ibi effecit; impositâ turri, unde noctu igneis emicantes signum navigantibus darent. Idque opus ita ab eo exstructum, incolarum linguâ Portus hodieque vocatur.* In Tabulâ itinerariâ *Tiberis* flumen uno equidem ostio depictum est. at ab lævâ eius ripâ figura & nomen est *Ostiæ* urbis; ab dextrâ ripâ imago ingentis portus in theatri speciem: ad cuius ex-

trema, in mare procurrentia, duæ sunt turres, dextrâ sinistrâque positæ. brachia equidem, seu adgeres non ab utrâque parte, quod de suis temporibus Svetonius Dioque testantur, circumducti sunt: sed ab sinistrâ tantùm geminus adger protenditur; in interiorisque extremo alia turris est. inter exterioris autem adgeris extremum & ipsius portus seu theatri dextram turrim insula conspicitur cum præaltâ turri seu pharo. Ea totius portus facies an posteà fuerit, quum Traianus, ut mox ostendetur, instaurasset: an verò in proximam similitudinem Tabulæ delineator, quum veram genuinamque figuram ignoraret, efformare voluerit, incertum est. De cætero nomen huic portui in Tabulâ nullum adpositum. quod haud dubiè, unà cum proximi Etruriæ opidi *Fregenarum* vocabulo interiit; ut suprà lib. 11 cap. 11 in Etrusci litoris expositione dictum. In Antonini itinerario ita legitur: *A Româ per Portum Centumcellas* M. P: LXIX, *sic: In Portum* XIX. *Fregenas* IX. Sic & Procopio Gothicar. rer. lib. I & II simpliciter sine cognomine vocatur PORTVS, Latino vocabulo. & in eodem lib. I etiam dicitur ὁ Ῥώμης λιμὼν, hoc est, PORTVS ROMAE; & lib. II ὁ Ῥωμαίων λιμὼν, id est, PORTVS ROMANORVM: qui Aethico in Cosmographiâ adpellatur PORTVS VRBIS; apud Cassiodorum Variar. lib. VII epist. VIIII, PORTVS VRBIS ROMAE; & item, ut & aliis eius sæculi auctoribus, maximè verò Martyrologis PORTVS ROMANVS. At aliis cognominatur AVGVSTI PORTVS Ioan. Xiphilinus in Severi imperatoris rebus, quarum historiam ille ex Dionis lib. LXXV excerpsit: Πρὸ δὲ τούτου κῆτος ὑπερμέγεθες εἰς τὸν Αὐγούστου Πτολεμαίου λιμένα ἐξώκειλε, καὶ ἐάλω. id est; *Antequàm id fieret, cetus ingens adpulit in portum, qui Augusti cognomen habet; ibique captus est.* Apuleius Μεταμορφώσεων lib. I: *Romam versùs profectionem dirigo. tutusque prosperitate ventorum ferentium Augusti portum celerrimè, ac dehinc carpento pervolavi: vesperâque sacrosanctam istam civitatem adcedo.* Itinerarium antiquum maritimum: *Ad Vrbe Arelatum usque. Ad Portum Augusti* M. P. XVIII. Iuvenalis Sat. XII de navigatione Catulli præter Latium litus ita narrat:

——— Iam deficientibus austris,
Spes vitæ cum Sole redit. tum gratus Iulo
Atque novercali sedes prælata Lavino,
Conspicitur sublimis apex; cui candida nomen
Scrofa dedit, latis Phrygibus mirabile sumen,
Et numquàm visis triginta clara mamillis.
Tandem intrat positas incluſa per æquora moles,
Tyrrhenamque Pharon, porrectaque brachia rursùm,
Quæ pelago occurrunt medio; longéque relinquunt
Italiam. Non sic igitur mirabere portus,
Quos natura dedit.

Ad hæc ita vetus Scholiasta: *Portum Augusti dicit; sive Traiani. Porrectaque brachia rursùm.*] *Quia Traianus portum Augusti restauravit in melius: & interiùs tutiorem sui nominis fecit.* Horatii versus in carmine de Artę poëticâ sunt isti:

Debemur morti nos, nostraque: sive, receptus
Terrâ, Neptunus classeis Aquilonibus arcet;
Regis opus: sterilisve diu palus aptaque remis
Vicinas urbeis alit, & grave sentit aratrum:
Seu cursùm mutavit iniquum frugibus amnis;
Doctus ire melius, mortalia facta peribunt.

Ad hæc verba ita antiqua Scholia habent: *Modò autem subdit, quòd non tantùm verba hominum intereant; sed & homines, & omnia eorum facta. quod tribus continuis adprobat exemplis. primum de portu Ostiensi. nam apud Ostiam civitatem Augustus mare inrumpens intercluſit; & adgere terræ & lapidibus obstruxit; portumque ibi fecit. secundum de Pomtinis paludibus: quas Augustus exsiccavit, & habitabileis reddidit; injecto similiter adgere lapidum & terræ. tertium de Tiberi fluvio: quem Agrippa de proprio derivavit alveo ad eum, per quem modò fluit.* Et exiguo pòst: *Significat portum Lucrinum, & alios, ab Augusto manu factos.* Mox: *Divus Augustus duas res divinas fecit: ut Pomtinam paludem exsiccaret, & ad mare meatum habere egeret; ut pòst & arari posset. deinde portum Lucrinum munivit: de quo Maro;* [Γεωργικῶν lib. II:]

An

An memorem portus, Lucrinoque addita clauſtra,
Atque indignatum magnis ſtridoribus æquor?
Iulia quà ponto longè ſonat unda refuſo,
Tyrrhenusque fretis immittitur æſtus Avernis.

Portum exſtruxiſſe Auguſtum Cæſarem in Lucrino Avernoque lacubus, infrà in Campaniæ deſcriptione oſtendemus. de Pomtinis etiam paludibus in Volſci agri poſitione videbimus. at de *Oſtienſi portu* vehementer hic Scholiaſta erravit, ſi potior ſuprà memoratorum ſcriptorum, Plinii, Svetonii, ac Dionis, ducenda ſit fides. Nomen *Auguſti* quum poſteà communis imperatorum facta ſit adpellatio; quod ſingulorum nummi teſtantur; quid mirum, ſi à Claudio quoque exſtructus apud Tiberina oſtia portus cognomen acceperit *Auguſti?* Quamquàm ego neſcio, qua ratione proximus eius ſucceſſor Nero eius gloriam ſibi arrogaverit: ita, ut nummos edi curaverit, in quorum unâ parte facies eius & nomina, in alterâ ipſe portus cum hac inſcripſione AVGVSTI PORTVS OSTIENSIS exhibetur. Sed ipſum nummum huc adponere conſilium eſt. is ab utrâque parte talis eſt:

Poſteà autem Traianum imperatorem portum hunc *inſtauraſſe in melius, interiúsque* alium *tutiorem ſui nominis feciſſe*; ita, uti jam geminus eſſet portus; alter *exterior* AVGVSTI PORTVS dictus; *interior* alter, TRAIANI PORTVS adpellatus; præter præſcriptum poëtam Iuvenalem, qui ſub Traiano vixit, & Scholiaſtam eius, teſtatur inſcriptio antiqua, quæ Romæ in cuiusdam viri nobilis domo, in vico, qui vulgò vocatur *Il Corſo*, prope arcum, quem vulgò dicunt *Arco di Portogallo*, exſtat huiusmodi:

SALONICARPIM F	M·CVTIVS·RVSTICVS
SALONIAE·EVTERPE	TIBICO·M·D·M·PORTVS
SACERDOTI·M·D·M·PORT·AVG	AVG·ET·TRAIANI·FELICIS
ET·TRAIANI·FELICIS·PATRONAE	FECIT·SIBI·ET·CVTIAE·THE
SVAE·OPTIMAE·BENE MEREN	ODOTE ET LIBERTIS LIBER
D TI·FECIT·ET·SIBI·ET·SALONIO	TABVSQ·POSTERISQ·EORVM M
HERMETI·SALONIO·DORAE·SA	PARS·DIMID·AD·DEXTRAM
LONIAE·TERTIAE·ET·EOR·FILIS	
PARS·DIMIDIA·INTRANTIB	
LAEVA	

Sed & nummus antiquus idem teſtatur; de quo ſic Ortelius in Theſauro geographico: *Idem teſtatur nummus meus æreus antiquus, qui Traiani imperatoris effigiem, & in poſticâ parte hunc portum depictum exhibet; eâque formâ, qua eum, etſi ruinis deformatum, aliquando contemplati ſumus.* Exterior portus, qui *Auguſti* erat, totus hodiè arenis oppletus obrutusque eſt. at interioris forma plurimâ ex parte etiamnunc manet, cum ruderibus templorum aliorumque publicorum ædificiorum, maximè verò cellarum, quibus naves ſudducebantur. vocaturque hic locus hodiéque vulgo *Il Porto*; antiquâ epiſcopatus ſede maximè clarus: quamquàm pauciſſimis nunc inhabitetur tectis. *Pharum* in portu fuiſſe poſitam, id eſt, *altiſſimam turrim*, ex qua *nocturni ignes* oſtendebantur, ad quos *curſum navigia dirigerent*, ſuprà ex Svetonio atque Iuvenali intellectum. de eâdem Valerius Flaccus lib. v Ἀργοναυτικῶν.

Non ita Tyrrhenus ſtupet Ioniuſque magiſter,
Qui portus Tiberine tuos claramque ſerenâ
Arce Pharon princeps [linquens,] nusquàm oſtia, nusquàm,
Auſoniam videt.

Poſteriori ſæculo ipſum portum hinc dictum fuiſſe PHARI PORTVM, ex Eutropio Paulino diſco. is quidpe lib. v cap. 11 ſic ait: *Primò ad Vrbem actâ tempeſtatibus navi, Romani portus pharum vidit. deinde Campaniam longis tractibus legit.* Et in Carmine de Martiani periculis & liberatione:

Longinquiorem portum ab Vrbe adlabitur,
Cui Centum cellis nomen eſt:
Ac inde navi promovendus longiùs
Intraret ut Portum Phari.
Vix iſte credens ſe potitum litore
Telluris optatæ ſibi;
Navi relictâ, lætus inſultat ſolum,
Romamque feſtinat pedes.

Deſcribitur opidum antiquum, cum adjacentibus locis, Procopio Gothicar. rer. lib. 1 his verbis: Οὐίτιγις ἦ, πολλὰ ἄδεια ὁρῶν τῆς πολεμίοις ἔσαν ἐκφορεῖν τι εἴ τι ἐκ τῆ πόλεως βάλοιντο, καὶ τὰ ἀποπλόϊα ἐξ τὴ γῆ καὶ θάλασσαν ἐσκομίζεσθαι, τὸ λιμένα, ὃν δὴ Πόρτον Ῥωμαῖοι καλοῦσι, καταλαβεῖν ἔγνω, ὃς δὴ ἀπέχει μὲν τὴ πόλεως ἐξ ὧν εἴκοσι καὶ ἑκατὸν σταδίους· μέτρῳ γὰρ τοσούτῳ, τὸ μὴ ἀποπλαοστία εἶναι, διείργει Ῥώμη. ἔστι δὲ, ἢ ὁ ποταμὸς Τίβερις τὰς ἐκβολὰς ἔχει· ὃς δὴ ἐκ Ῥώμης Φερόμενος, ἐπειδὰν τὴ θαλάσσης ἐγγυτέρω γένηται, ὅσον ἀπὸ σταδίων πεντεκαίδεκα δίχα σχίζόμενος, τὴν ἱερὰν καλουμένην νῆσον ἐνταῦθα ποιεῖ. τοιοῦτος δὲ ὁ ποταμὸς, ὀρυτέρα ἡ νῆσος γίνεται· ὡς τῷ μήκει τὸ τοῦ ὕδατος μέτρον κατὰ λόγον εἶναι σταδίων πεντεκαίδεκα, καὶ ῥεῦμα ἑκάτερον ἐν μέσῳ ἔχειν. ναυσιπόρος τε ὁ Τίβερις ἀμφοτέρωθι ῥέει. καὶ τὸ μὲν ἐν δεξιᾷ τοῦ ποταμοῦ μέρος ἐς τὸν λιμένα τὰς ἐκβολὰς ποιεῖται· ὧν ἔκτὸς πόλιν ἐκ παλαιοῦ Ῥωμαῖοι τοῖς τῇ ὄχθῃ ἐδείμαντο, τεῖχος περιβεβλημένοι ἔχυρον μάλιστα· Πόρτον τε αὐτὸν τῷ λιμένι ὁμωνύμως καλοῦσιν. ἐν ἀριστερᾷ δὲ, τοῦ ἑτέρου ῥεύματος Τιβέριδος ἐς τὸν θάλασσαν ἐκβολῆς, πόλις Οὐία κεῖται, τοῦ ποταμοῦ ἤδη ἔκτὸς· λόγῳ μὲν πολλοῦ παλαιὸν ἀξία, νυνὶ δὲ ἀτείχιστος παντάπασιν ἐστι. ὁδὸν πίνυσι, ἢ ἐς Ῥώμην ἐκ Πόρτου φέρει, ὁμαλόν τε καὶ ἐμπόδιον οὐδὲν ἔχουσαν, τὸ ἐξ ἀρχῆς Ῥωμαῖοι πεποίηνται). Βάρεις τε ἀεὶ πολλαὶ ἐξεπίτηδες ἐν τῷ λιμένι ὁρμίζονται· καὶ βόες σὺν ὀλίγοι ἐν περασκαῖς ἀγχοῦ ἐστᾶσιν. ἐπειδὰν οὖν οἱ ἔμποροι τὰ ναυσὶν ἐς τὸν λιμένα ἀφίκωνται, ἄραντες τὰ φορτία ἐνθένδε, ἐς ταῦτα ἐνθέμενοι ἐν τὰ βάρεσι, πλέουσι διὰ τοῦ Τιβέριδος ἀπὸ τὴν Ῥώμην, ἱστίοις μὲν οὐ κώπαις ἥκιστα χρώμενοι, ἐπεὶ ὅτε αὐτέμονι ἐνταῦθα οἷα τε ἐστὶ τὰ πλοῖα ὠθεῖσθαι, σχοινά τε τοῦ ποταμοῦ ἑλιασσόμενα, καὶ σὺν ἐκ τοῦ ὄχθου ἴοντος, ἀδέκα ἐνεργεῖν δυνάμενα, τὸ τοῦ ὑδατος ῥύμης ἀπέναντίας αὐτῆς ἀεὶ φερομένης. βροχὰς ἦ ἀπὸ τῶν βαρέων ἐς τῶν βοῶν τοὺς αὐχένας δρήσαντες, ἕλκουσιν αὐτὰς, ὥσπερ ἁμάξας, ἄχρι ἐς Ῥώμην. Ἐπέρωθι ἦ τοῦ ποταμοῦ ἐκ πόλεως Οὐίας ἐς Ῥώμην ἰόντι, ὑλώδης τε ἡ ὁδός ἐστι καὶ ἄλλως ἀπημελημένη, καὶ ἀδέκα τὸ Τιβέριδος ἴόντος ἐγκύς, ἅτε τῶν βάρεων αἰολκῆς ἐνταῦθα σὺν ἔσης. Hoc eſt: *Vitigis, quum cerneret, hoſteis liberè ac tutò, quæcumque vellent, exportare ex Vrbe atque commeatus terrâ marique inferre: Portum, quem ſic Romani vocant, occupare decrevit. Is abeſt ab Vrbe ſtadia* CXXVI. *tanto ſcilicet intervallo, quo minùs maritima ſit, Roma ſubmovetur. Situs autem eſt Portus ad oſtia Tiberis amnis. qui, Romam egreſſus, ubi mare ad* XV *ſtadia adpropinquat, in duos ſciſſus alveos, inſulam efficit, quam vocant Sacram. hæc cum progrediente fluvio fit latior: ita, uti tandem latitudinis menſura longitudinem ferè exæquet ſtadium* XV; *& utrumque alveum in medio habeat. Navigiorum autem quum utrumque ſit capax amnis; dexteri alvei os in portum effunditur. ſupra quod opidum olim Romani in ripâ amnis condiderunt, validiſſimo muro cinctum. quod Portum à re ipsâ vocitant. Ad ſiniſtrum alveum ante alterum Tiberis os Oſtia ſita eſt in ulteriore ripâ; urbs quondam magni nominis: at nunc ſine mœnibus jacet. Viam igitur, quæ ex Portu Romam fert, planam atque expeditam veteres ſtruxêre Romani. Actuariæ autem naves magno numero datâ operâ conſtitutæ ſunt in portu; bovesque haud pauci proximè habentur parati. negotiatores igitur quando navibus in portum pervenerunt; exemptas inde merceis in actuarias imponunt, perque Tiberis flumen Romam devehunt: velis equidem aut remis minimè utentes; quando neque vento aliquo navigia impelli poſſunt; nec remi, quum amnis copioſus fluat atque rapidus, prodeſſe quidquam valent: quum ſemper adversùs flumen adſcendendum ſit. ſed funibus ex actuariis ad colla boum deligatis, ceu plauſtra Romam usque pertrahunt. Ab alterâ verò amnis*

ripâ,

ripâ, quà ab Oſtiâ Romam itur, ſilveſtris eſt via ac parum culta, nec propinqua Tiberis ripæ: ut juxta quam actuariæ naves nullæ ſurſum trahuntur. Stadia CXXVI millia paſſuum conficiunt ferè XVII; more eius ſæculi VII ſtadiis cum dimidio in ſingula millia computatis. Atque hic millium numerus magis huic intervallo convenit, quàm ſuprà ſcripta Antonini millia XVIIII: pro quibus Itinerarium maritimum habet XVIII. cui conſentiens Rufus Feſtus in Breviario rerum Romanarum, *Sub regibus* VII, inquit, *per annos* CCXLIII *non ampliùs quàm usque Portum atque Oſtiam intra* XVIII *milliarium à portis urbis Romæ, utpote adhuc parvæ & à paſtoribus conditæ, Romanum proceſſit imperium.* Quòd autem Procopius utrumque Tiberis alveum & oſtium ναυσίπορον, id eſt, *navigiorum patientem* tradit, id de disparibus magnitudineque diſſimilibus navigiis intelligendum cenſeo; niſi Rutilium, qui haud ita multo antiquior Procopio, falſa prodidiſſe credere velimus. qui tamen certiora eâ de re, quàm Procopius, noſſe potuit; ut qui diu Romam incoluit; flumenque ipſe navigavit. Falluntur hodiè immenſum illi, qui, figuram *Auguſti Traianique portuum* exhibituri, dextrum amnis alveum non ipſos portus, quòd diſertè tradit Procopius, ſed propter horum muros in apertum mare deducunt: utique, quum ſuprà adpoſitus nummus quoque pervium à tergo ac fronte exhibeat portum Auguſti. Sed hos homines inſuper redarguit & latitudo inſulæ, quam Procopius longitudine facit ferè æqualem, XV ſtadiorum; id eſt, duûm millium paſſuum. quæ ſanè latitudo minimè inter duos nunc fluminis alveos, ſed maximè inter maiorem alveum & canaliculum, qui ex Traiani portu exit, convenit. INSVLA, quæ Procopio cognominatur SACRA, Aethico in Coſmographiâ dicitur LIBANVS ALMAE VENERIS. *Tiberis*, inquit, *inter Oſtienſem portum & viam Portuenſem* [Scribendum cenſeo, *Tiberis inter Oſtienſem & Portuenſem viam*] *urbem egreditur; quà naves de Portu Vrbis ad dominam totius mundi Romam adſcendunt. hinc circa ſextum Philippi*, [ſcribo, *circa ſextumdecimum lapidem*,] *quod Prædium miſſale adpellatur, geminatur; &, in duos ex uno effectus, inſulam facit inter Portum Vrbis & Oſtiam civitatem. ubi populus Romanus cum Vrbis præfecto vel conſule ſacrorum celebrandorum causâ egreditur ſolennitate jucundâ. Inſula verò, quam facit inter Vrbis portum & Oſtiam civitatem* [*Tiberis*,] *tantæ viriditatis amænitatisque eſt, ut neque æſtivis menſibus neque hiemalibus paſturæ admirabileis herbas debeat. ita autem vernali tempore rosâ & cæteris floribus adimpletur, ut præ nimietate ſui odoris & floris inſula ipſa Libanus almæ Veneris nuncupetur.* Ovidius Faſtor. lib. II; ubi menſis Februarii feſtos dies enarrat:

Principio menſis, ——
Tunc quoque vicini lucus celebratur Averni,
Quà petit æquoreas advena Tybris aquas.

Tacitus Annal. lib. XI: *Dum ſacrificii gratiâ Claudius Oſtiam proficiſceretur.* Idem haud dubiè ſacrum, quod Ovidius indicat: nam illud Tacitus circa idem anni tempus refert. Neſcio tamen, an iisdem diebus celebrata, quæ Auſonius in Eclogario notat his verbis:

Nunc & Apollineos Tiberina oſtia per ludos
Et Megaleſiacæ matris operata loquar.

Sed abſolutâ Claudii Traianique portus & inſulæ adjacentis expoſitione, in Latinam rurſus Tiberis ripam transgrediamur. *Oſtiam* urbem ab Anco Marcio, IIII rege Romanorum, conditam fuiſſe, ex complurimis equidem ſuprà intelleximus auctoribus. verùm quia primus ille ſecundùm ipſorum Romanorum computationem rex Romulus falſus nobis deprehenſus eſt; neque de proximè eum ſubſequentibus, *Numâ Pompilio, Tullo Hoſtilio*, & prædicto *Anco Marcio* quidquam certi credi poteſt. Ipſum *Euandrum*, qui primus Latinorum gentis, ex Aboriginibus & Pelaſgis compoſita, rex fuit, dictum fuiſſe *Romulum*, poſtquàm *Valentiam* urbem & regionem inter Anienem ac mare, ejectis inde Siculis, occupaſſet, ſuperioribus capitibus oſtenſum eſt. Vel jam tum Siculos habuiſſe ad Tiberis, magni fluminis, oſtium portum, vel mox, illis pulſis, Euandrum eum exſtruxiſſe, maximè credibile. Omnem de Aeneæ ad Italiam adpulſu fabulam ex verâ de Euandri in eamdem hanc regionem adventu hiſtoriâ concinnatum eſſe, ſuprà itidem membratim expoſuimus. Hinc igitur Aeneas fingitur eodem loco urbem condidiſſe, nomine TROIAM NOVAM, ubi Oſtia ſita eſt. Livius lib. I: *Iam primùm omnium ſatis conſtat,* TROIA NOVA.

ſtat, Troiâ captâ in cæteros ſævitum eſſe Troianos: duobus Aeneâ Antenoreque, & vetuſti jure hoſpitii, & quia pacis reddendæque Helenæ ſemper auctores fuerant, omne jus belli Achivos abſtinuiſſe. caſibus deinde variis Antenorem cum multitudine Henetûm veniſſe in intimum maris Hadriatici ſinum: Euganeisque pulſis, Henetos Troianosque eas tenuiſſe terras. &, in quem primum egreſſi ſunt locum, Troia vocatur, Aeneam, ab ſimili clade domo profugum, primò in Macedoniam veniſſe: inde Siciliam quærentem ſedeis delatum: ab Siciliâ claſſe Laurentem agrum tenuiſſe. Troia & huic loco nomen eſt. Dionyſius Halicarnaſſenſis lib. I: Τελευτῶντες ἦλθον ἀφικνεῖται τὴ Ἰταλίας εἰς Λαύρεντον· ἔνθα τὰ πλάνης πανσάμενοι, χάρακα ἔθεντο· καὶ τὸ χωρίον, ἐν ᾧ κατεστρατοπεδεύσαντο, ἐξ ἐκείνε Τροία καλεῖται· ἀπέχει δὲ τῆς θαλάττης ἀμφὶ σταδίες ἑπτά. Id eſt: *Tandem ad Italiæ Laurentum perveniunt. ubi errorum fine invento, vallum excitarunt. & locus, in quo caſtra ſunt metati, exinde Troia vocatur; diſtans à mari circa* IIII *ſtadia.* Strabo lib. V: Φασὶ δὲ, Αἰνείαν, καταράντα εἰς Λαύρεντον, πόλιν μικρὸν ἀπὸ τῆ θαλάττης ὅσον ἐν τετάρτοις καὶ εἴκοσι σταδίοις κτίσαι πόλιν· ἐπληθύνθη δὲ Λατῖνον, τὸν Ἀβοριγίνων βασιλέα, συμμάχοις χρήσασθαι τοῖς περὶ τὸν Αἰνείαν ἐπὶ τοὺς ἑπτανδίους Ῥουτύλες. νικήσαντα δὲ, ἀπὸ τῆ γυναικὸς Λαβινίας ἐπώνυμον πόλιν κτίσαι. Hoc eſt: *Ferunt, Aeneam Laurentum adpuliſſe: urbemque condidiſſe paullo ſupra litus, ad* XXIIII *ſtadia. ſuperveniſſe deinde Latinum, Aboriginum regem, auxilioque Aeneæ uſum contra finitimos Rutulos; partâque victoriâ, urbem condidiſſe, filiæ Laviniæ cognominem.* En, quod Dionyſius Liviusque prætereunt, aliud opidum condidiſſe Aeneam, tradidêre illi auctores, quos citat Strabo, antequàm *Lavinium* conderetur, cui nomen ab uxore Aeneæ, Latini filiâ, inditum. Ovidius Μεταμορφώσεων lib. XIIII, de Aeneæ adpulſu:

——— Lucosque petunt, ubi nubilus umbrâ
In mare cum fulvâ prorumpit Tybris arenâ.

Et Virgilius Aeneid. lib. VII:

Atque heic Aeneas ingentem ex æquore lucum
Proſpicit. hunc inter fluvio Tiberinus amœno
Vorticibus rapidis & multâ flavus arenâ
In mare prorumpit.
Flectere iter ſociis terraque advertere proras
Imperat. & latus fluvio ſuccedit opaco.

Aliquanto pòſt:

——— Laomedontia pubes
Gramineo ripæ religavit ab adgere claſſem.

En, *ſucceſſiſſe* ait *fluvio* Aeneam. ergo non in ore ad quingenteſimum, ut vult Dionyſius, paſſum manſit. Pergit paullo pòſt Virgilius:

——— Ipſe humili deſignat mœnia foſſâ,
Moliturque locum: primasque in litore ſedeis
Caſtrorum in morem pinnis atque adgere cingit.

Ad hæc Servius: *Sciendum, civitatem quam primò fecit, Troiam dictam; ſecundùm Catonem & Livium. quod & ipſe docet; Nec te Troia capit.* Hoc ſcilicet infrà lib. VIIII ad Aſcanium Apollo; quem locum mox producemus: ubi ita Servius: *Vel Maior es, quàm patria; vel, Maior es meritis, quam civitas, in qua nunc es.* Libro igitur VII deinde Latinus rex ita adloquitur legatos Aeneæ:

Dicite Dardanidæ,
Quid petitis? quæ cauſa rateis, aut cuius egenteis,
Litus ad Auſonium tot per vada cærula vexit?
Sive errore viæ, ſeu tempeſtatibus acti,
Fluminis intraſtis ripas, portuque ſedetis,
Ne fugite hoſpitium.

Latino ita reſpondet Ilioneus legatus:

Dîis ſedem exiguam patriis litusque rogamus
Innocuum, & cunctis undamque auramque patentem.

Poſteà verò de Iunone loquens poëta:

Moliri jam tecta videt; jam fidere terræ;
Deſeruiſſe rateis.

Mox

Mox Iuno: —— *Optato conduntur Tybridis alveo,*
Securi pelagi atque mei.

Si *conditi* fuêre fluminis *alveo*; certè non in ore sedêrunt apud *litus*. Locus autem Ostiæ tam prope litus est, uti & ipsa urbs semper maritima habita: &, quum ad ipsum usque mare ab Româ forent millia passuum XVI: *Ostiam* tanto intervallo ab Vrbe abesse dicebant: ut suprà intellectum. Eodem libro infrà Alecto, à Iunone immissa, sic Turnum per quietem adfatur:

—— *Phrygios, qui flumine pulcro*
Consedêre, duces pictasque exure carinas.

Libro autem VIIII ita Iris adloquitur Turnum:

Aeneas, urbe & sociis & classe relictâ,
Sceptra Palatini sedemque petivit Euandri.
Nec satis: extremas Coriti penetravit ad urbeis:
Lydorumque manum collectos armat agrestes.

Ad hæc Servius: *Vrbs ista quæ est tutam*; [lego, *Vrbs ista est, de qua suprà*;] *Ipse humili designat mœnia fossâ. Hanc Castrum Laurens dici ait Varro: opidum tacet. sed, ubi primùm Aeneas egressus sit, eum locum Troiam nuncupari traditur.* Tibullus etiam lib. II eleg. V *Castrum Laurens* memorat. sed id ipsum opîdum *Laurentum* intellexisse videtur; ut mox infrà ostendetur. Porrò Virgilius paullo pòst; ubi Turnus castra hæc seu novum opidum Aeneæ oppugnat:

—— *Ingenti clamore per omneis*
Condunt se Teucri portas, & mœnia complent:
Turnus, ut ante volans tardum præcesserat agmen,
Viginti lectis equitum comitatus, & urbi
Improvisus adest.
Classem, quæ lateri castrorum adjuncta latebat,
Adgeribus septam circùm & fluvialibus undis,
Invadit.

Et posteà:

Aeneadæ duri, murorum in parte sinistram
Opposuêre aciem: (nam dextra cingitur amni)
Ingenteisque tenent fossas; & turribus altis
Stant mœsti.

Ergo nulla urbis pars litus marinum tangebat. Dehinc, dum adhuc obsidentur Troiani; *Aetheriâ tum fortè plagâ crinitus Apollo*
Desuper Ausonias acies urbemque videbat,
Nube sedens: atque his victorem adfatur Iulum:
Macte novâ virtute puer: sic itur ad astra.
Diis genite, & geniture deos; jure omnia bella
Gente sub Assaraci fato ventura residunt:
Nec te Troia capit.

Libro X ita Venus ad Iovem:

—— *Muris iterum imminet hostis*
Nascentis Troiæ.

Et mox Iuno Veneri respondet;

Indignum est, Italos Troiam circumdare flammis
Nascentem?

Eodem libro infrà ita Pallas, Euandri filius, suos, cedenteis è pugnâ, adloquitur:

Ecce maris magnâ claudit nos obice pontus.
Deest jam terra fugæ. pelago Troiam ne petemus?

Ad quæ sic Servius: *Troiam, id est, castra Troianorum.* Ex hactenus igitur citatis clarè patet, tradidisse vetustissimos illos Romanos Aeneam ad Tiberim amnem, haud procul à mari, condidisse urbem, quam de pristinæ patriæ vocabulo vocaverit *Troiam*. Hinc etiam illud apud Stephani epitomatorem in vocabulo Τροία· Ἔστι καὶ Τροία πρὸς τῷ Ἀδριάτῃ τῶν Βενετῶν· καὶ ἄλλη Λατίνων. Id est: *Est etiam Troia apud Hadrianum agrum in Venetiâ: & item alia Latinorum.* Et quum hæc Aeneæ *Troia* paullum à mari recederet; alii per summum errorem eamdem fuisse putarunt & *Ardeam*;

quæ

quæ Rutulorum fuisse traditur caput, Turnique sedes : scilicet, quia hæc quoque à mari remota est. Idem Stephani epitomator : Ἄρδεα, κατοικία τῆς Ἰταλίας. Στράβων πέμπτῃ. αὕτη Τροία ἐλέγετο· ὡς Χάραξ. Id est : *Ardea, opidum Italiæ ; auctore Strabone lib.* v. *hæc & Troia dicebatur ; teste Charace*. Sex. Aurel. Victor in libro de Origine gentis Romanæ ita tradit : *Domitius lib.* I *docet, sorte Apollinis Delphici monitum Aeneam, ut Italiam peteret ; ubi duo maria invenisset, prandiumque cum mensis comessat, ibi urbem ut conderet. itaque egressum in agrum Laurentem, quum paululum à litore processisset, pervenisse ad duo stagna aquæ salsæ, vicina inter se : ibique quum se lavisset ; ac, refectum cibo, quum apium quoque, quod tunc vice mensæ substratum fuerat, consumpsisset : existimantem, procul dubio illa esse duo maria ; quòd in illis stagnis aquæ marinæ species esset ; mensasque, quæ erant ex stramine apii, comestas : urbem in eo loco condidisse ; eamque, quòd in stagno laverit, Lavinium cognominasse*. Atqui omnes alii auctores, ab uxore *Laviniâ* opido *Lavinio*, de quo infrà dicetur, nomen indidisse Aeneam, tradunt : alioque hoc opidum fuisse situ, quàm ubi prima castra in Tiberis ripâ posita vult Virgilius, quibus *Troiæ* nomen impositum. quo loco *comestas* istas *mensas* refert lib. VII. Atque heic erant, non ad Lavinium, *duo illa maria*, seu binæ *aquæ salsæ*, apud Tiberim & Ostiam. quorum alterum ipse erat pelagus Etruscus ; alterum erat stagnum marinum, præ longis faucibus terræ gremio supra Ostiam usque infusum : qui

LACVS OSTIENSIS. posteà LACVS OSTIENSIS dictus videtur. sic quidpe Livius lib. XXVI : *In Albano monte tacta de cœlo erant signum Iovis arborque templo propinqua ; & Ostiæ lacus ; & Capuæ murus, Fortunæque ædes ; & Sinuessæ murus portaque*. Inter hunc igitur locum & Tiberis ripam Aeneas constituerit *novam* istam *Troiam*. Atque hinc est, quòd Strabo, qui diversos auctores legisse videtur, primam illam ab Aeneâ conditam urbem XXIIII circiter stadia, id est, millia passuum III, à mari abfuisse tradit. Verùm quamvis hæc de Aeneæ in Italiam adventu rebusque inibi gestis fabula tantùm sit ; ad similitudinem rerum Euandri conficta ; antiqua tamen urbis *Ostiæ* origo hinc perspicitur : ut quæ, multis sæculis ante Romanorum illum regem *Ancum Marcium*, haud dubiè ab Euandro primo Romanorum rege condita ; postquàm is Romam urbem, pulsis inde bello Siculis, occupavit : cui tunc portum huc struere voluit.

SALINAE OSTIENSES. SALINAS ad Ostiam quis primus paraverit ; idem Euander, an alius posteà Romanorum rex, incertum habeo. Eidem id factum tribui Anco Marcio à Livio, suprà intelleximus. cum quo consentiens auctor libri de Viris illustribus : *Ancus Marcius*, inquit, *Salinas ad usum navium publicavit : salinarum vectigal instituit. Ostiam coloniam, maritimis commeatibus opportunam, in ostia Tiberis deduxit*. Eædem salinæ hodiéque magnâ cum celebritate exercentur ; super Ostiam, inter viam, quæ Romam fert, & Tiberim, sitæ.

FORVM AVRELIANI ; *quòd posteà* PRAETORIVM. De cætero in eodem illo, ut opinor, loco, quo Dionysius vult prima Aeneam locasse castra, quique etiam posteà incolis dictus est *Troia*, *Forum nominis sui Aurelianus imperator*, ut inquit Fl. Vopiscus in vitâ eius, *in Ostiensi ad mare fundare cœpit. in quo posteà Prætorium publicum constitutum est*.

LAVRENTVM *opidum ; quòd posteà* LAVROLAVINIVM. Ostiam proximè sequebatur apud litus LAVRENTVM *opidum*, Latinorum regum, ut est in fabulis, Pici Faunique & Latini regia : unde LAVRENS *ager*, latè sumptus ; ita, uti etiam omne eâ adpellatione intelligeretur Latium. Mela lib. II cap. IIII : *Ostia, Laurentum, Ardea*. Plinius lib. III cap. V : *In principio est Ostia colonia, à Romano rege deducta. opidum Laurentum : Lucus Iovis Indigetis : amnis Numicius : Ardea*. Strabo lib. V : Πολὺς δ' ἐστὶ παραλίᾳ μὴν εἰσὶ τῶν Λατίνων, ἔτι πώλια καὶ Ἄνιον, εἶτα μέζον δὲ τούτων Λαβίνιον, εἶτα Λαύρεντον. Id est : *Latinorum opida maritima sunt Ostia & Antium ; & in horum medio Lavinium ; tum Laurentum*. Ab Antio ad Ostiam regrediundo, in medio eorum erat primò *Lavinium*, dein *Laurentum*. Itineraria antiqua :

Tabulæ ;		Antonini ;	
Roma		*Roma*	
Hostîs	XVI.	*Hostîs*	XVI.
Laurento	XVI.	*Laurento*	XVI.
Lavinium	VI.	*Lavinio*	XVI.
Antium	XVII.		

In Ta-

In Tabulâ itinerariâ toto hoc litore inter Ostiam & Tarracinam millia passuum colliguntur LXXXV: unde adparet, nonnullos singulorum intervallorum numeros esse corruptos: quando Romam usque, quæ longiùs disita, non ultra LXV millia ego pede meo deprehenderim à Tarracinâ. quæ licet in paullo minutiora, more veteris ævi redigere velis; tamen plus LXX justis millibus non effeceris. Longè rectiùs Plinius lib. III cap. inter *Ostiam* & *Circeios*, quod opidum X millia citra *Tarracinam* fuit in monte *Circæo*, L numeravit millia passuum. *Latium*, inquit, *antiquum à Tiberi Circeios usque observatum est, millium passuum quinquaginta longitudine*. Sed præcipua vitia in Tabulâ juxta & Antonino esse existimo inter *Ostiam* & *Antium*. & apertè inter se dissentiunt super intervallo inter *Laurentum* & *Lavinium*. *Ardea* hodiè nomen retinet. inter hanc & Tiberim sive Ostiam nullus alius est amnis, quàm qui ab opidulo *Patrica* in exiguum maris sinum defluit. hic igitur oportet uti sit *Numicius* fluvius: de quo plura pòst dicemus. citra hunc autem ponitur â Plinio *Laurentum*. Errant itaque illi, qui hoc opidum nunc interpretantur locum, qui ab lævâ amnis ripâ vulgò dicitur *San Lorenzo*. Anastasius in vita Silvestri, qui XXXIIII fertur fuisse Romanorum papa; de donationibus loquens Constantini imperatoris; *Item sub civitate Laurentium*, inquit, *possessio Patras*. Haud dubiè hic locus est, qui, ab dextrâ Numicii ripâ paullo remotior, vulgò nunc vocatur *Paterno*. Idem auctor in Gelasio, I papâ: *Dedicavit basilicam S. Mariæ viâ Laurentinâ, in fundo Crispini, milliario ab urbe Româ vigesimo*. Credo, scriptum fuisse ab ipso Anastasio *milliario* X: quod posteà ab exscriptoribus corruptum in XX; ac tandem in ipsum vocabulum perscriptum *vigesimo*. nam ad ipsum Numicium amnem & opidulum *Patrica* XVII haud ampliùs sunt millia passuum. In Tabulâ itinerariâ, præter suprà scriptum iter, alia ab urbe ad *Laurentum* deducitur via, media inter Ostiensem & Appiam vias, cum intervallo XII millium; mendo scilicet apertissimo. ex quo documento, simulque ex eo, quòd titulus viæ Laurentinæ omissus, dilucidè adparet, negligentissimum fuisse Tabulæ exscriptorem: vel saltem, multas literas heic adeò vetustate atque situ exoletas fuisse, uti legi ampliùs nequirent. Ego censeo, numerum XVI millium, qui perperam positus est inter Ostiam & Laurentum, pertinere ad viam inter Laurentum & Romam. inter Ostiam verò & Laurentum scripta fuisse aut VI aut VII millia. Haud procul à Tiberi abfuisse *Laurentum*, testantur, inter alios, maximè Strabo atque Dionysius. quorum ille lib. V, Φασὶ δ', inquit, Αἰνείαν καταφυγεῖν εἰς Λαύρεντον, πλησίον τῶν Ὠστίων ἐπὶ Τιβέριος. Id est: *Aiunt Aeneam Laurentum adpulisse, prope Ostiam & Tiberim*. Dionysius lib. I: Κατὰ δὲ τὸν χρόνον τοῦτον Τρῶες, οἱ σὺν Αἰνείᾳ διαφυγόντες ἐξ Ἰλίου τὴν πόλεως ἁλούσης κατέσχον εἰς Λαύρεντον, αἰγιαλὸν Ἀβορίγινων, ὃς πρὸς τῷ Τυρρηνικῷ πελάγει κεῖται, ὀλίγον ἀπέχων τῶν ἐκβολῶν τοῦ Τιβέριδος. Hoc est: *Per id tempus Troiani, cum Aeneâ post captum Ilium profugi, adpulerunt Laurentum ad Aboriginum litus, quod Tyrrheno mari adluitur, haud procul Tiberis ostiis*. Et eodem libro posteà: Τελευτῶντες δὲ ἀφικνοῦνται τὴν Ἰταλίας εἰς Λαύρεντον. ἔνθα τὴν πολαίης παυσάμενοι, χάρακα ἔθεντο· καὶ τὸ χωρίον, ἐν ᾧ καθεστράποδίσαντο, ἐξ ἐκείνης Τροία καλεῖται. Id est: *Tandem ad Italiæ Laurentum perveniunt. ubi errorum fine invento, vallum excitavêre. & locus, in quo castra sunt metati, exinde Troia vocatur*. Et paullo pòst: Ὅρμῳ χρησάμενοι τῷ Λαυέντῳ, νηῶν ἐπήξαντο πρὸ τὸ αἰγιαλόν. Hoc est: *Laurentum adpulsi, territoria fixerunt per litora*. Duas simul res indicare voluisse videntur isti Græcis. nempe *Laurentum* opidum haud procul Tiberi esse; *Laurentinum* verò *agrum*, ad quem adpulisse fertur Aeneas, ad Tiberim usque pertinuisse. nam in Tiberis lævum ostium adpulisse Aeneam, ibique excitasse urbem nomine Novam Troiam, suprà ostensum est. Hinc Livius disertiùs lib. V, *Ab Siciliâ*, inquit, *classe Laurentem agrum tenuisse. Troia huic loco nomen est. Ibi egressi Troiani; ut quibus ab immenso propè errore nihil, præter arma & naves, superesset, quum prædam ex agris agerent, Latinus rex Aboriginesque, qui tum ea tenebant loca, ad arcendam vim advenarum armati ex urbe atque agris concurrunt*. Ergo etiam secundùm Livium *Laurentum* urbs haud procul à Tiberi abfuit. Dionysius eodem lib. I posteà ita scribit: Ἄλλοι δὲ ἀπὸ τῆς Σικελίας, πρῶτα τὸ Τυρρηνικὸν πέλαγος, ἐκ πολλῶν εἰς Λαύρεντον ἀφικνοῦνται, τὴν Ἀβορίγινων αἰγιαλόν, μεσόγειος. λαβόντες δὲ τὸ χωρίον, οἰκίζουσιν ἐν αὐτῷ Λαυίνιον. Hoc est: *Solventes ab Siciliâ, trajiciunt mare Tyrrhenicum: tandemque Laurentum, Aboriginum ad litus perveniunt. acceptoque illo agro, condiderunt in eo Lavinium*. Ex hac simul & ex præscriptâ Dionysii

nysii loquutione facilè quis suspicetur ipsum *litus* tunc adpellatum fuisse *Laurentum*; nullo inibi opido eius nominis exsistente. verùm *urbem* disertè heic adpellat Livius loco modò citato. cui consentiens Virgilius ita refert Aeneid. lib. VII de Aeneæ legatis, ad Latinum regem missis:

Iamque iter emensi, turreis ac tecta Latini
Ardua cernebant juvenes; muroque subibant;
Quum provectus equo longævi regis ad aureis
Nuncius, ingenteis iguotâin veste, reportat,
Advenisse viros. Ille intra tecta vocari
Imperat: & solio medius consedit avito.
Tectum augustum, ingens, centum sublime columnis,
Vrbe fuit summâ, Laurentis regia Pici:
Horrendum silvis & religione parentum.
Hinc sceptra accipere, & primos attollere fasceis,
Regibus omen erat: hoc illis curia templum;
Hæc sacris sedes epulis; heic ariete cæso,
Perpetuis soli patres considere mensis.
Quin etiam veterum effigies ex ordine avorum,
Antiquâ ex cedro; Italusque paterque Sabinus,
Vitisator; curvam servans sub imagine falcem,
Saturnusque senex, Ianique bifrontis imago,
Vestibulo adstabant; aliique ab origine reges;
Martia qui ob patriam pugnando vulnera passi.
Multaque præterea sacris in postibus arma,
Captivi pendent currus, curvæque secures,
Et cristæ capitum, & portarum ingentia claustra;
Spiculaque clypeique, ereptaque rostra carinis.
Ipse Quirinali lituo parvâque sedebat
Succinctus trabeâ; lævâque ancile gerebat
Picus, equûm domitor: quem capta cupidine conjux
Aureâ percussum virgâ, versumque venenis,
Fecit avem Circe, sparsitque coloribus alas.
Tali intus templo divûm patriâque Latinus
Sede sedens, Teucros ad sese in tecta vocavit.

Disertè heic in *urbe Laurento Pici regis*, qui Latini fuisse avus traditur, *regiam* ponit. at eodem libro, haud ita multo antè, eamdem arcem & condidisse Latinum ait & nomen ei ab *lauro* imposuisse. Verba eius hæc sunt:

Laurus erat tecti medio in penetralibus altis,
Sacra comam, multosque metu servata per annos.
Quam pater inventam, primas quum conderet arceis,
Ipse ferebatur Phœbo sacrasse Latinus:
Laurentisque ab eâ nomen posuisse colonis.

Sed hæc poëta. Veriora de eodem nomine tradidêre alii auctores. Sex. Aurelius Victor, in libro de Origine gentis Romanæ: *Inde ad eam Italiæ oram, quæ ab arbusto eiusdem generis Laurens adpellata est, Latino regnante, pervectus Aeneas.* Herodianus lib. I: ubi pestilentia ingens universam Italiam occupaverat: Τότε ὁ Κόμμοδος, συμβουλευόντων αὐτῷ ἰατρῶν, εἰς τὴν Λαύρεντον ἀνεχώρησεν· δυσψυχρότερον γὰρ τὸ χωρίον, καὶ μεσόγειος καὶ σκιερὸν δαφνηφόροις ἄλσεσιν (ὅθεν καὶ τὸ ὄνομα τῷ χωρίῳ) σωτήριον εἶναι ἐδόκει, καὶ πρὸς τὴν τοῦ ἀέρος φθορὰν αὐτάρκη ἐλέγετο, καὶ ὠδίαι τε τῶν δένδρων ἡδείας σκιάς. Hoc est: *Tum Commodus, suadentibus quibusdam medicis, Laurentum secessit. frigidior enim is locus, silvisque è lauro spacioſissimis opacus (à quo etiam inditum loco nomen) conservandæ valitudini idonea existimabatur; atque adeò aëris corruptioni resistere, tùm suavitate odoris, qui è lauris efflaretur, tum jucundâ ipsarum arborum umbrâ.* Posterioribus etiam temporibus LAVRENTINA hæc adpellata est SILVA. Iul. Obsequens in libro de Prodigiis; in consulatu M. Aemilii & Hostilii Mancini: *Quum Lanuvii auspicarentur, pulli è caveâ in silvam Laurentinam evolarunt, neque inventi sunt.* Scribe *Lavinii*.

LAVRENTINA *silva.*

nam

nam *Lanuvium* paullo longiùs aberat. tùm diſertè ſcriptum eſt apud Valer. Maximum lib. I cap. VI: *C. Hoſtilius Mancinus, quum Lavinii ſacrificium facere vellet, pulli, caveâ emiſſi, in proximam ſilvam fugerunt: ſummâque diligentiâ quæſiti, reperiri nequiverunt.* Sed quum Herodianus quoque non de opido aliquo *Laurento*, verùm de agro loqui videatur, ex aliis etiam, præter præſcripta itineraria & geographos, demonſtrandum erit auctoribus, fuiſſe id opidum, & clari nominis. Plutarchus in Romulo: Ἔτι δὲ πέμπτῳ τῆς Τατίου βασιλείας οἰκεῖοί τινες αὐτοῦ καὶ συγγενεῖς πρέσβεσιν ἀπὸ Λαυρέντων βαδίζουσιν εἰς Ῥώμην, ἐντυχόντες, καθ' ὁδὸν ἐπεχείρουν ἁρπαγῆς τὰ χρήματα βία, καὶ μὴ πεισθέντες, ἀλλὰ ἀμυνομένους ἀνεῖλον. ἔργου δὲ δεινοῦ τολμηθέντος, ὁ μὲν Ῥωμύλος οὐτιδανοὺς ἐᾶν ὡετο κολάζεσθαι σὺν ἀδικήσασιν· ὁ δὲ Τάτιος ἐξέπρασσε πᾶσαν. οἱ δὲ τῶν ἀπηγμένων οἰκεῖοι, πάσης ἐξηρτημένοι δίκης νομίμου διὰ τὸν Τάτιον, ἀποκλινούσιν αὐτὸν ἐν Λαβινίῳ, θύοντα μετὰ Ῥωμύλου, πεσοῦσι. * * Ἔνιοι δὲ συγγραφέων ἱστοροῦσι, τῷ μὲν πόλιν τῶν Λαυρεντίων Φοβηθεῖσαν ἐκδιδόναι σὺν αὐτοχείραις Τατίου, τὸν δὲ Ῥωμύλον ἀφεῖναι, φήσαντα φόνον φόνῳ λελύσθαι. Id eſt: *Anno quinto regni Tatii, familiares quidam atque propinqui eius, in legatos, à Laurento Romam proficiſcenteis, quum incidiſſent in itinere, ſpoliare eos adgreſſi ſunt: quos repugnantes ac ſeſe defendentes obtruncarunt. Romulus, facinore perpetrato tam atroci, confeſtim ſupplicio adſiciendos cenſebat auctores. Tatius rem rejiciebat, ac diſſimulabat. Cæſorum propinqui quum pœnas jure gentium per Tatium non conſequerentur, ſacrificantem cum Romulo Lavinii adorti interfecerunt.* Mox: *Alii tradunt, metu perculſos Laurenteis, Tatii percuſſores dedidiſſe. at Romulum, cæde penſatam cædem præfatum, eos noxâ ſolviſſe.* Paullo pòſt: Καὶ τοῖς τῶν Λαυρεντῶν οἰκέταις ὅμοια συνέβαινεν. id eſt: *Laurenti quoque incolis eadem acciderunt.* Et ipſe Dionyſius lib. V memorat δύο ἀδελφοὺς Ταρκυνίους, Πόπλιον καὶ Μάρκον, ἐκ Λαυρέντης πόλεως· id eſt, *duos fratres Tarquinios, Publium & Marcum, ex urbe Laurento.* Servius ad Virgilii Aeneid. lib. XI: *Cato in Originibus dicit, Troianos à Latino accepiſſe agrum, qui eſt inter Laurentum & caſtra Troiana.* Mox: *Potuit ergo usque ad Laurentum & ad Oſtiam tendi.* Valerius Maximus lib. VIII cap. VIII: *Conſtat, Scipionem & Lælium Caietæ & Laurenti vagas litoribus conchulas & umbilicos lectitaſſe.* Cicero, de Oratore lib. II; ubi Craſſum introducit ita loquentem: *Sæpè ex ſocero meo audivi, quum is diceret, ſocerum ſuum Lælium ſemper ferè cum Scipione ſolitum ruſticari: eosque incredibiliter repueraſcere eſſe ſolitos, quum rus ex Vrbe, tamquàm è vinculis, evolaviſſent. Non audeo dicere de talibus viris. ſed tamen ita ſolet narrare Scævola, conchas eos & umbilicos ad Caietam & ad Laurentum legere conſueſſe.* Tibullus lib. II eleg. V, *Laurens* vocat *caſtrum*, in his verſibus:

Impiger Aenea, volitantis frater Amoris,
Troica qui profugis ſacra vehis ratibus;
Iam tibi Laurenteis adſignat Iupiter agros;
Iam vocat erranteis hoſpita terra deos.

Et mox:

Ante oculos Laurens caſtrum murusque Lavinî eſt,
Albaque ab Aſcanio condita longa duce.

Stephani epitomator in voce Ἄντια· Ἔστι καὶ Ἄντιον πόλις, μετὰ Λαυρεντόν. Id eſt: *Eſt & Antium opidum, poſt Laurentum.* Et poſteà: Λωμεντὸς, πόλις Ἰταλίας, ὀξυτόνως, καὶ ὅσαι εἰς τον τῇ ευ συλλαβῇ θηλυκήν· ὧν καὶ Λαυρεντόν φασι, μετὰ ε ρ. Id eſt: *Lomentus, opidum Italiæ, cum adcentu acuto in ultimâ; quæmadmodùm omnes voces ſolent efferri, quæ cum penultimâ ſyllabâ ευ finiunt in τον. Nomentum* opidum in Sabinis poſteriori ſæculo dictum fuiſſe *Lomentum*; unde hodiéque vulgò vocatur *Lomentano*, & *Lamentano*: atque hinc per ſummum errorem, ſive ipſum Stephanum, ſeu breviatorem eius, exiſtiſſimaſſe, *Lomentum* & *Lorentum* eſſe unum idemque opidum; ſuprà lib. II cap. VIIII docui. Cæterùm, ut *Claudios* Romani etiam *Clodios* dixêre, & ab *plaudo* factum compoſitum *explodo*; & Romæ locus in Aventino, teſte Plinio lib. XV cap. XXX, à ſilvâ *lauri* vocabatur *Loretum*; ſic *Laurentum* quoque plerique Græci ſcripsêre *Lorentum*. Opidani ab *Laurento* dicebantur LAVRENTES, & LAVRENTINI. Ovidius Faſt. lib. II: *Eſt via, quæ populum Laurenteis ducit in agros;*
Quondam Dardanio regna petita duci.

Faſtor. lib. III: ubi de Martio menſe agit:

Quintum Laurentes, bis quintum Aequiculus acer,
A tribus hunc primum turba Forenſis habet.

Et lib. VI: *Inſpice, quos habeat Nemoralis Aricia faſtos,*
Et populus Laurens Laviniumque meum.

Virgilius Aeneid. lib. V:
——— *Liceat Laurentem attingere Tybrim.*

Et lib. VII:
Principio Latium, & Laurentis tecta tyranni
Celſa petit.

Ac poſteà, de Mezentii filio:
Filius huic juxtà Lauſus: quo pulcrior alter
Non fuit, excepto Laurentis corpore Turni.

P. Catullus Vrbicarius in Pervigilio Veneris; quod Petronio nonnulli adſcribunt:
Ipſa Troianos nepotes in Latinos tranſtulit,
Ipſa Laurentem puellam conjugem nato dedit.

Statius Silvar. lib. I carm. II:
O mihi Laurenteis inter dilecta puellas.

Et carm. III: ——— *Cedant Laurentia Turni*
Iugera.

Silvar. lib. IIII carm. II:
Qui magnum Aeneam Laurentibus intulit arvis.

Silvar. lib. V carm. II:
Ipſe ego te nuper Tiberino in litore vidi,
Quà Tyrrhena vadis Laurentibus æſtuat unda.

Livius dicto lib. I: *Ab Siciliâ claſſe Laurentem agrum tenuiſſe.* Lib. VII: *Ora litoris Antiatis Laurensque tractus & Tiberis oſtia.* Lib. VIII: *Extra pœnam fuêre, Latinorum Laurentes.* Lib. XXXVII: *Latinæ [feriæ] inſtauratæ: quòd Laurentibus carnes, quæ dari deberent, datæ non fuerant.* Apud Plinium lib. XIIII cap. III ita ſcriptum eſt: *Vinaciolam vitem ſoli nominaverunt Sabini ac Laurenti.* Omnino ego perſvaſum habeo, ſcripſiſſe ipſum Plinium, *Sabini ac Laurentini.* nam populum cum populo nominare voluit nominandi caſu. & ſic *Laurentinam ſilvam* dixêre ſuprà ſcripti Iul. Obſequens & Valer. Maximus: ſic *Laurentinas paludes* Velleius; quem mox videbimus. & Polybius lib. III, in fœdere, quod Romani, poſt exactos reges, icerunt cum Carthaginienſibus, inter alios huius litoris populos, nominat etiam τῶν Λαυρεντίνων δῆμον, *Laurentinorum populum.* At Plutarchus, ſuprà ſcripto loco in Romulo, nominat τὴν πόλιν τῶν Λαυρεντίων, *urbem Laurentiorum.* quod ne librariorum exiſtimes mendum; en ita Virgilius quoque Aeneid. lib. X:
Ac velut ille canum morſu de montibus altis
Actus aper, multos Veſulus quem pinifer annos
Defendit, multosque palus Laurentia, ſilvâ
Paſtus arundineâ.

LAVRENTINA *palus.* Ad quem locum ſic Servius: *Laurentia, pro Laurens, nam hæc eſt vera & recta derivatio.* Ergo illa minùs uſitata. Cæterùm PALVS hæc LAVRENTINA, ſive, plurali numero PALVDES LAVRENTINAE, Velleio etiam Paterculo memorantur lib. II. *Sulpicium*, inquit, *adſequuti equites, in Laurentinis paludibus jugulavêre.* In has ſeſe absconderat Sulpicius, quia arundineto, ſeu, ut Virgilius loquitur, ſilvâ arundineâ erant conſitæ. Eamdem paludem memorat poëta pòſt etiam, lib. XII; ubi Aeneas cum Rutulo pugnam init:
Campum ad certamen magnæ ſub mœnibus urbis
Demenſi Rutulique viri Teucrique parabant.

Et poſteà, quum disſiluiſſet in ſingulari certamine Turni gladius:
Ergo amens diverſa fugâ petit æquora Turnus:
Et nunc huc, inde huc, incertos implicat orbeis.
Vndique enim densâ Teucri inclusêre coronâ:
Atque hinc vaſta palus, hinc ardua mœnia cingunt.

Ad hæc Servius: *Vaſta palus. quæ nunc non adparet.* Atqui totus hic Laurens tractus ſilvis paludibus hodiè quoque invius eſt. nec deſunt apri, quos, præter Virgilium, alii etiam poëtæ celebrant. Horatius Satyrâ IIII libri II:

Vmber

Vmber, & iligná nutritus glande, rotundas
Curvat aper lanceis carnem vitantis inertem.
Nam Laurens malus est; ulvis & arundine pinguis.

Martialis lib. VIIII epigram. XLVIIII:

Inter quæ rari Laurentem ponderis aprum
Misimus: Aetolâ de Calydone putes.

Hic poëta etiam *ranas* in iisdem paludibus notavit lib. X epigram. XXXVII:

An Laurentino turpeis in litore ranas,
Et satiùs tenueis ducere, credis, acos?

Sed notandum hoc loco, quod suprà innui: nempe, quia Laurentum opidum sedes fuit habita regum Aboriginum, omne inde Latium adpellatum fuisse nonnullis Laurentem agrum. Eusebius Chron. lib. I: Πρῶτόν φασι Πῖκον, υἱὸν Κρόνου, βασιλεῦσαι χώρας Λαυρέντου λ' ἔτη· εἶναι δὲ τοῦ χώρου ἕως δ' νῦν Ῥώμης πόλεως. Id est: *Primum ferunt Picum, Saturni filium, regnasse annis* XXXVII *in Laurenti agro.* Virgilius etiam Rutulorum quoque agrum Laurenti nomini adscribit dicto lib. VII his verbis — *Excepto Laurentis corpore Turni.* Quanquàm hunc *Turnum* Latinum natione, ad Rutulos profugisse tradit Dionysius lib. I. At Virgilius, eodem libro, per anticipationem historiæ, quæ illi admodùm est familiaris, ad Novi usque Latii finem Lirim amnem, apud quem Marica dea colebatur, ut infrà suo loco ostendam, Laurens profert nomen, his versibus;

—— *Rex arva Latinus & urbeis*
Iam senior longâ placidas in pace regebat.
Hunc Fauno & nymphâ genitum Laurente Maricâ
Accipimus. Fauno Picus pater.

Hinc igitur est, quòd Pompeius Festus de Asturâ flumine, quod antiquis illis temporibus in Volscorum fluebat agro, ita tradit: *Stura* flumen in agro Laurenti est; quod quidam Asturam vocant. De cætero ipsum opidum *Laurentum* posteà dictum fuisse LAVROLAVINIVM, cùm ex Servio in Symmacho, tùm maximè ex antiquis lapidum inscriptionibus disco. Servius, in initium Virgilii Aeneid. lib. I commentans: *Italia*, inquit, *pars Europæ est. Italus enim, rex Siculorum, profectus à Siciliâ, venit ad loca, quæ sunt juxta Tiberim: & ex nomine suo adpellavit Italiam. Ibi autem habitasse Siculos, ubi est nunc Laurolavinium, manifestum est.* Exiguo pòst: *Hæc civitas tria habuit nomina. nam primùm Lavinium dicta est, à Lavino, Latini fratre: posteà Laurentum, à lauro, inventâ à Latino, dum, adepto imperio post mortem fratris, civitatem augeret. pòst Lavinium, à Laviniâ, uxore Aeneæ. Ergo aut Lavinum debuit dicere* [*Virgilius,*] *sicut dixit; aut Laurentum. Litora. Lavinium constat* VIII *milliaribus à mari remotum. nec nos debet fallere, quia dixit, Lavina litora. litus enim dicitur terra quæque mari vicina.* Et ad Aeneid. lib. VII: *Laurentum à Pico factum: ut; Laurentis regia Pici. item, à Lavino, Latini fratre, est Lavinum dictum. item, à Latino Laurentum. item, à Laviniâ Laurolavinium.* Et ad lib. VI: *Aeneas, ut Cato dicit, simul ac venit ad Italiam, Laviniam accepit uxorem, propter quod Turnus iratus, tam in Latinum quàm in Aeneam bella suscepit, à Mezentio impetratis auxiliis. Sed, ut suprà diximus, primo bello periit Latinus: secundo pariter Turnus & Aeneas. posteà Mezentium interemit Ascanius; & Laurolavinium tenuit. cuius Luvinia timens insidias, gravida confugit ad silvas; & illic enixa est Silvium. Sed quum Ascanius flagraret invidiâ; evocavit novercam; & ei concessit Laurolavinium: sibi verò Albam constituit.* Item ad lib. IIII: *Cato dicit, juxta Laurolavinium quum Aeneæ socii prædas agerent, prælium commissum; in quo Latinus occisus est; fugit Turnus; &, Mezentii auxilio comparato, renovavit prælium. qui quidem victus est ab Aeneâ; Aeneas autem pòst prælium non comparuit. Ascanius verò posteà Mezentium interemit.* Satis apertè ac manifestè *Laurentum* cum *Lavinio* confudit: quæ duo diversa voluêre esse omnes reliqui auctores opida; ut partim hactenus patuit, ampliùs verò infrà in *Lavinii* expositione patebit. *Laurentum, maritimum* seu litorale opidum, Latini fuisse regiam, quum ad hoc litus adpelleret Aeneas, præscripti testantur. *Lavinium* III millia passuum à litore ad fontem Numicii amnis Aeneam condidisse & inhabitasse, atque hinc Ascanium, filium eius, profectum, constituisse in Albano monte novam urbem Albam, innumeri penè adfirmant scriptores, quos infrà citabimus. Servius, qui scivit, *Lau-*

rentem esse idem, quod suâ ætate *Laurolavinium* diceretur; ad hoc verò persvasum habuit, *Lavinium* & *Laurolavinium* unum idemque esse opidum; hoc vocabulum narrationibus Catonis inseruit. Apud Virgilium Aeneid. lib. III ita in Epiro Helenus Aeneæ vaticinatur:

Quum tibi solicito secreti ad fluminis undam,
Litoreis ingens inventa sub ilicibus sus,
Triginta capitum fœtus enixa jacebit,
Alba, solo recubans, albi circùm ubera nati;
Is locus urbis erit; requies ea certa laborum.

Ad hunc locum ita Servius: *Is locus urbis erit. id est, in ipsâ regione. nam & Lavinium & Alba longè à litore sunt.* Nempe, *Lavinium*, ut suprà dixit, VIII *milliaribus*. Sed ex hoc intervallo quàm clarissimè adparet, & *Lavinium*, & *Laurolavinium* seu *Laurentum*, & *Lanuvium* pro uno eodemque eum accepisse opido. nam *Lanuvium*, quod nunc vulgò dici *Cività Lavina* & *Cività Indovina*, pòst docebo, VIII circiter à mari abest passuum millia. Id jam illius ætate falso hoc nomine adpellatum fuisse, suspicari hinc licet. nec equidem dubitem, quin *Alban* heic intellexerit id opidum, quod, ut hodiè, ita jam suo ævo dicebatur *Albanum*; ut infrà indicabitur. Sed de *Laurolavinio* alii etiam producendi sunt auctores. In Frontini libro de Coloniis ita scriptum est: *Laurolavinium lege & consecratione veteri manet. Ager eius ab imperatoribus Vespasiano, Traiano, & Hadriano, in laciniis est adsignatus.* Opidani inde dicti fuêre LAVRENTES LAVINATES. Symmachus lib. I epist. LXV: *Cæcilianum, virum honestum, Laurentium Lavinatium defensorem, susceptum commendat officium.* Lapidum inscriptiones complures reperiuntur eamdem adpellationem referentes. ex uno atque altero testimonia heic citabimus.

Laude Pompeiâ:

Q · MANILIVS · PHILVMENVS
SACERD · LAVR · LAVIN

Romæ:

LAVRENS · LAVINAS

Fulginii:

FLAMINI
LVCVLARI · LAVREN · LAVINA
PATRONO · ET · DECVRIONI · CO
LONIAE

Aretii:

AVGG · NN · * LAVR · LAVIN
ORDO ARRETINORVM

Verùm hæc omnia ad *Laurentum* opidum spectare, hæc maximè adfirmat inscriptio, quæ Romæ in regione Transtiberinâ reperta:

DIVO · ANTONINO · AVGVSTO
SENATVS · POPVLVS · QVE · LAVRENS
QVOD · PRIVILEGIA EORVM NON MODO
CVSTODIERIT · SED · ETIAM · AMPLIAVERIT
CVRATORE · MANIO · SABINO · LIBONE · C · V
CVRANTIBVS · TI · IVLIO · NEPOTIANO
ET · P · AEMILIO · EGNATIANO · PRAEF
Q · Q · LAVRENTIVM · LAVINATIVM

Nihilo minùs tamen simpliciter etiam tunc *Laurentum* adpellatum fuisse opidum & opidanos *Laurentes*, ex his patet lapidibus; Romæ itidem exstantibus:

PROCVRATOR · FORMIS · FVNDIS
CAIETAE · PROCVRATOR
LAVRENTI

DECVRIONI · LAVRENTIVM

Rationem autem, quare postmodùm *Laurento* compositum hoc inditum fuerit vocabulum, planè nullam dispicere queo, nisi quòd ab exhausto plurimâ parte *Lavinio* reliquum incolarum huc traductum fuisse videtur; quum & ipsum Laurentum magnâ parte esset vacuum. Lucanus lib. VII:

—— *Gabios*

——— *Gabios Veiosque Coramque*
Pulvere vix tectæ poterunt monstrare ruinæ,
Albanosque lares Laurentinosque penates.
Rus vacuum: quod non habitet, nisi nocte coactâ
Invitus, questusque Numam jussisse, senator.
Non ætas hæc carpsit edax, monumentaque rerum
Putria. destituit crimen civile. videmus
Tot vacuas urbes.

Narrant porrò fabulæ de Aeneâ; postquàm pacem atque fœdus cum Aborigi- LAVINIVM
num rege Latino ad Laurentum icerit: acceptâ in uxorem filiâ eius, profectum *opidum.*
inde haud procul, novam condidisse *urbem*, cui vocabulum ex uxoris *Laviniæ* nomine imposuerit LAVINIVM. Id equidem opidum multis sæculis pòst exstitit. memoraturque compluribus auctoribus: quorum verba citabimus, quò situm eius inde eruere queamus. sed priori loco fabulæ erunt excutiendæ. Virgilius igitur Aeneid. lib. III vaticinium fingit de urbe condendâ Aeneæ redditum ab Heleno in Epiro in hæc verba:

Quum tibi sollicito secreti ad fluminis undam
Litoreis ingens inventa sub ilicibus sus,
Triginta capitum fœtus enixa jacebit
Alba, solo recubans; albi circùm ubera nati;
Is locus urbis erit; requies ea certa laborum.

Sub initium autem libri VII adpulsum eius in Tiberis ostium narrat his verbis:

Atque hèic Aeneas ingentem ex æquore lucum
Prospicit. hunc inter fluvio Tiberinus amœno
Vorticibus rapidis & multâ flavus arenâ
In mare prorumpit.
Flectere iter sociis terræque advertere proras
Imperat: & lætus fluvio succedit opaco.
* ——— *Laomedontia pubes*
Gramineo ripæ religavit ab adgere classem
Aeneas, primique duces, & pulcher Iulus,
Corpora sub ramis deponunt arboris altæ;
Instituuntque dapes; & adorea liba per herbas
Subjiciunt epulis; (sic Iupiter ipse monebat)
Et cereale solum pomis agrestibus augent.
Consumptis hèic fortè aliis, ut vertere morsus
Exiguam in Cererem penuria adegit edendi,
Et violare manu malisque audacibus orbem
Fatalis crusti, patulis nec parcere quadris;
Heus, etiam mensas consumimus, inquit Iulus.
Nec plura adludens. ea vox audita, laborum
Prima tulit finem: primamque loquentis ab ore
Eripuit pater; ac, stupefactus numine, pressit.
Continuò, Salve fatis mihi debita tellus;
Vosque, ait, ô fidi Troiæ salvete penates.
Heic domus, hæc patria est. genitor mihi talia namque
(Nunc repeto) Anchises fatorum arcana reliquit:
Quum te, nate, fames ignota ad litora vectum
Adcisis coget dapibus consumere mensas,
Tum sperare domos defessus; ibique memento
Prima locare manu molirique adgere tecta.
.. *Ipse humili designat mœnia fossâ;*
Moliturque locum; primasque in litore sedeis,
Castrorum in morem, pinnis atque adgere cingit.

Mox legati Aeneæ ita apud Latinum regem loquuntur:

Sed nos fata deûm vestras exquirere terras
Imperiis egère suis. hinc Dardanus ortus;

Huc repetit: jussisque ingentibus urget Apollo
Tyrrhenum ad Tybrim & fontis vada sacra Numici.

Deinde sub initium libri VIII ita pergit poëta de Aeneâ:

Nox erat, & terras animalia fessa per omneis
Alituum pecudumque genus sopor altus habebat,
Quum pater in ripâ gelidique sub aetheris axe
Aeneas, tristi turbatus pectora bello,
Procubuit, seramque dedit per membra quietem.
Huic deus ipse loci fluvio Tiberinus amœno,
Populeas inter senior se attollere frondeis
Visus.
Tum sic adfari, & curas his demere dictis:
O sate gente deûm, Troianam ex hostibus urbem
Qui revehis nobis, aeternaque Pergama servas;
Exspectate solo Laurenti arvisque Latinis:
Heic tibi certa domus, certi, me absiste, penates,
Non belli terrêre minis. tumor omnis & irae
Concessêre deûm.
Iamque tibi, ne vana putes haec fingere somnum,
Litoreis ingens inventa sub ilicibus sus,
Triginta capitum fœtus enixa, jacebit
Alba, solo recubans; albi circum ubera nati.
Hic locus urbis erit, requies ea certa laborum.
Ex quo ter denis urbem redeuntibus annis
Ascanius clari condet cognominis Albam.

Svadet hinc Tiberinus pater Aeneæ, uti ad Euandrum, Palantium incolentem, proficiscatur, eumque in societatem belli contra Aborigines trahat. Itaque Aeneas,

——— *Geminasque legit de classe biremeis,*
Remigioque aptat; socios simul instruit armis.
Ecce autem subitum atque oculis mirabile monstrum;
Candida per silvam cum fœtu concolor albo
Procubuit, viridique in litore conspicitur sus.
Quam pius Aeneas, tibi enim, tibi, maxima Iuno,
Mactat, sacra ferens, & cum grege sistit ad aram.

Continuo hinc navigantem fingit adverso flumine ad Euandrum. Servius ad præscriptum libri III locum ita commentatur: *De hac sue alii dicunt, secundum Virgilium, quòd in Italiâ inventa sit: alii, quòd secum eam, more navigantium, Troiani portaverint: & ex oraculo cognoverint, ibi esse condendam civitatem, ubi sus illa post fugam fuisset inventa. Dicitur igitur in Campaniam fugisse; & inventam in Laurolavinio. à qua Ascanius pòst Albæ nomen imposuit. Is locus urbis erit. id est, in ipsâ regione. nam & Lavinium & Alba longè à litore sunt.* Intelligit *Campaniam* sui sæculi; quæ plurimam partem Latii etiam comprehendebat. *Laurolavinium* autem idemque *Lavinium*, per summum errorem *Lanuvium* esse putavit; ut mox infrà videbimus. Cæterùm de eisdem Aeneæ rebus ita narrat Dionysius Halicarnassensis lib. I: Καθ' ὃν χρόνον τῶν Τρῶες οἱ σὺν Αἰνείᾳ, διαφυγόντες ἐξ Ἰλίου τὴν πόλεως ἁλούσης, κατέσχον εἰς Λώρεντον, αἰγιαλὸν Ἀβορίγινων, ὅπῃ τῷ Τυρρηνικῷ πελάγει κείμενον. ἀ πρόσω τῶν ἐκβολῶν ὁ Τιβέρις. λαβόντες δὲ παρ' αὐτῶν Ἀβορίγινων χωρίον εἰς οἴκησιν, καὶ ὅσα ἠξίουν, πολίσαντες μικρὸν ὑποχώριοι ὑπὸ θαλάττης, ὅπῃ λόφῳ ἔνι, Λαυίνιον ὄνομα τῇ πόλει θέμενοι. ὀλίγῳ δ' ὕστερον χρόνῳ τῶν ἀρχαίων ἀλλάξαντες ὀνόματα, ἅμα τοῖς Ἀβορίγισι ἀπὸ βασιλέως τῆς χώρας Λατῖνοι ὠνομάσθησαν. καὶ μεταναστάντες ἐκ Λαυινίου, κοινῇ μετὰ τῶν ὁπηχωρίων μείζονα συνέβαλλον πόλιν, ἣν Ἄλβαν ἐκάλεσαν. Id est: *Per id tempus Troiani, cum Aeneâ post captum Ilium profugi, adpulerunt Laurentum, Aboriginum litus, quod mari Tyrrheno adluitur, haud longè ab ostio Tiberis. acceptoque ab Aboriginibus ad habitandum agro & quidquid petierant; opidum condunt non longè à mari, in quodam colle, nomine Lavinium. nec ita multo pòst, vetere adpellatione mutata, unà cum Aboriginibus à regionis rege Latini nuncupati sunt. & relicto Lavinio, simul cum indigenis maiorem urbem muniverunt, quam Albam nominarunt.* At eodem libro infrà, postquàm de erroribus Aeneæ narravit, in idem tandem Laurens

rens litus eum deducit. Τελευτῶντις ἦ, inquit, ἀφικνεῖ τὴ Ἰπελίας εἰς Λώρεντον· ἔνθα τῆς πλάνης παυσάμενοι, χάρακα ἔθεντο· ἐ τὸ χωρίον, ἐν ᾧ καλεσεραπεδεύσαντο, ἐξ ἐκείνε Τροία καλεῖται. ἀπέχει δὲ τὴ θαλάττης ἀμφὶ σὺν πέντε σταδίες. Id est: *Tandem ad Italiæ Laurentum perveniunt. ubi, errorum fine invento, vallum excitarunt. & locus, in quo castra metati sunt, exinde Troia vocatur, distans à mari circiter stadia* IIII. Hinc de dapibus & mensis comestis, quæ Virgilius refert, iisdemque penè tradit verbis: quibus hæc subnectit; Ἦν γάρ τι θέσφατον αὐτοῖς, ὁ ἔφερσε πλεῖν ὅπῃ σιτεμῶν Ἠλίε, ἕως αὖ εἰς τοῦτο τὸ χωρίον ἔλθωσιν, ἐν ᾧ καταδῦναι τὰς τραπέζας· ὅταν δὲ τοῦτο μάθωσι γενόμενον, ἡγεμόνα πλερόπoδα πεισαμένες, ὅπε αὖ κάμῃ τὸ ζῶον, ἐντεῦθεν δείμασθαι πόλιν. Τοῦτο δὴ τὸ θεοπρόπιον ἀναμνησθέντις, οἱ μὲν τὰ ἕδη τῶν θεῶν, Αἰνείᾳ κελεύσασι, εἰς τὸ ὑποδειχθὲν χωρίον ἐκ τῆ νεὼς ἐξέφερον, οἱ δὲ βάθρα καὶ βωμοὺς κατεσκεύαζον αὐτοῖς, αἱ δὲ γυναῖκες ὁλολυγῇ τε χορείαις χρώμεναι, παρεκόμιζον τὰ ἱερά· οἱ δὲ ἀμφὶ τὸν Αἰνείαν, τεθρασκευασθείσης θυσίας, ἔχοντις σὺν στεφάνοις, περὶ τὸν βωμὸν ἔστησαν. ἐν ᾧ δέ τοι τὰς εὐχὰς ἐποιήσαντο ἡ μέλλουσι καθιερεύεσθαι ὗς, ἐγκύμων ἔσα, καὶ ἐπὶ τόκῳ, καθαρχομένων αὐτῆς τῶν ἱερέων, Δεισιδαιμὼν τε ὀποφυγοῦσα σὺν κατοχῇσας, κατὰ θαλάττης ἔθη. Αἰνείας δὲ μαθὼν, ὅτι παῦλαν ἄρα τὴν πλερόπoδα ἡγεμόνα τὸ θέσφατον αὐτοῖς ἐδήλε, παρηκολούθει σὺν ὀλίγας μικρὸν ἐπολιπόμενον· δεδοικὼς μὴ ἐπὶ φορύβῳ τῶν διωκόντων ὑποτραπείη τὸ τῦ δαίμονα ὁδόν· καὶ ἡ μὲν ἀμφὶ σὺν εἰκοσι καὶ πέντε σταδίες ἀπὸ θαλάττης διελθοῦσα, λόφον ἵνα περιανατέχει, ἔνθα ἐπὶ καμάτῳ μοχθήσασα καθέζετο. * — * · Τῇ δ' ἑξῆς ἡμέρᾳ τελάντων λέγε) χοίρας ἡ ὗς πεκεῖν· καὶ τεσσάρτοις ἐναυτοῖς ὕστερον ἐπὶ Τρώων ἐτέρων κλυθῶσαι πόλιν, κῦ τὸ θέσφατον, ὑπὲρ ἧς ἐν οἰκείῳ τόπῳ Δαλέξομαι. Αἰνείας δὲ τὸ μὲν ὗος τὸ τόκον ἅμα τῇ γενομένῃ τοῖς πατρῴοις ἀγίζει θεοῖς ἐν τῷ χωρίῳ τῷδε, ὅ νῦν ἐστιν ἡ καλιά· καὶ αὐτίκα οἱ Λαβίνιάται τοῖς ἄλλοις ἄβατον φυλάττοντις, ἱερὰν νομίζεσι. τοῖς δὲ Τρωσὶ μεταστρατοπεδεῦσαι κελεύσας ὅπῃ τὸ λόφον, ἰδρύε) τε ἕδη τῶν θεῶν ἐν τῷ κρημνῷ, καὶ αὐλίκα περὶ τὴν καταστολὴν ἐ πλίσμαλο· ἀπέσῃ περιθυμία ὥρμητο, ἐλάμβανέ τι καθαίων ἐκ τῆ πέριξ χωρίων ὁπόσα εἰς τὴν πλισμὸν αὐτῷ χρήσιμα, ἐ μάλιστα ἐμελλε λυπεῖν τοῖς ἀφαιρεθεῖσι φανήσαδε, σίδηρον ἐ ξύλα καὶ τὰς γεωργικὰς σκευάς. * · Heic exercitum contra eos educit Latinus rex. sed fine prœlio pax & fœdus inter eos constituitur. Σωθέντοι ἦ ταῦτα, καὶ πίκων ὁμηρείας τὰς πίστις βεβαιώσαντις, κοινῇ στρατεύσιν ἐπὶ τὰς πόλις τῆ Ῥωτύλων. οἱ ὀλίγῳ δὲ πεκεῖ πέντε χιλιοπόλιοι, παρῆσαν ἐπὶ τὸ πόλισμα τὸ Τρωϊκὸν ἡμιπλεθρον· καὶ μιᾷ περιθυμίᾳ πάντις χρώμενοι, πίζεσιν αὐτό. ὄνομα ἦ τῷ κλίσματι Αἰνείας πθετο Λαβίνιον· ὡς μὲν αὐτοὶ Ῥωμαῖοι λέγεσιν, ἀπὸ τῆ Λαβίνε θυγατρὸς, ἣ Λαβίνα εἶναί φασι τέκνον· ὡς δ' ἄλλοι ἐνίες τῆ Ἑλλήνων μυθογεγράφων ἔλεξαν, ἀπὸ τῆ Λαβίνε θυγατρὸς, τῆ Δήλε βασιλέως θυγατρὸς Λαβίνας καὶ τῆδε ὀνομαζομένης· ἧς ἀποθανέσης νόσῳ περὶ τὸν οἰκισμὸν τῆ πόλεως πρώτης, καὶ ἐν ᾧ ἔκαμε χωρίῳ ταφείσης, μνῆμα θέσθαι τῇ πόλιν. συμπαλεῦσαι δ' αὐτῇ τοῖς Τρωσὶ λέγε), δοθεῖσαν ἐπὶ ἔ πατρὸς Αἰνείᾳ γενηθέντι, μαλακῷ ἔσαν καὶ σοφῷ. Hoc est: *Acceperant enim quoddam oraculi responsum, quo jubebantur navigare in occidentem versùs, donec eò locorum pervenirent, ubi mensas comederent: quod simul atque factum animadvertissent, quadrupedis ductu, ubicumque fessa procubuisset animans, ibi condere opidum. Huius oraculi tunc recordantes; alii penateis è navi in præmonstratum locum Aeneæ jussu efferunt; alii scabella eis & aras adornant: mulieres sacra cum jubilatu & choreis adferunt. at Aeneas & comites, paratis omnibus ad sacrificium, sertis redimiti consistunt circùm altaria. Interea dum hi vota faciunt, porca destinata ad victimam, gravida tunc & partui propinqua, occipientibus eius immolationem sacrificis, proripit se excussis vinculis, & mediterranea cursu petit. Sensit Aeneas, hanc utique quadrupedem ducem designasse oraculum: eamque cum paucis modico intervallo subsequitur; veritus, ne insectationis strepitu territam à viâ fatali averteret. Illa fermè* XXIIII *stadia à mari digressa, in collem quemdam procurrit; ibique fessa quievit.* Aliquanto post: *Posterâ die suem* XXX *porcellos esse enixam, dicitur: & post totidem annos Troianos aliam urbem condidisse, juxta oraculum: de qua suo loco dicemus. Aeneas fœtum suis, unà cum matre, diis penatibus immolat eo loco, ubi nunc est casa lignea, quam Lavinienses sacram habentes, cæteris inaccessam servant. jussisque Troianis in collem movere castra, deorum simulacra in opportunissimo colles loco statuit: continuóque opidum ædificare maximâ celeritate adgreditur; excurrens in circumvicina, & conquirens quidquid ad urbis ædificationem usus postularet; non sine agrestium indignatione ferrum & ligna instrumentaque rustica auferens.* Heic exercitum contra eum educit Latinus. sed citra pugnam pax atque fœdus inter eos convenit. *Hæc itaque pacti, datis ultro citroque obsidibus, communibus opibus expeditionem in Rutulos faciunt; brevique captis omnibus eorum opidis, revertuntur ad semiperfectum Troianorum opidum; & pari id omnes alacritate muniunt. nomen ei Aeneas indidit Lavinium; ut ipsi*

Romani

Romani perhibent, à Lavinâ, Latini filiâ: ut Græci quidam fabularum scriptores tradunt, ab Annii, Deliorum regis, filiâ, & ipsâ Lavinâ dictâ. in cuius memoriam, morbo per id tempus exstinctæ, ibique sepultæ, opido vocabulum aiunt impositum. hanc Aeneæ precibus impetratam à patre, navigationis comitem Troianis fuisse tradunt; quòd sapiens esset ac fatidica. De eisdem fabulis ita narrat Sex. Aurelius Victor in libro de Origine gentis Romanæ: *Inde ad eam Italiæ oram, quæ ab arbusto eiusdem generis, Laurens adpellata est, Latino regnante, pervectum Aeneam cum patre Anchisa filioque & cæteris suorum, navibus egressum in litore adcubuisse; consumptoque quod fuerat cibi, crustam etiam de farreis mensis, quas sacratas secum habebat, comedisse. tum Anchisâ conjiciente, illam esse miseriarum errorisque finem; (quidpe meminerat, Venerem sibi aliquando prædixisse, quum in externo litore, esurie compulsi, sacratas quoque mensas invasissent, illum condendæ sedis fatalem locum fore) scrofa etiam inciens quam è navi produxissent, ut eam immolarent, se ministrorum manibus eripuisset; recordatum Aeneam, quòd aliquando ei responsum esset, urbi condendæ quadrupedem futuram ducem, cum simulacris deorum penatium prosequutum; atque illum, ubi illa procubuit, enixaque est porculos* XXX, *ibidem auspicatum;* ..... [desunt quædam] *postquàm* .... [hæc etiam nonnihil deest] *Lavinium dixit: ut scribit Cæsar lib.* I, *& Lutatius lib.* II. *At verò Domitius lib.* I *docet, sorte Apollinis Delphici monitum Aeneam, ut Italiam peteret; ubi duo maria invenisset, prandiumque cum mensis comesset, ibi urbem uti conderet. Itaque egressum in agrum Laurentem, quum paululum à litore processisset, pervenisse ad duo stagna aquæ salsæ, vicina inter se; ibique quum se lavisset, ac, refectus cibo, quum apium quoque, quod tunc vice mensæ substratum fuerat, consumpsisset: existimantem, procul dubio illa esse duo maria; quòd in illis stagnis aquæ marinæ species esset: mensasque, quæ erant ex stramine apii, comestas; urbem in eo loco condidisse; eamque, quòd in stagno laverit, Lavinium cognominasse. tum deinde à Latino, rege Aborigînum, data ei, quæ incoleret, jugera quingenta. At Cato in origine generis Romani ita docet: Suem* XXX *porculos peperisse in eo loco, ubi nunc est Lavinium. quumque Aeneas ibi urbem condere constituisset; propterque agri sterilitatem metueret: per quietem ei visa deorum penatium simulacra, adhortantium, ut perseveraret in condendâ urbe, quam cœperat. nam post annos totidem, quot fœtus illius suis essent, Troianos in loca fertilia atque uberiorem agrum transmigraturos, & urbem clarissimi nominis in Italiâ condituros.* At paullo antè, ubi ex Lutatio, Romano scriptore, errores recitat: *Pervectumque ad insulam Delum: atque illinc ab eo Laviniam, Annii, sacerdotis Apollinis, filiam, in matrimonium adscitam; ex cuius nomine Lavinia litora adpellata.* En, ut inexplicabilium de Aeneæ in Italiam adpulsu fabularum nullus est finis. Atque omnia κῦ δαίμονα, ut inquit Dionysius, id est, *deorum instinctu atque actu* facta esse oportet. quis enim aliàs temerè crederet, scrofam XXX porcellis gravidam uno continuo curriculo ad XXIIII stadia, id est, millia passuum III cucurrisse in collem usque Lavinienſis opidi; ubi tandem fessa quieverit. Virgilius autem longè immanius adstruere cœpit mendacium; à Tiberis usque ripâ in Lavinii opidi locum suem acturus. qui tamen, ut Romanæ urbis *inquilinus*, ignorasse minimè debuit, ubi is esset in hoc litore locus, qui ab Aeneæ escensu *Troia* suâ etiam tunc ætate dicebatur; teste & ipso simul & Livio ac Dionysio. Plerique igitur auctorum propius *Laurentum* opidum & ad *Numicium* amnem Aeneam deduxisse videntur: à quo litore ad *Lavinium* III erant millia passuum. Zonaras Annal. lib. II: Καὶ περσέρχε ὁ Αἰνείας Λαυρέντῳ κῦ τ Νομίκιον παμὸν, ἔνθα κῦ ἡ ὀὴ ἱερὸς πόρος λέγε) ᾠδησκυάζεδς ποιησαδς τὼ κατοίκησιν· ὁ ὴ τ χώρας ἄρχων Λατῖν ἀπέρχε τῷ Αἰνεία τ ἐν τῇ χώρᾳ καθίδρυσιν· ἐ συμβαλὼν ἡττᾶτ. εἶτα δ' ὀνείρατων, φανέντων ἀμφοῖν, καταλλάττοντ· ᾗ τ κατοικήσεως αὐτῶ ᾠδᾳ χωρεῖ· ἐ τ θυγατέρα Λαβινίαν εἰς γάμον ἐκδίδωσιν· ἔνθα πόλιν ὁ Αἰνείας οἰκοδομήσας, ὠνόμασε Λαβίνιον. Hoc est: *Ad Laurentum Aeneas juxta Numicium fluvium adpulit: ubi ex oraculi quodam responso considere voluit. quod eius loci rex Latinus prohibiturus, commisso prælio vincitur. deinde per somnia, quæ utrique viderant, reconciliati sunt. ac Latinus, concesso habitandi loco, filiam etiam Laviniam Aeneæ in matrimonium collocat: de cuius nomine Aeneas urbem à se conditam Lavinium adpellavit.* Hæc somnia Dionysius quoque suprà dicto lib. I enarrat. Certè, quòd Aeneas, qui jam antè ad *Avernum* lacum, & *Misenum* promontorium, & proximè ad *Caietam* adpulsus fertur, cum tantillâ manu, cui IO jugera, ut ex Domitio refert præscriptus Sex. Aurelius Victor, & ex Heminâ Solinus cap. VIII, vel, ut plurimum ex Catonis Originibus tradit ad Virgilii Aeneid. lib. XI Servius, IOCC, jugera ausus

sit

sit non tantùm in Aboriginum, validæ gentis, litus escendere, sed & castra ac novum opidum proximè Latini regis regiam, Laurentum urbem, moliri, id etiam nisi κῦ δαίμονα factum concedas, planè incredibile cuivis sanæ mentis homini fiet. Varro Terentius de Lingvâ Latinâ lib. IIII ita tradit: *Opidum, quod primum conditum in Latio stirpis Romanæ, Lavinium: nam ibi dii penates nostri. hoc à Latini filiâ; quæ, conjuncta Aeneæ, Lavinia adpellata. Hinc post* XXX *annos opidum alterum conditur Alba. id ab sue Albâ cognominatum. hæc è navi Aeneæ quum fugisset Lavinium,* XXX *parit porcos. ex hoc prodigio post Lavinium conditum annis* XXX *hæc urbs facta.* Et Rusticar. rer. lib. II cap. IIII: *Parere tot oportet porcos, quot mammas habeat. si minùs pariat; fructuariam idoneam non esse. si plureis pariat; esse portentum. in quo illud antiquissimum fuisse scribitur, quòd sus, Aeneæ Lavinii* XXX *porcos peperit albos. itaque, quod portenderit, factum* XXX *annis, ut Lavinienses condiderint opidum Albam. Huius suis ac porcorum etiam nunc vestigia adparent Lavinii: quòd est simulacra eorum ahenea etiamnunc in publico posita, & corpus matris ab sacerdotibus, quòd in salsurâ fuerit, demonstratur.* Credo sanè tam certam horum opidorum habuisse Romanos originem, quàm corpus suis Aeneæ in salsurâ. At de Aeneæ ad Numicium amnem adpulsu, Virgilius quoque apud alios auctores legerat. unde illi hæc prolata verba lib. VII:

——— Iussisque ingentibus urget Apollo
Tyrrhenum ad Tybrim & fontes vada sacra Numici.

Et item anteà:

Postera quum primò lustrabat lampade terras
Orta dies, urbem & fineis & litora gentis
Diversi explorant. hæc fontis stagna Numici;
Hunc Tybrim fluvium: hoic forteis habitare Latinos.

Mirum sanè, de incolis huius litoris neque apud *Misenum* neque apud *Caietam* exploraſſe Aeneam; qui tam prudens tamque solers perhibetur dux fuisse. Cæterùm Strabo lib. V ita tradit: Φασὶ δὲ, Αἰνείαν καταράξαντα εἰς Λαύρεντον, ἡϊόνα μικρὸν ὑπὲρ τῆς θαλάττης, ὅσον ἐν πέμπτῃ ἡμέρᾳ εἴκοσι σταδίους, κλίναι πόλιν· ἐπελθόντα δὲ Λατῖνον, τὸν τῶ Ἀβορίγινων βασιλέα, συμμάχοις χρήσασθαι τοῖς περὶ τὸν Αἰνείαν διὰ τὸν ὑπονοοῦντας Ῥουτύλους, Ἀρδέαν κατέχοντας. νικήσαντα δὲ, δοῦναι τὴν θυγατέρα Λαβινίαν ἐπώνυμον κλίναι πλησίον πόλιν. Hoc est: *Ferunt, Aeneam Laurentum adpulisse; atque in orâ maritimâ, ad* XXIIII *circiter stadia ab mari, opidum condidisse. inde Latinum, Aborigínum regem, superveníssse, Aeneæque auxilio usum adversùm finitimos Rutulos, Ardeam incolentes. partâque victoriâ urbem propè condidisse, Laviniæ filiæ cognominem.* Ex his equidem Strabonis verbis, duo opida, alterum ab Aeneâ, ab Latino alterum, condita fuisse, disertè intelligitur. verùm Dionysii præscriptum locum legisse eum haud dubitem. quum autem de altero illo apud Tiberis ostia opido, quod & ipsum, ut suprà ostensum, stadia circiter XXIIII, id est, millia passuum III, à mari distabat, apud alios legisset auctores; duo ista, *Troiam novam* & *Laviniam*, in unum confudit. Intereà tamen cum Dionysio probè concinit super intervallo tot stadiûm inter mare & Lavinium opidum.

NVMICIVS *amnis.*

NVMICIVS, seu, (utrumque enim usurpatur) NVMICIVS *amnis*, ab omnibus pariter ponitur auctoribus apud *Lavinium*. Plinius lib. III cap. V; *Ostia colonia; opidum Laurentum, Lucus Iovis indigetis, amnis Numicius, Ardea.* Livius lib. I: *Secundum inde prælium Latinis, Aeneæ etiam ultimum operum mortalium fuit. Situs est, quemcumque eum dici jus fasque est, super Numicum flumen. Iovem Indigetem adpellant.* Dionysius dicto lib. I: Μάχης δὲ γενομένης καρτερᾶς, ἐ πόσω δ' Λαβινίᾳ, ἢ πολλῶν ἐκατέρωθεν ἀπολομένων, τὰ μὲν τραυμάτα νυκτὸς ἐπελθούσης διελύθη, τὸ δὲ Αἰνείᾳ σῶμα φανερὸν ἐδαμῇ γενόμενον, οἱ μὲν εἰς θεὸς μεταστῆσαι ἔλεγον, οἱ δ' ἐν τῷ ποταμῷ, παρ' ὃν ἡ μάχη ἐγένετο, ἀφανισθῆναι. καὶ αὐτῷ κατασκάπτειν οἱ Λατῖνοι ἡρῶον, ἐπιγραφὴν ποιᾶδε κοσμήσαντες· Πατρὸς θεοῦ Ἰνδιγέτου, τοῦ ποταμοῦ Νομικίου ῥεύματα δίπτα. Hoc est: *Pugnatum igitur est acriter, haud procul Lavinio. multisque utrimque desideratis, nox tandem prælium diremit. Corpus Aeneæ quæsitum quum nusquàm compareret; alii conjectabant, ipsum migrasse ad deos; alii, necatum in amne, apud quem pugnatum erat. Latini sacellum tamquàm heroi dicaverunt, cum inscriptione huiusmodi:* PATRIS · DEI · INDIGETIS · QVI · NVMICII · AMNIS · VNDAS · TEMPERAT. Victor Aurelius, in dicto libro de Origine gentis Romanæ, hæc è Calpurni Pisonis monimentis citat: *Tunc Aeneam, quòd copiis inferior erat, multis rebus, quæ necessariò tuendæ erant, in urbem comportatis, castra sub Lavinio collocasse. præpositoque*

LVCVS IOVIS INDIGETIS.

positoque his filio Euryleone; *ipsum, electo ad dimicandum tempore, copias in aciem produxisse, circa Numici fluminis stagnum. ubi quum acerrimè dimicaretur, subitis turbinibus infuscato aëre, repentè cœlo tantum imbrium effusum, tonitrubus etiam consequutis, flammarumque fulgoribus, ut omnium non oculi modò præstingverentur, verùm etiam mentes quoque confusæ essent. quumque universos utriusque partis dirimendi prœlia cupiditas incessisset; nihilo minùs in illâ tempestatis subitæ confusione interceptum Aeneam nusquàm deinde comparuisse*. *Traditur autem, non prævisо, quòd propinquus flumini esset, ripâ depulsum fortè in fluvium decidisse; atque ita prœlium diremptum. dein pòst, apertis fugatisque nubibus, quum serena facies effulsisset; creditum est, vivum eum cœlo adsumptum. Idemque tamen pòst ab Ascanio & quibusdam aliis visus adfirmatur super Numici ripam, eo habitu armisque, quibus in prœlium processerat. quæ res immortalitatis eius famam confirmavit. Itaque illi eo loco templum consecratum: adpellarique placuit Patrem Indigetem.* Solinus cap. VIII: *Nec omissum sit, Aeneam, æstate ab Ilio capto secundâ Italicis litoribus adpulsum, ut Hemina tradit, sociis non ampliùs sexcentis, in agro Laurenti posuisse castra: ubi tribus mox annis cum Latino regnat sociâ potestate, quingentis jugeribus ab eo acceptis. quo defuncto, summam biennio adeptus apud Numicum adparere desiit: annoque VII Patris Indigetis ei nomen datum.* Hinc illud etiam Virgilii, per anticipationem historiæ, lib. VII: ubi Aeneæ legati Latinum regem sic adloquuntur:

——— *Iussisque ingentibus urget Apollo*
Tyrrhenum ad Tybrim & fontis vada sacra Numici.

Et lib. XII Iupiter Iunonem sic adfatur:

Indigetem Aeneam, scis ipsa, & scire fateris,
Deberi cœlo.

Ad quem locum ita Servius: *De Aeneâ fabula talis est. Quum, Turno occiso, & acceptâ Laviniâ, & conditâ civitate, in Numicum fluvium (ut alii volunt, sacrificans; ut alii, Mezentium, ut alii, Messapum fugiens) cecidisset: nec eius esset cadaver inventum: Ascanius, filius eius, victo Mezentio, cum cæteris Troianis credens & jactitans, inter numina receptum, sive patrem volens consecrare; templum constituit, quod Dei Indigetis adpellare jussit.* Tibullus lib. II eleg. V:

Impiger Aenea, volitantis frater Amoris;
Troïca qui profugis sacris vehis ratibus:
Iam tibi Laurenteis adsignat Iupiter agros;
Iam vocat erranteis hospita terra deos.
Illic sanctus eris, quum te veneranda Numici
Vnda deum cœlo miserit Indigetem.

Sed è Dionysio & Aurelio Victore maximè patet, fuisse *Lavinium* ad *Numicum* amnem. In colle fuisse situm, idem testatur Dionysius. hinc rectè Victor; *Aeneam castra sub Lavinio collocasse*. Idem hic ait, *copias* eum *in aciem produxisse circa Numici fluminis stagnum:* ubi etiam interiit. hoc *stagnum* ad ipsum amnis fontem intellexit Virgilius dicto Aeneid. lib. VII, in his verbis:

——— *Hæc fontis stagna Numici.*

Ergo ipsum *Lavinium* ad fontem Numici positum fuit, in eo colle, in quo nunc conspicitur fanum *Sanctæ Petronellæ*. à quo III sunt millia passuum ad ostium amnis & mare. Ad proximè citata Virgilii verba ita commentatur Servius: *Quòd ait fontis stagna, verum est. nam Numicus ingens antè fluvius fuit; in quo repertum est cadaver Aeneæ; & consecratum: pòst paullatim decrescens, in fontem redactus. qui & ipse siccatus est, sacris interceptus. Vestæ enim libare non nisi de hoc fluvio licebat.* Quàm ingens fuerit hic amnis ab initio, equidem ignoro. id verò scio, exhauriendo ad Vestæ libamina aquam non potuisse fontem siccari; si is vivus perennisque suis scaturiginibus fluxit. Sed idem Servius ad Aeneid. lib. XII, ubi *Iuturnæ fontem*, Numici fonti proximum, describit: *De hoc*, inquit, *fonte Romam ad omnia sacrificia aqua adferri consueverat.* Et Plutarchus in Numa tradit aquâ ex *Egeriæ fonte*, qui apud Capenam erat portam, hausta penetralia Vestæ quotidiè fuisse adsperſa & lustrata. Quapropter suspicor, poëtica loquutione isthic usum Virgilium: nec satis certum, Victor ex ipso ne Pisone sumpserit vocabulum *stagni*: an, ut plerique eius ævi scriptores innumera alia, à poëtâ Virgilio id mutuatus sit. sic quidpe Silius quoque, ut mox videbimus, perpetuus ille Virgilii imitator, modò *stagna* vocat *Numici*,

modò

modò *parvum fontem* ac *lenem amnem*. sic lib. x, *Aufidum* amnem nominaturus, ita dicit:

Atque ea dum juxta Tyrius stagna Aufida ductor
Molitur.

Et Ovidius item tenuitatem *Numici* indicaturus, serpere eum tradit Μεταμορφώσεων lib. xiiii, his versibus de Venere, Aeneæ matre, loquens:

Litus adit Laurens, ubi tectus arundine serpit
In freta flumineis vicina Numicius undis.
Hunc jubet Aeneæ quæcumque obnoxia morti
Abluere.
Lustratum genitrix divino corpus odore
Vnxit, & ambrosiâ cum dulci nectare mistâ
Contigit os; fecitque deum, quem turba Quirini
Nuncupat Indigetem, temploque arisque recepit.

Lucus igitur iste etiam Iovis Indigetis, sive Dei Indigetis, seu Patris Indigetis, seu tandem Patris dei indigetis, in Numicii amnis ripis fuit; sub Lavinio opido; ubi dimicatum. & ex Plinii equidem recensione huius litoris ab dextrâ fuit fluminis ripâ. *Opidum*, inquit, *Laurentum, lucus Iovis Indigetis, amnis Numicius, Ardea.*

De cætero ipse *fons Numicii & antrum*, unde is exit, sacrum erat *deæ* Annae Perennae: de qua Ovidius Fastor. lib. iii, postquàm festum eius descripsit, quod apud Romam inter campum Martium & Anienis Tiberisque confluentes, ut superiori capite ostensum, celebrabatur, ita canit:

Quæ tamen hæc dea sit, quoniam rumoribus errat,
Fabula proposito nulla tegenda meo.
Arserat Aeneæ Dido miserabilis igne:
Arserat exstructis in sua fata rogis:
Protinus invadunt Numidæ sine vindice regnum.
Et potitur captâ Maurus Iarba domo.
Diffugiunt Tyrii, quò quemque agit error; ut olim
Amisso dubiæ rege vagantur apes.
Pellitur Anna domo: lacrumansque sororia linquit
Mœnia. germanæ justa dat antè suæ.
Nacta ratem comitesque fugæ; pede labitur æquo,
Mœnia respiciens, dulce sororis opus.
Fertilis est Melite, sterili vicina Cosyræ,
Insula; quam Libyci verberat unda freti.
Hanc petit, hospitio regis confisa vetusto.
Hospes opum dives rex ibi Battus erat.
Qui, postquàm didicit casus utriusque sororis;
Hæc, inquit, tellus quantulacumque tua est.
Et tamen hospitii servasset ad ultima munus:
Sed timuit magnas Pygmalionis opes.
Signa recensebat bis Sol sua: tertius ibat
Annus: & exsilio terra paranda nova est
Frater adest: belloque petit. rex, arma perosus,
Nos sumus imbelles; tu fuge sospes; ait.
Iussa fugit: ventoque ratem committit & undis.
Asperior quovis æquore frater erat.
Ducitur ad Laurens ingenti flamine litus
Puppis: &, expositis omnibus, hausta perit.
Iam pius Aeneas regno natâque Latini
Auctus erat; populos miscueratque duos.
Litore dotali, solo comitatus Achate,
Secretum nudo dum pede carpit iter;
Adspicit errantem. nec credere sustinet, Annam
Esse. Quid in Latios illa veniret agros?

Dum secum Aeneas: Anna est, exclamat Achates.
Ad nomen vultus sustulit illa suos.
Heu! fugiat? quid agat? quos terræ quærat hiatus?
Ante oculos miseræ fata sororis erant.
Sensit; & adloquitur trepidam Cythereius heros.
Flet tamen admonitu mortis, Elisa, tuæ.
Anna, per hanc juro, quam quondam audire solebas
Tellurem fato prosperiore dari;
Perque deos comites, hac nuper sede locatos:
Sæpè meas illos increpuisse moras.
At tu, seu ratio te nostris adpulit oris;
Sive deus; regni commoda carpe mei.
Talia dicenti (neque enim spes altera restat)
Credidit: errores exposuitque suos.
Vtque domum intravit Tyrios induta paratus;
Incipit Aeneas; cætera turba silet:
Hanc tibi cur tradam, pia causa, Lavinia conjux,
Est mihi. consumpsi naufragus huius opes.
Orta Tyro est. regnum Libycâ possedit in orâ.
Quam, precor, ut caræ more sororis ames.
Omnia promittit; falsumque Lavinia vulnus
Mente premit tacitâ: dissimulatque metus.
Donaque quum videat prater sua lumina mitti
Multa palàm; mitti clam quoque multa putat.
Non habet exactum, quid agat. furialiter odit:
Et parat insidias: & cupit ulta mori.
Nox erat; ante torum visa est adstare sororis
Squalenti Dido sanguinolenta comâ.
Effuge (ne dubita) mœstum, soror, effuge tectum.
Sub verbum querulis impulit aura fores.
Exsilit; & velox humili super arva fenestrâ
Se jacit. audacem fecerat ipse timor.
Quumque metu rapitur; tunicâ velata recinctâ
Currit: ut auditis territa dama lupis.
Corniger hanc tumidis rapuisse Numicius undis
Creditur, & stagnis occuluisse suis.
Sidonis intereà magno clamore per agros
Quæritur. adparent signa notæque pedum.
Ventum erat ad ripas. inerant vestigia ripis.
Sustinuit tacitas conscius amnis aquas.
Ipsa loqui visa est; Placidi sum nympha Numici.
Amne perenne latens, Anna Perenna vocor.
Protinus erratis læti vescuntur in agris:
Et celebrant largo seque diemque mero.
Sunt, quibus hæc Luna est: quia mensibus impleat annum.
Pars Themin, Inachiam pars putat esse bovem.
Invenies, qui te nymphen Atlantida dicant:
Teque Iovi primos, Anna, dedisse cibos.

Eamdem de Annâ Didonis sorore fabulam celebrat eleganti, si quid aliud, poëmate Silius lib. VIII: unde ea tantùm, quæ ad chorographiam pertinent, carpemus. Iuno adfatur Annam:

Namque hac, accitam stagnis Laurentibus, Annam
Adfatur voce: ———

Huic respondet Anna:

Tum diva Indigetis castis contermina lucis,
Haud, inquit, tua jus nobis præcepta morari.

Postea ita Annam per quietem adloquitur Dido sorori;

Surge

Surge age: jam tacitas suspecta Lavinia fraudes
Molitur; dirumque nefas sub corde volutat.
Prætereà (ne falsa putes hæc fingere somnum)
Haud procul hinc parvo descendens fonte Numicus
Labitur, & leni per valleis volvitur amne.
Huc rapies germana viam tutosque receptus.
Te sacra excipient hilares in flumina nymphæ:
Æternumque Italis numen celebrabere in oris
Sic fata, in tenuem Phœnissa evanuit auram.
Anna novis somno excutitur perterrita visis:
Itque timor totos gelido sudore per artus.
Tunc, ut erat tenui corpus velamine tecta,
Prosiluit stratis: humilique egressa fenestrâ,
Per patulos currit plantis pernicibus agros:
Donec arenoso (sic fama) Numicius illam
Suscepit gremio, vitreisque abscondidit antris.
Orta dies totum radiis impleverat Orbem;
Quum nullam Æneadæ thalamis Sidonida nacti:
Et Rutulum magno errantes clamore per agrum,
Vicini ad ripas fluvii manifesta sequuntur
Signa pedum. dumque inter se mirantur; ab alto
Amnis aquas cursumque rapit. tum sedibus imis
Inter cæruleas visa est residere sorores
Sidonis, & placido Teucros adfarier ore.
Ex illo primis anni celebrata diebus
Per totam Ausoniam venerando numine culta est.

Sanè haud minùs *Anna* hæc ad *Laurens* litus adpulit, ac ipse Aeneas: quem numquàm in Italiam perveniſſe, abundè à nobis suprà demonstratum est. Vt innumera alia Romani à variis rebus seu rerum effectibus sibi constituerunt numina; ita hæc etiam *Anna dea*, cui festum sacraque fiebant principio anni, ab ipso hoc vocabulo nomen accepit. Cæterùm ex hac quoque Silii descriptione patet, *Lavinium* fuisse in eo colle, in quo nunc sacellum divæ *Petronellæ* conspicitur: sub quo amnis ex antro quodam in subjectos agros pronus decurrit. cuius fontibus etiam *lucum Iovis Indigetis* fuisse conterminum testatur.

Sed de Indigetis dei luco & Numicio flumine postquàm satis dictum, ad reliquam opidi *Lavinii* expositionem revertamur. Apud Appianum Civil. bellor. lib. II hæc leguntur: Βαρυθυμῶν δὲ ὁ Μίλων, εἰς τὴν πατρίδα Λαβίνιον ἐξῆλθε· ὃν Διομήδη φασὶν, ἀλόντος ἐξ Ἰλίου πρώτιστον ἐν τῇ Ἰταλίᾳ πόλιν οἰκῆσαι· καί εἰσιν ἀπὸ Ῥώμης ἐς αὐτὸν στάδιοι πεντήκοντα καὶ ἑκατόν. Id est: *Aegrè id ferens Milo, discessit in patriam suam Lavinium. quam primam fertur Diomedes, post captum Ilium, in Italiâ condidisse urbem, disitam ab Româ stadia* CL. Id est, millia passuum XX. nempe, si, more eius sæculi, quo vixit Appianus, septena stadia cum dimidio in singula milliaria computes. At Milonem fuisse ex *Lanuvio* opido, in radicibus Albani montis sito, infrà certis auctorum demonstrabitur testimoniis. Ingens igitur hic est & satis fœdus error Appiani, passim in aliis etiam parum peritum exactumque geographum sese prodentis; ut nos haud semel jam antè monuimus. Nec est, quòd hoc loco mendum in vocabulo Λαβίνιον suspicari velis; pro quo ipse scripserit Appianus Λανούϊον. nam intervallum CL stadiorum, seu millium passuum XX, propiùs in *Lanuvium*, quàm *Lavinium*, convenit. tum quosdam auctores Diomedem ad hoc litus & Numicium amnem deduxisse, conditoremque eum fecisse *Lavinii* opidi, adparet ex his Solini verbis cap. VIII: *Inter omnes perspicuè convenit, à nutrice Aeneæ Caietâ Caietam, ab uxore Laviniâ Lavinium esse nuncupatum. Nec omissum sit, Aeneam, æstate ab Ilio capto secundâ, Italicis litoribus adpulsum, ut Hemina tradit, sociis non amplius* IOC, *in agro Laurenti posuisse castra. ubi, dum simulacrum, quod secum ex Siciliâ advexerat, dedicat Veneri matri, quæ Frutis dicitur, à Diomede Palladium suscepit.* Huc, nescio, an illud etiam spectet Statii Silvar. lib. III carm. III:

——— *Quamque horrida supra*
Æquora curarum socius procul Itala rura

Linqueret: hic molleis Campani litoris oras
Et Diomedéas concedere jussus in arceis.

Sed ex eodem fonte consimilem errorem hausisse videtur & Aelianus, Appiani æqualis: qui Histor. animal. lib. XI cap. XVI ita scribit: Ἴδιον δ' ὧν ἄρα τ δρακόντων ἡ μαντική. ἐν γᾶν Λαϊνείῳ τῷ πλίσμαλι, ὅπερ τ Λαλίνων χώρας ἐστὶ, κέκλη) ἡ ἀπὸ τ Λαλίνα θυγατρὸς Λαϊνείας, ὡίκα Λατῖνος Αἰνείᾳ συνεμαχησε, κ τ καλεμένων Ρ'υτύλων, εἶτε ἐνίκησεν αὐλὸς· ἐνίκησε ἡ [emenda, ὥκισε ἡ] Αἰνείας ὁ Ἀγχίσυ, ὁ Τρὼς, τ πόλιν τ περιφημοτάλω. ἐν δ' αὐ τ Ρ'ώμης μηδεμήτωρ, ὡς αὖ εἶπε τις. ἐνθεῦθεν γὰρ ὁρμηθεὶς Ἀσκάνιος, ὁ Αἰνείυ κ Κρεούσης τ Τρωάδος, ὥκισε τ Ἄλβαν· Ἀλβανῶν ἡ ἡ Ρ'ώμη ἄποικος. Οὐκοῦν ἐν τῷ Λαϊνείῳ ἄλσος ὑμάπτυ μέγα ἐ δασὺ, κ ἔχ' πλησίον νεὼν Ἥρας Ἀργολίδος· ἐν ᾧ τῷ ἄλσ φωλεός ἐστι μέγας κ βαθὺς, ἐ ἔστι κοίτη δράκοντος. Id est: *Draconum quoque peculiaris est divinatio. nam & apud Lavinium, Latii opidum, (quod nomen accepit ab Laviniâ, Latini filiâ, quo tempore Latinus unà cum Aeneâ bellum gessit contra Rutulos, eosque vicit: & condidit Aeneas Troianus, Anchisæ filius, prædictum opidum: quòd Romæ quasi avia dici possit. ex hac quidpe profectus Ascanius, Aeneæ & Creüsæ Troianæ filius, Albam condidit: cuius colonia est Roma.) apud Lavinium istud, inquam, sacer est lucus, magnus & opacus; juxtaque eum ædes Iunonis Argolicæ: in luco verò antrum est amplum ac profundum, draconis cubile.* Heic Aelianum *Lavinium* nominasse, dubium esse nequit; quando à Latini filiâ Laviniâ denominatum, indeque *Albam* coloniam deductam fuisse, disertè adfirmat. At lucum & templum fuisse apud *Lanuvium Iunonis Argolicæ*, cognomento *Sospitæ*, item *draconis* hoc *antrum*; infrà in eius opidi expositione ex pluribus ostendetur auctoribus. Apud Stephani epitomatorem ita scriptum est: Λαύντιον, μητρόπολις τ Λατίνων· Διονύσιος ἑ Ρ'ωμαϊκῆς ἱστορίας. τὸ ἐθνικὸν Λαυντῖνος. Id est: *Launtium, metropolis Latinorum; auctore Dionysio Historiæ Romanæ lib. V. gentilitium inde Launtinus.* Id miror unde habuerit sive Stephanus seu breviator eius; quando haud multo antè verum opidi nomen Λαβίνιον citavit. & Dionysii diserta verba lib. V sunt ista: Ταρκυίνιος εἰς Λαβίνιον ᾤχετο, τ μητρόπολιν ἁπάντων Λατίνων οὔσης. *Tarquinius Lavinium profectus est, Latinæ gentis metropolim.* Sed quum tanta sit *Lavinii Lanuviique* nominum confinitas, facilè ea apud alios etiam auctores ab exscriptoribus confusa sunt: quod infrà in Lanuvii descriptione videbimus. Apud Livium epitomatorem lib. LXXX ita scriptum: *Marius Antium & Ariciam & Lavinium colonias devastavit.* Rectiùs in hac historiâ Appianus Civil. bellor. lib. I habet Λανούϊον, *Lanuvium.* nam Lavinium haud perinde magni tum erat nominis opidum. Strabo lib. V: Πόλις δ' ἐπὶ θαλάττῃ μικρὰ εἰσὶ τ Λατίνων, τὰ τ Ὦστια κ Ἄντιον· εἶτα μέσον ἁπάντων τούτων τὸ Λαβίνιον, εἶτα Λαύρεντον. Σαυνίταις δ' ἐπορθήσαντο τοὺς τόπους· κ λείπεται μικρὰ ἴχνη πόλεων, ἔνδοξα ἡ Διὰ τ Αἰνείαν γενόμενα ἐπιδημίαν, κ τὰς ἱεροποιίας ἐξ ἐκείνων τ χρόνων τοῖς θεοῖς φασιν. Id est: *Latinorum opida maritima sunt Ostia & Antium, & in medio horum Lavinium; dein Laurentum. Sed loca hæc ab Samnitibus sunt vastata. & nunc rudera tantùm urbium restant. nobilitata autem sunt peregrinatione Aeneæ. & sacrificiorum ritus ab illis usque temporibus traditos servari aiunt.* Nempe *dii Penates* heic colebantur. Varro de Lingvâ Latinâ lib. IIII: *Opidum, quod primum conditum in Latio stirpis Romanæ, Lavinium. ibi dii Penates nostri.* Asconius Pedianus in Orationem Ciceronis pro M. Scauro commentans: *Crimini dabat, sacra publica populi Romani deûm Penatium, quæ Lavinii fierent, operâ eius minùs rectè castè fieri.* Sex. Aurel. Victor in libro de Origine gentis Romanæ: *Post hæc Ascanius in monte, qui Albanus nuncupatur, civitatem communiit; eamque ex formâ, quòd ita in longum porrecta est, Longam, ex colore suis Albam cognominavit. quumque illuc simulacra deorum Penatium transtulisset; postridiè apud Lavinium adparuerunt. rursusque relata Albam, se Lavinium in pristinam sedem idemtidem receperunt. itaque tertiò nemo ausus est amovere ea: ut scriptum est in Annali Pontificum, Cincii lib. IIII, & Cæsaris II, Tuberonis I.* Servius ad Virgilii Aeneid. lib. I: *Albam quum de Lavinio dii Penates translati, nocte proximâ Lavinium rediissent; atque eos denuo Albam Ascanius transtulisset; & illi iterum rediissent: Lavinii eos manere passus est; datis, qui sacris præessent; agroque eis adsignato, quo se alerent.* Dionysius lib. I: de eâdem loquens Albâ: Ἐν ᾗ τῇ κύσει τ πλεως θαῦμα μέγα λέγε) γενέσθ. καταστάντος γὰρ τοῖς ἔθεσι τ θεῶν, ὃς Αἰνείας ἐκ τ Τρωάδος ὠίγκαλο, ἐ καθίδρυσεν ἐν τῷ Λαϊνίῳ, ναὸς, χωλεὸν ἔχοντος ἄβατον, κ τ ἱδρυμάτων ἐκ ᾧ Λαϊνίᾶ κομιζόντων ἐκ ᾧ νεὼ εἰς τὸν τ μυχὸν, εἰς τ ὀπισθονυκία, κεκλῃσμένων πως μάλιστα τ θυρῶν, ἐ ἀδὲν παθόντων ἀδὲ ἐπιβολῶν ἀπ' ὀφθῶν, Διαμείναντα τὰ βρέτη τ φασιν, ἐπὶ τ ἐσχάτων ὁριθῶαι κείμενα βάθρων· μεταχωρισθέντα δ' ἐς αὖθις ἐκ ᾧ Λαϊνίᾳ σὺν ἱκετείαις κ θυ-

καὶ θυσίαις ἀρεσηλόοις, εἰς τὸ αὐτὸ χωρίον ὁμοίως ἀνελθεῖν. ἔστι δ' ἃ ἀνθρώπους πόως μὴ ἀπορεῖν, ὅ τι χρήσονται πρὸς πρᾶγμα ζῶν, ἔτι δίκαια τὰ πατρώων θεῶν κατοικεῖν ἀξιοῦντας, ἔτι ὅπη τὴν ἐκλελοιπυῖαν οἴκησιν αὖθις ἀναστρέφειν· πολλῶν δὲ γνώμας ἀκούσας, ἢ ἐμελλεν ἀποχρώντως πρὸς ἀμφότερα ἕξειν. τὰ μὲν ἄδη καὶ χώραν ἐᾶσαι ᾠήθη· ἄνδρας δὲ ἔστι ἀπιμελησομένους αὐτῶν ἐκ τῆς Ἄλβας εἰς τὸ Λαβίνιον αὖθις ἐπάγειν μεταγαγεῖν. καὶ ἐγχωριάζοι πεμφθέντες ἑξακόσιοι, μελεδωνοὶ τῶν ἱερῶν, αὐτοῖς μεταναστᾶσι ἐφεστῶσι. ἔστι δ' ἃ θεὰς τούτους Ῥωμαῖοι Πενάτας καλοῦσιν. Hoc est: *Dum autem conderetur urbs, accidisse ferunt mirum prodigium. nam quum simulacris deorum, quos Aeneas à Troiâ devectos Lavinii collocaverat, templum exstructum esset cum adyto, & statuæ à Lavinio in hæc penetralia translata; clausis ut cùm maximè foribus, & inviolatis tecto simul ac parietibus, simulacra, mutatâ statione, in pristinas baseis transisse reperta sunt. denuoque Lavinio cum supplicationibus & sacrificiis transportata, in eumdem locum, ut antè, reverterunt. Dubitatum est diu, quidnam facto opus esset: quum neque sine diis patriis habitandum censerent; neque in semel relictas sedeis remigrandum. tandem placuit sententia, quæ & religioni deorum & utilitati hominum satisfaceret. visum enim est, simulacra suo loco sinere: & viros, qui sacrorum curam gererent, ex Albâ ad Lavinium incolendum reducere. fuerunt hi sexcenti numero: commigraruntque illò cum totis familiis. Caterùm deos hos Romani Penates vocant.* Hinc Ovidius Μεταμορφώσεων lib. xv:

——— Donec Castrumque sacrasque
Lavini sedeis, Tiberinaque ad ostia venit.

Lavini vocat *sedem*, seu poëticè *sedeis*; quia, præter suprà memoratas fabulas, alia insuper erat in priscis sermonibus; quæ Lavinum tradebat regem, Latini fratrem, Lavinii opidi conditorem. Virgilius Aeneid. lib. vi:

——— In regna Lavini
Dardanidæ venient.

Ad quæ ita Servius: *Alii Latini legunt: cuius tunc erant. licèt possit ad Lavinum, Latini fratrem, referri; qui illic antè regnavit.* Et ad Aeneid. lib. vii commentans, *Latinus*, inquit, *post mortem Lavini fratris quum Lavinium amplificaret, ab inventâ lauro Laurolavinium adpellavit.* Sed hoc nugamentum esse grammaticum de *Laurolavinio*, suprà in *Laurenti* expositione patuit. Tradit prætereà Strabo prædicto lib. v: Τὸ δὲ Λαβίνιον ἔχει κοινὸν τῶν Λατίνων ἱερὸν Ἀφροδίτης· ἐπιμελοῦνται δ' αὐτοῦ ἀφ' ὑπερογόνων Ἀρδεάται. Id est: *Lavinium habet commune omnibus Latinis fanum Veneris: cuius procuratio jam inde à maioribus ad Ardeateis spectat.* Huc pertinere volunt viri docti illud Statii in Silvar. lib. v carm. iii; ubi ita patrem adloquitur:

Quid mirum, patriâ si te petière relictâ,
Quos Lucanus ager, rigidi quos jugera Dauni,
Quos Veneri plorata domus, neglectaque tellus
Alcidæ, vel quos è vertice Surrentino
Mittit Tyrrheni speculatrix virgo profundi?
Quos propiore sinu lituo remoque notatus
Collis & Ausonii pridem laris hospita Cyme,
Quosque Dicarchei portus Baianaque mittant
Littora.

Verùm quum & Hercules heic memoretur *Alcides*; qui viam in mari apud Lucrinum lacum struxisse fertur; & *Venus* apud eumdem lacum, ut infrà ostendetur in Campaniæ descriptione, culta fuerit; quumque omnia reliqua ista, quæ sequuntur, loca in eodem litore fuerint Campano: haud temerè isthanc *Veneris* domum sive ædem in Latio ad Lavinium traxerim. Restat ergo uti opidanorum ab *Lavinio* adpellationem ostendamus. De hac ita Stephani breviator: Λαβίνιον, πόλις Ἰταλίας, Αἰνείᾳ κτίσμα· Ἰόβας ἐν πρώτῳ· ἀπὸ τῆς βασιλίσσης θυγατρὸς Λαβινίας· τὸ ἐθνικὸν Λαβινιάτης· [lego Λαβινιάτης] λέγοντες δὲ Λαβινιᾶται. Id est: *Lavinium, opidum Italiæ, ab Aeneâ conditum; auctore Iubâ lib. i: ab regis filiâ Lavinià denominatum. gentilitium inde est Laviniates. sed & Laviniatæ dicuntur.* Hoc vocabulum Dionysius quoque usurpavit lib. i, ii, & iii. Varroni suprà dicto Rusticar. rer. lib. ii cap. iiii dicuntur Lavinienses. A Plinio videntur vocari Ilionenses *Lavinii*; id est, qui *Lavinium* incolebant: scilicet, quia ab *Ilio primi eius habitatores cum Aeneâ venerant.* Verba eius lib. iii cap. v, in enumeratione populorum Latii, hæc sunt: *Forentani, Gabini, Interamnates Succusani; qui & Lirinates vocantur: Ilionenses Lavinii,*

nii, Norbani, Nomentani. Et posteà: *In primâ regione prætereà fuêre in Latio* clara *opida, Antemnæ, Camerium, Collatia, Norba, Sulmo; & cum his carnem in monte Albano soliti accipere populi, Albenses, Albani, Aesolani, Acienses, Abolani, Bubetani, Bolani, Cusuentani, Coriolani, Fidenates, Foretii, Hortenses, Latinienses, Longulani.* Tandem post alios complureis subjicit; *Ita ex antiquo Latio* XIII *populi interiêre sine vestigiis.* Idem Plinius lib. XIIII cap. VI: *Ab infero mari vina Latinienſia, Graviſcana, Statonienſia.* Heic sanè suspicari licebat, utrobique corrupta esse vocabula pro genuinis *Lavinienses* & *Lavinienſia*; nisi isti *Latinienses* à Plinio inter eos ponerentur Latii populos, qui eius ætate jam *interierant sine vestigiis.* Verùm multa Plinius, ut jam dudum in hoc opere nobis adnotatum, opidò quàm turbatoriè ac negligenter etiam in ipsâ Italiâ perscripsit. Quin & *Antemnæ* & *Collatia* & *Norba* atque *Sulmo* etiamtunc fuêre; licèt non *clara opida:* & duo hæc posteriora hodiéque exstant; ut infrà videbimus. Apud Ciceronem equidem in oratione de Haruspicum responsis idem vocabulum in vulgatis exemplaribus legitur, in his verbis: *Quare ne plura de re minimè loquar dubiâ; adhibete animos; & menteis vestras, non solùm aureis, ad haruspicum voces admovete: Quòd in agro Latinienſi auditus est strepitus cum fremitu. Mitto haruspices; mitto illam veterem ab iis diis immortalibus, ut hominum fama est, Etruriæ datam disciplinam. nos nonne haruspices esse possumus? Exauditus in agro propinquo & suburbano est strepitus quidam reconditus & horribilis fremitus armorum.* Et posteà, fine orationis: *Cogitate genus sonitus eius, quem Latinienses nunciarunt.* En, disertè adfirmat, *propinquum* urbi Romæ & *suburbanum* fuisse hunc *agrum.* ergo frustra sunt, qui nobis heic nescio quod *Latinium* sive *Latiniam* opidum ultra Prænestè & Labicos, quæ opida vulgò nunc vocantur *Pilastrina* & *Gallicano*, in Hernicis ostendere hodiè conantur. Prope Romam autem & in suburbanis eius agris quia nullum umquàm eo nomine in tantâ rerum gestarum celebritate auctoribus memoratum fuit opidum; omnino ego censeo, *Lavinienses* intellexisse scripsisseque Ciceronem; & post hunc item Plinium. neque enim facilè crediderim, ab opido, quod jam dudum funditus sine vestigio interierit, nobile illud vinum eius etiamdum ætate cognomentum habuisse. Quòd autem eosdem opidanos bis in eodem catalogo memoraverit; semel sub *Ilionenſium* à *Lavinio* nomine; iterum sub *Lavinienſium* vocabulo: id mirari minimè fas sit; quando is frequens illi est mos; maximè in Apuliâ, & Lucaniâ; ut infrà suis locis videbimus: & hoc ipso quoque loco primùm *Norbanos* citat, mox iterum ipsum opidum *Norbam.* At quomodò adhuc *Norbani* opidani in Latio exstitêre tunc, quum ipsum opidum *Norba* jam *sine vestigio interierat?* Vides ergo heic supinæ eius negligentiæ insigne ac manifestum experimentum.

CAP. IIII.

De opidis cæterisque locis PRISCI LATII *mediterraneis.*

LAvinio ortam esse ALBAM, cognomine LONGAM, omnes adfirmant auctores, quotquot huius originem prodiderunt. Conditor eius fertur Ascanius, Aeneæ filius, cognomento Iülus. quem alii Creüsâ in Troade, alii Laviniâ, Latini filiâ, Lavinii genitum tradunt. Apud Virgilium Aeneid. lib. I ita Iupiter Veneri de Ascanio dicit:

——— *Regnum à sede Lavinî*
Transferet, & Longam multâ vi muniet Albam.

Et ipse poëta lib. V:

Hunc morem, hos cursus, atque hæc certamina primus
Ascanius, Longam muris quum cingeret Albam,
Retulit, & priscos docuit celebrare Latinos.

Lib. VI Anchises Aeneæ apud inferos:

Vnde genus Longâ nostrum dominabitur Albâ.

Lib. VIII Tiberinus deus Aeneæ:

Litoreis ingens inventa sub ilicibus sus,
Triginta capitum fœtus enixa, jacebit

Alba,

Alba, solo recubans; albi circùm ubera nati.
Hic locus urbis erit; requies ea certa laborum.
Ex quo ter denis urbem, redeuntibus annis,
Ascanius clari condet cognominis Albam.

Ovidius Fastor. lib. II:

Sed procul è Longâ veniebat Iulius Albâ.

Tibullus lib. II eleg. V:

Ante oculos Laurens castrum murusque Lavini est,
Albaque ab Ascanio condita Longa duce.

Propertius lib. IIII eleg. I:

Et stetit Alba potens, albæ suis omine nata.

Varro Rer. rust. lib. II cap. IIII: *Sus Aeneæ Lavinii* XXX *porcos peperit albos. itaque, quod portenderit, factum* XXX *annis, ut Lavinienses condiderint opidum Albam.* Et de Lingvâ Latinâ lib. IIII: *Opidum Lavinium à Latini filiâ Laviniâ adpellatum. hinc post* XXX *annos opidum alterum conditur: id ab sue Alba cognominatum. Hæc è navi Aeneæ quum fugisset Lavinium,* XXX *parit porcos. ex hoc prodigio post Lavinium conditum annis* XXX *hæc urbs facta: propter colorem suis & loci naturam Alba Longa dicta.* Solinus cap. VIII: *Constituta ab Ascanio Longa Alba.* Stephani epitomator: Ἄλβα, πόλις Ἰταλίας, ἣν ἔκτισαν οἱ ἀπὸ Λαβινίου Λατῖνοι, Τρῶες ὄντες. Id est: *Alba, urbs Italiæ; quam ab Lavinio profecti Latini, origine Troiani, condiderunt.* Livius lib. I: *Ascanius, abundante Lavinii multitudine, florentem jam, ut tum res erant, atque opulentam urbem matri, seu novercæ reliquit. novam ipse aliam sub Albano monte condidit: quæ ab situ porrecta in dorso urbis Longa Alba adpellata. Inter Lavinium & Albam Longam, coloniam deductam,* XXX *fermè interfuère anni.* Aurelius Victor, in libro de Origine gentis Romanæ: *Ascanius, completis in Lavinio* XXX *annis, recordatus novæ urbis condendæ tempus advenisse ex numero porcorum, quos peperat sus alba, circumspectis diligenter finitimis regionibus, speculatus montem editum, qui nunc ab eâ urbe, quæ in eo condita est, Albanus nuncupatur, civitatem communiit: eamque ex formâ, quòd ita in longum porrecta est, Longam; ex colore suis Albam cognominavit.* Sic Statius quoque & Iuvenalis in monte eam ponunt. Statius Silvar. lib. III carm. III; quod est epicedion in patrem:

—— Vix hæc in munera solvo
Primum animum, tacitisque situm depellere curis,
Nunc etiam labente manu, nunc lamine sicco,
Ordior adclivis tumulo, quo molle quiescis,
Iugera nostra tenens. ubi, post Aenëia fata
Solatus, Latiis ingessit montibus Albam
Ascanius; Phrygio dum pingueis sanguine campos
Odit, aut infaustum regnum dotale novercæ.

Iuvenalis Satyrâ XII; de Catulli navigatione:

—— Tum gratus Iülo,
Atque novercali sedes prælata Lavino,
Conspicitur sublimis apex; cui candida nomen
Scrofa dedit; lætis Phrygibus mirabile sumen;
Et nunquam visis triginta clara mamillis.
Tandem intra positas inclusa per æquora moleis,
Tyrrhenamque Pharon.

Id opidum esse, quod XII millia passuum à Româ in ipsâ viâ Appiâ vulgò dicitur *Albano*, non nostri modò ævi homines, sed jam inde CCCC circiter annis post natum Iesum Eutropius, tum Servius, & alii existimarunt. Hinc Eutropius lib. I, de Tullo Hostilio, tertio Romanorum rege loquens: *Albanos vicit: qui ab urbe Româ* XII *milliario sunt.* De Servio nobis dictum superiori capite, in expositione opidi *Laurenti*. Hodiè ipsi *Albani* opidi incolæ adeò certò persvasum habent, opidum suum esse veterrimam illam *Albam Longam*, uti etiam super portam, quæ Romam versùs emittit, lapidem imponi curaverint, cui sus illa cum XXX porcellis inciſa. Verùm & prisci illi mortales & nostri huius sæculi homines præcipuum opinionis suæ argumentum ex his Livii sumpsisse videntur verbis; *urbem sub Albano monte condidit.* At unus hoc tradit Livius. reliqui omnes *in monte* conditam adfirmant.

Suprà scriptis adde insuper & Strabonem; qui lib. v, Αἰνείᾳ δ', inquit, πλουτήσαντι τὸν Ἀσκανίου φασὶν Ἄλβαν κτίσαι ἐν τῷ Ἀλβανῷ ὄρει, διέχοντα τῆ Ῥώμης τοσοῦτον, ὅσον καὶ ἡ Ἀρδέα. Id est: *Aeneâ defuncto, Ascanium aiunt Albam condidisse in Albano monte; qui tanto à Româ, quanto Ardea, distat intervallo.* Hoc satis rectè convenit. nam *Albani montis* summus apex seu vertex ad xx ferè millia distat. totidemque sunt millia ad *Ardeam*. Nec tamen in ipso vertice fuisse *Albam Longam*, luculentissimus testis est Dionysius Halicarnassensis lib. I his verbis: Τριακοστῷ δὲ ὕστερον ἔτει μετὰ τὴν κτίσιν τοῦ Λαυϊνίου, πόλιν ἑτέραν οἰκίζει, καὶ τὸ γενόμενον Αἰνείαθεν ἄστυ, Ἀσκάνιος ὁ Αἰνείου καὶ μεταξὺ οὗτος ἐκ Λαυϊνίου καὶ τῶν ἄλλων Λατίνων, ὅσοις ἐπὶ βελτίοσι ἄμεινον οἰκεῖν, εἰς τὴν νεόκτιστον, ὄνομα τῇ πόλει θέμενος Ἄλβαν. σαφηνισμοῦ δὲ ἕνεκα διορίζειν πρὸ ἑτέραν πόλιν ὁμώνυμον ἐπικληθῆναι, καὶ χρήματα ἐπικατηγορῆσαι. ἔστι δ' ὥσπερ συνῆπτον ἤδη τέκνα ἐξ ἀμφοῖν Ἄλβα λόγχα. Νῦν μὲν οὖν ἔρημός ἐστιν. ἐπὶ χρόνου Τύλλου, Ῥωμαίων βασιλέως, στασιάζειν δόξασι πρὸς τὴν ἀποικίαν αἱ τῆς ἀρχῆς, αἰτίᾳ δὴ. τὸ δὲ ἐν αὐτῇ πολιόμενον πλῆθος, καθελεῖσαι τὴν μητρόπολιν πόλις ὑπεδέξατο Ῥώμη. Ἀλλὰ ταῦτα μὲν ἐν τοῖς ἐκπεσοῦσι χρόνοις ἐγένετο. ἰδίκα δ' ᾠκίζετο; πρὸς ὄρει καὶ λίμνῃ καλεσκαλάθῃ, τὸ μέσον ἀπέχουσα ἀμφοῖν. καὶ ἦν ὥσπερ τείχη τὰ πόλεως ταῦτα, δυσάλωτοι αὐτὴν παρέχοντα. τὸ μὲν γὰρ ὄρος ἐν τοῖς πάνυ ὀχυρόν τι καὶ ὑψηλόν ἐστιν, ἡ δὲ λίμνη βαθεῖα καὶ μεγάλη· καὶ αὐτὴν ἀφ' εἰσαιδόων ἀνοιγομένων ὑποδέχεται τὸ πεδίον, ταμιευομένων, ὁπόσου βούλονται, τὸ αὐθρώπων τὸ ὕδωρ. Hoc est: *Trigesimo anno post conditum Lavinium, aliam urbem, ex oraculo Aeneae reddito, Ascanius, filius eius, condidit. translatisque Lavinien-sibus & aliis Latinis, quibus commodiùs habitare placebat, in recèns conditam urbem, Al-bæ ei nomen imposuit. additumque est cognomen ex situs formâ; ut discerneretur ab alterâ eiusdem nominis: ac veluti composito vocabulo* ALBA LONGA *nominatur. Nunc ea de-serta jacet. quidpe regnante Romæ Tullo Hostilio, quoniam videbatur cum suâ coloniâ de principatu contendere, solo æquata est à Romanis. civeùsque eius urbs Roma, destructâ ma-trice, intra sua mœnia recepit. Verùm hæc evenerunt postea. olim, quum ædificaretur, apud montem & lacum exstructa est; ita, uti medium inter utrumque obtineret spacium. ac ve-luti muri uterque urbem tuebantur, ne facilè caperetur. nam & mons admodùm altus ac naturâ munitus est; & lacus profundus ac magnus: ex quo, reductis claustris, in subjectos campos aqua dispensatur, quantum eius volunt incolæ.* Ergo huius urbis situs jam mini-mè ignorari potest; quando & mons hodiéque exstat, & item lacus; vulgò ille *Monte Albano*, hic *Lago d'Albano* dicti. Mediam ait fuisse urbem inter montem & lacum: idque tam arcto spacio, uti hinc lacus inde mons vice murorum essent. hoc sanè nullo pacto de hodierno opido *Albano*, in viâ Appiâ mille passus ab Aricià disito, intelligi potest; ut quod duo millia passuum ab lacu & locis inter hunc & montem sitis abest. Fuit igitur *Alba Longa* ad orientalem lacus ripam, supra præ-dictum opidum *Albanum*, in iis tumulis, qui medii inter montem & lacum intercedunt; ut clariùs etiam infrà ex Ciceronis oratione pro Annio Milone patebit. Ab his tumulis, sive ab hoc dorso, quum longè altiùs adscendat Albani montis jugum: haud perinde malè dixit Livius, *urbem sub Albano monte* fuisse *conditam*. nec minus rectè tamen alii auctores, *in monte*; quia dictum dorsum unà cum lacu infima pars est montis; cuius imæ radices infra lacum usque & opida Marinum, Castellum Gandolfi, & Albanum descendunt. Atque in hunc Albæ situm jam rectè quadrat, quod Dionysius eodem lib. I tradit his verbis: Τὴν πόλει δὲ τῇ πόλει πεδία θαυμαστὰ μὲν ἰδεῖν, πλήσια δὲ καὶ καρπὸς ἐξενεγκεῖν παντοδαποὺς καὶ οὐδὲν ἐνδεέστερον τῆς ἄλλης Ἰταλίας, μάλιστα δὲ τὸν καλούμενον Ἄλβανὸν οἶνον, ἡδὺν καὶ καλόν, ἔξω δὲ Φαλέρνου λεγομένου, τοῦ γε ἄλλων ἁπάντων διαφορώτατον. Id est: *Subjecti autem urbi sunt campi amœnitate admirandi, omnis generis frugum fertilissimi, nec cedentes ulli agro Italiæ; præcipuè bonitate vini suavissimi, quod Albanum vocant; præcellens omnibus reliquis, si Falernum excipias.* De excidio ur-bis ita iterum tradit Dionysius lib. III, in rebus Tulli Hostilii: Ὁ δὲ Τύλλος καλέσας Μάρκον Ὁράτιον, τὸν ἀδελφιδοῦν ἐκ τῆς θυγατρὸς, καὶ δὲς αὐτῷ τῶν ἱππέων καὶ τῶν πεζῶν οὗς ἀκμαιοτά-τους, ἐκέλευσεν ἐπὶ τὴν Ἀλβανῶν πόλιν ἄγειν· παρελθόντα δὲ ἐντὸς τείχους ὡς φίλον ὄντα ὅταν τῶν κλείθρων λάβῃ σὺν ἔνδον, καθιέναι τὴν πόλιν ἄχρι θεμελίων, μηδενὸς μήτε ἰδίᾳ μήτε κοινῇ καθα-σκευάσματος φειδόμενον, ἔξω τῶν ἱερῶν. Id est: *Tullus igitur adcitum M. Horatium, qui unus è trigeminis supererat, cum equitatu, peditumque lectissimis, mittit Albam; jussum, quum primùm ut amicus receptus esset intra mœnia, civibus in potestatem redactis, urbem funditus evertere; nec ulli vel privato vel publico ædificio parcere: fanis exceptis.* Et paullo pòst. Ἡ μὲν δὴ τῶν Ἀλβανῶν πόλις, ὧν ἦρχεν Ἀσκάνιος, ὁ ἐξ Αἰνείου καὶ Ἀλκάσσης, καὶ

Κρέουσης,

Κρεούσης, τ̃ Πριάμου θυγατρὸς, ἔτη Ἀσκανίου μ̃ τὸν οἰκισμὸν πεντακόσια τριῶν ἀπὸ τῆς δεκα δεούσης, ἐν οἷς πολλῷ ἔρχεν ἀπίδοξιν εἰς εὐανδρίαν τε καὶ πλῆθον καὶ τῷ ἄλλῳ ἅπασαν εὐδαιμονίαν, ἡ τὰς τριάκοντα Λατίνων ἀποικίσασα πόλις, καὶ πάντα τ̃ χρόνον ἡγησαμένη τ̃ ἐθνες, ὑπὸ τ̃ ἐσχάτης ἀποικίσεως καθῃρεθεῖσα, ἔρημο εἰς τόνδε χρόνον διαμένει. Id est: *Sic Alba, quam olim Ascanius, ex Aeneâ, Anchisæ filio, & Creüsâ, Priami filiâ, prognatus, condiderat, quum per* 10 *post ædificationem annos,* XIII *demptis, stetisset, eoque temporis spacio populi frequentiâ opibusque & cæterâ felicitate multum aucta esset, triginta opidorum Latinorum mater, & gentis toto eo tempore princeps, à novissimâ suâ colonia solo æquata, hodie quoque deserta manet.* Et Livius dicto lib. I: *Egressis urbem Albanis, Romanus passim publica privataque tecta* 10 *adæquat solo. unâque horâ quadringentorum annorum opus, quibus Alba steterat, excidio ac ruinis dedit. templis tamen deûm (ita enim edictum ab rege fuerat) temperatum est.* Et lib. XXVI Vibius Virius, senator Campanus, ita in senatu suo loquitur de Romanis: *Albam, unde ipsi oriundi erant, à fundamentis proruerunt, ne stirpis, ne memoria originum suarum exstaret.* Strabo lib. V: Ἀλβανοὶ δὲ καταρχὰς μὲν ὡμονόουν τοῖς Ῥωμαίοις, ὁμόγλωσσοί τε ὄντες καὶ Λατῖνοι· βασιλεύοντοι δ' ἑκάτεροι χωρὶς ἐτυγχανον· ἔδει δ' ἤδη πλησμονή τι ἦναι τοὺς ἀλλήλους, καὶ ἱερὰ κοινὰ τὰ ἐν Ἄλβᾳ, καὶ ἄλλα δίκαια πολιτικά. ὕστερον δὲ πολέμῳ συνῆπτο, ἡνίκα Ἄλβα καθεσκάφη, πλὴν τ̃ ἱερ̃· οἱ δὲ Ἀλβανοὶ πολίτας Ῥωμαίων ἐκλεγησαν. Id est: *Albanis equidem ab initio cum Romanis conveniebat; ut qui eâdem uterentur* 20 *lingvâ, essentque Latini. itaque etsi suum utraque civitas seorsim haberet regem; tamen & mutua jungebant connubia, & Albæ communibus utebantur sacris; aliaque jura civilia habebant communia. Postea verò bello coorto, Alba diruta est, excepto templo; & Albani civibus Romanis adscripti sunt.* Atque ita omnis Albanæ urbis memoria tandem interiit; ita, ùti etiam Plinius lib. III cap. V inter ea *Latii* opida eam connumeret, quæ eius ætate interierant *sine vestigiis.* VESTAE *templum* fuisse relictum, infrà è Iuvenali intelligemus. Originem eius atque conditores quod attinet; quemadmodùm omnem de Aeneâ eiusque posteris historiam fabulosam ac fictitiam esse jam dudum superioribus capitibus à nobis demonstratum est; sic longè antiquiorem hanc urbem fecit Pompeius Trogus: cuius breviator Iustinus lib. XLII ita narrat de *Iasone*; qui paullo ante bellum Troianum omnem Europam oberrasse fertur: *Pri-* 30 *mus humanorum post Herculem & Liberum, qui reges Orientis fuisse traduntur, eam cœli plagam domuisse dicitur. Populis quibusdam Frudium & Amphistratum, aurigas Castoris & Pollucis, duces adsignavit. cum Albanis fœdus percussit. qui Herculem ex Italiâ ab Albano monte, quum, Geryone exstincto, armenta eius per Italiam duceret, sequuti dicuntur: quique, memores Italicæ originis, exercitum Cn. Pompeii bello Mithridatico fratres salutavêre.* Grammaticum certè hoc magis sapit nugamentum, quàm incorruptam rei gestæ memoriam. Quis umquàm alius barbaram apud Caspium mare gentem *Albanorum* à Latinâ stirpe deduxit? quis, non dicam omnia, sed quædam in sermone eius vocabula Latina observavit? Verùm nugis his putidis missum factis, veriores certioresque Albæ Longæ conditores è Dionysii historiis dispicere mihi videor. 40 Is initio libri II ita scribit: Οἱ καταλάβοντες τὴν τ̃ Ῥωμαίων πόλιν πρῶτοι τ̃ μνημονευομένων βάρβαροί τινες ἦσαν αὐτόχθονες, Σικελοὶ λεγόμενοι. τούτους ἐκβαλόντες οἱ Ἀβορίγινες, αὐτοὶ κατέσχον τ̃ τόπον, Οἰνώτρων ὄντες ἀπόγονοι. Ἀβορίγινων δὲ καλεχόντων τὰ χωρία, πρῶτοι μὲν αὐτῶν γένος σῳκησαι Πελασγοὶ, πλανητὴν ἐκ τ̃ τότε καλουμένης Αἱμονίας, νυνὶ δὲ Θεσσαλίας, ἐν ᾗ χρόνον τινὰ ᾤκησαν. μ̃ δὲ οὖν Πελασγοὺς Ἀρκάδες, ἐκ Παλαντίου πόλεως ἐξελθόντες, Εὔανδρον ἡγεμόνα ποιησάμενοι τ̃ ἀποικίας, πολίζουσι πρὸς ἑνὶ τ̃ ἑπτὰ λόφων, Παλάντιον ὀνομάσαντες τὸ χωρίον, ὅτι τ̃ ἐν Ἀρκαδίᾳ παλαιόθεν. χρόνοις δὲ ὕστερον, Ἡρακλέους καταχθέντος εἰς Ἰταλίαν, ὅτι τὴν φοινικὴν ἐξ Εὐρυθείας οἰκαδε ἀπήγαγε, μοῖρά τις ὑπολειφθεῖσα τ̃ ἐν αὐτῇ δυνάμεως Ἑλληνικὴ, πλησίον ἱδρύτο τ̃ Παλαντίου. Ἐπεὶ τούτων πολέμιος ἦσαν, ἐκ πόλεως Ἡλιδος ἐξανασωσάντες, Διαπεροῤῥηθείσης αὐτοῖς τ̃ παλαιόθεν ὑφ' Ἡρακλέους. Γενεᾷ δὲ ἑκκαιδεκάτῃ μετὰ τὸν 50 Τρωϊκὸν πόλεμον Ἀλβανοὶ συνοικίζουσιν ἀμφὶ τὰ χωρία ταῦτα, τείχη περιβαλόντες καὶ τάφρον, πόας δὲ ὧν αὐλια βοσκομένων τε καὶ ποιμένων, καὶ τῶν ἄλλων καταγωγὰ βοτῶν. Γενος δὲ τὸ Ἀλβανὸν μικτὸν ὧν ἐκ τε Ἀρκάδων καὶ Πελασγῶν, ἔτ τῶν ἐξ Ἡλιδος ἐληλυθότων Ἑπῶν, τελευταίων δ' τ̃ μ̃ Ἰλίᾳ ἄλλοσιν ἀφιγμένων εἰς Ἰταλίαν Τρώων, ὃς ὧν Αἰνείας ὁ Ἀγχίσου καὶ Ἀφροδίτης. Ὄνομα δὲ κοινὸν οἱ σύμπαντες οὗτοι Λατῖνοι ἐκλήθησαν, ἐπ' ἀνδρὸς δυνασθοῦσο τ̃ τότων Λατίνου, πρὸς κ̃ ἔθνο ὀνομασίας ἀφαιρεθέντες. Ἐτελειοῦτο ὧν οὕτω ἡ πόλις ὑπὸ τούτων τ̃ ἐθνῶν. Id est: *Urbem Romam primi post hominum memoriam barbari quidam indigenæ tenuerunt, Siculi dicti. his pulsis, Aborigines eum locum occupavêre, Oenotrorum posteri. Aboriginibus*

cum

cum tenentibus, primi cum eis sedeis conjunxerunt Pelasgi, gens vaga, ex eâ, quæ tunc Hæmonia, nunc verò Thessaliâ dicitur, profecta; in qua aliquamdiu subsederant. post Pelasgos Arcades, profecti ab opido Palantio, domicilium fixerunt ad unum è septem collibus; quem ab Arcadiâ patriâ Palantium vocavêre. haud multo pòst, adpulso in Italiam Hercule, quando exercitum ex Erythéa domum reducebat; relicta copiarum Græcarum pars quædam prope Palantium substitit. horum bona pars Epéi fuerunt; profecti ab Elide post devastatam ab Hercule patriam. Decima sextâ verò ætate post bellum Troianum Albani utrumque locum mœnibus & fossâ complexi, habitare cœperunt. ubi ad id temporis bubulcorum, opilionum, cæterorumque pastorum stabula fuerant. Cæterò Albanorum genus erat mixtum ex Arcadibus & Pelasgis Epeisque Elidensibus, ac postremò Troianis, cum Æneâ, Anchisæ & Veneris filio, in Italiam profectis. horum omnium commune nomen fuit Latini; deductum à Latino, eius regionis principe; obliteratis singularum gentium priscis adpellationibus. Ab his igitur gentibus urbs munita est. En, quid hoc est? *Romæ*, ait, consedit, expulsis inde Siculis, *Aborigines, Pelasgos, Arcades, Epéos.* mox verò dicit, *Albanorum genus mixtum fuisse ex iisdem Pelasgis, Arcadibus*, atque *Epéis*. Quòd si voluit, Albanos, ex Aboriginibus & Troianis compositos, unà cum hisce gentibus Romam urbem condidisse; cur non dixit, Γένος δὲ τὸ Ἀλβανὸν μικτὸν ἦν ἐκ τῶν προειρημένων Ἑλληνικῶν ἐθνῶν· id est; *Genus Albanorum mixtum erat ex prædictis gentibus Græcis?* Quin, postquàm Romæ cum his commixti fuerunt isti Albani, Troianorum posteri, jam non ampliùs *Albani*, sed *Romani* dicebantur. Sanè ego suspicor, legisse Dionysium apud aliquem antiquissimorum scriptorum, & ipsos Albanos in Albâ suâ Longâ oriundos esse à Græcis Pelasgis, seu Arcadibus: qui in Italiâ cum Aboriginibus conjuncti, uno nomine *Latini* dicebantur; pulsisque Siculis, omne hoc Latium occupaverant, duce Euandro: ut suprà cap. I ac II huius libri III demonstratum est. Quòd si igitur non primis huius regionis cultoribus Siculis, saltem ab novis istis Latinis condita fuit *Alba*. Opidanos inde dictos fuisse ALBANOS, quum ad discrimen horum incolæ alterius *Albæ* in Marsis dicerentur *Albenses*, suprà lib. II cap. XV monui.

Lacvs Albanus.

Cæterùm Albâ dirutâ, nihil ferè hoc Latii tractu celebrius fuit MONTE atque LACV ALBANO. De lacu mirum prodigium traditur. Valer. Maximus lib. I cap. VI: *Quum bello acri & diutino Veientes à Romanis intra mœnia compulsi, capi non possent: eaque mora non minùs obsidentibus, quàm obsessis, intolerabilis videretur; exoptatæ victoriæ iter miro prodigio dii immortales patefecerunt. subitò enim Albanus lacus, neque cœlestibus imbribus auctus, neque inundatione ullius amnis adjutus, solitum stagni modum excessit. cuius rei explorandæ gratiâ legati ad Delphicum oraculum missi, retulerunt, præcipi sortibus, ut aquam lacus eius emissam per agros diffunderent. sic enim Veios in potestatem populi Romani venturos. quod priusquàm legati renunciarent; haruspex Veientium à milite nostro (quia domestici interpretes deerant) raptus, & in castra perlatus, futurum dixerat.* Plutarchus in Camillo: Ἐκ τούτου τὸ περὶ τὴν Ἀλβανίδα λίμνην πάθος ἀκμάζουσι τῷ πολέμῳ συνενεχθὲν, ἀδενὸς ἦτον τῶν ἀπίστων πυθέσθαι θαυμάτων, αἰτίας κοινῆς ἀπορίαν, καὶ λόγε φυσικοῦ ἔχοντος ἀρχήν, ἐφόβησεν. ὧν μὲν γὰρ ὥρα μεταπωρινὴ, καὶ τὸ ῥεῖθρον ἔληγε, οὔτε ὑπομβρον, οὔτε πιδόμενοι νοτίοις χαλεπὸν ἐπιδήλως ἠνόμιζον. πολλαὶ δὲ λίμναι καὶ πολυμεῖς ἢ νάμασι παντοδαποῖς τὴν Ἰταλίαν ἔχουσης, τὰ μὲν ἐξέλιπε κομιδῇ, τὰ δ' αὐτῆς ἐγλίχρως καὶ μόλις. οἱ δὲ πάλαι ὥσπερ αἰεὶ κοῖλοι καὶ βαπτνοὶ διὰ ῥεῖθρας ἐρρύησαν. τὸ δὲ τῆς Ἀλβανίδος λίμνης, ὄρχιν ἔχον ἐν ἑαυτῷ καὶ τελματώδη, ὄρεσιν ὀγκίοις περιεχόμενον, ἀπ' ἀδενὸς αἰτίας πολὺ ἐπ ἰσῶν, οὐχόμενον ἀπιδήλως διωγκοῦτο, ὑπορρεούσης τῆς ὑπωρείας, καὶ τῶν ἀνωβάτων λόφων ὁμαλῶς ἐπέψαυεν, ὥδε σάλου δ' κλύδωνος ἐξανισάμενον· ἐπεὶ δ' διείργοντο ἀπὸ τῆς κάτω χώρας οἷον ἰσθμοῦ τὴν λίμνην ὑπερκαθήμενον ὑπὸ δ' πληθυος καὶ βάρους, μέγα ῥεῦμα καλέβαινε διὰ τῶν ὀρεμμάτων καὶ φυλλωμάτων ἐπὶ τὴν θάλατταν, ὃ μόνον αὐτοῖς παρεῖχε Ῥωμαίοις ἔκπληξιν, ἀλλὰ καὶ πᾶσιν ἐδόκει τοῖς τὴν Ἰταλίαν κατοικοῦσι μηδενὸς μικρὸν σημεῖον εἶναι. * — * · Λόγια προὔφαινεν ἀποῤῥήξαι τὴν ἑαυτοῦ πατρίδα, ὡς οὐκ ἄσης ἀλωσίμε πρότερον ἢ τὴν Ἀλβανίδα λίμνην ἐκχυθεῖσαν, εἰς φερομένην εἰς ὁδὸς ἐπέρας, ὥσπερ ὀπίσω κατασπάσαντες οἱ πολέμιοι, κωλύσωσι μίγνυσθαι τῇ θαλάττῃ. * · Καὶ τὸ τῆς Ἀλβανίδος ὕδωρ ἐκέλευον, ἐργούσας ὡς ἀνυσόν ἐστι τῆς θαλάσσης ἄνωθεν εἰς τὸν ὀρχαῖον πόρον, ἢ τάτο μὲν δυναμένας, ὀρύγμασι καὶ ῥοαῖς ἐκφορεῖς ἐμβαλεῖν εἰς τὸ πεδίον καταλύσειν. Id est: *Inde res lacui Albano accidit, medio belli ardore, cum quovis rarissimo miraculo conferenda. quæ, quia vulgari causâ, & ratione ex rerum naturâ ductâ carebat, pavorem incussit. Æstas erat extrema & præceps; nec cœlestibus aucta aquis, nec ventis admodùm turbulenta austrinis.*

auſtrinis. lacus autem & amnes rivique ac fontes, quos habet Italia frequenteis, partim jam planè exaruerant, partim exiguam & tenuem trahebant undam: fluviique per æſtatem, ut ſemper fit, humili ac depreſſo alveo ferebantur; quum lacus Albanus, qui neque aliunde ducit originem, neque aliò ſeſe effundit, fertilibus cinctus collibus, nullâ ex causâ, niſi ſi qua divina, inflatus, manifeſto intumuit; ita, uti pertingeret ad dorſa montium, & ſummos undiquaque æquaret tumulos; ſine æſtu tamen ac commotiori aliquo fluctu. Id paſtoribus primùm erat ac bubulcis miraculo. ubi verò dorſi repagulo, quo veluti iſthmo ſeu aggere à ſubjectis campis arcetur, refracto, per ſata atque plantas, magno cum impetu in mare defluxit; tum non Romanis tantum terrorem incuſſit; verùm etiam omnibus Italiam incolentibus viſus eſt magni quid portendere. Narrat hinc de Etruſco vate. *Ille ſorteis patriæ ſuæ occultas aperit: Non antè expugnari eam poſſe, quàm lacum Albanum effuſum hoſtes retro ab curſu ſuo derivarent, atque ab mari diverterent.* Mox: *Iuſſerunt, uti Albani lacus aquam, quoad eius fieri poſſet, à mari in priſtinum alveum reducerent. quòd ſi id minùs poſſent; rivis foſſisque per agros diductam exſtingverent.* Livius lib. v: *In unum prodigium omnium curæ verſæ ſunt: quòd lacus in Albano nemore, ſine ullis cœleſtibus aquis, causâve qua aliâ, quæ rem miraculo eximeret, in altitudinem inſolitum crevit. Quidnam eo dii portenderent prodigio, miſſi ſciſcitatum oratores ad Delphicum oraculum. ſed propior interpres fatis oblatus, ſenior quidam Veiens: qui inter cavillanteis in ſtationibus ac cuſtodiis milites Romanos Etruſcosque vaticinantis in modum cecinit; Priusquàm ex lacu Albano aqua emiſſa foret, numquàm potiturum Veiis Romanum.* Paullo pòſt: *Sic libris fatalibus, ſic diſciplinâ Etruſcâ traditum eſſe; ut, quando aqua Albana abundaſſet, tum ſi eum Romanus ritè emiſiſſet; victoriam de Veientibus dari. antequàm id fiat; deos mœnia Veientium deſerturos non eſſe.* Poſteà: *Iamque Romani, deſperatâ ope humanâ, fata & deos ſpectabant; quum legati ab Delphis venerunt, ſortem oraculi adferentes, congruentem reſponſo captivi vatis: Romane, aquam Albanam cave lacu contineri; cave, in mare manare ſuo flumine, ſinas. emiſſam per agros rigabis, diſſipatamque rivis exſtingues.* Mox: *Iam ludi Latinæque inſtaurata erant: jam ex lacu Albano aqua emiſſa in agros: Veiosque fata adpetebant.* Intelligit heic *flumen* Livius, quod aqua è lacu *perrupto dorſo, quo* ab occidente ceu *adgere* quodam *includitur, effuſa fecerat.* aliàs enim τὸ τῆς λίμνης ὕδωρ, ut inquit Plutarchus, ἔχω ἐχὶ ἐν ἑαυτῷ καὶ τελευτῷ, ὄρεσι περιεχόμενον, id eſt, *aqua lacus nec originem aliunde, niſi ex ſe, ducit, nec aliò effunditur: montibus undiquaque incluſa.* Cicero eamdem rem ſic narrat Divinationum lib. I: *Quid, quod in Annalibus habemus? Veienti bello quum lacus Albanus præter modum creviſſet, Veientem quemdam ad nos hominem nobilem profugiſſe; eumque dixiſſe; ex fatis, quæ Veientes ſcripta haberent, Veios capi non poſſe, dum lacus is redundaret: &, ſi lacus emiſſus, lapſu & curſu ſuo ad mare profluxiſſet, perniciosam populo Romano; ſin autem ita eſſet eductus, ut ad mare pervenire non poſſet, tum ſalutare noſtris fore. ex quo illa admirabilis à maioribus Albanæ aquæ facta deductio eſt.* Eam intelligit *deductionem*, de qua Dionyſius ſuprà ſcripto lib. I ita tradit: ἡ δὲ λίμνη βαθεῖά ἐστι καὶ μεγάλη, καὶ αὐτῇ μὲν κλιτύων αἰωρουμένων ἐκδέχεται τὸ πεδίον, ῥαμιζομένων, ὁπόσα βούλονται τῶν αὐθρώπων τὸ ὕδωρ. Hoc eſt: *Lacus profundus eſt atque magnus: ex quo, reductis clauſtris, in ſubjectos campos aqua promitur, quantum eius volunt incolæ.* Vnde Cicero de eâdem re iterum Divination. lib. II: *Nam illa prædicta Veientum, ſi lacus Albanus redundaſſet, isque in mare fluxiſſet, Romam perituram: ſi repreſſus eſſet, Veios:* ..... [deſunt nonnulla] ..... *ita aqua Albana deducta ad utilitatem agri ſuburbani; non ad arcem urbemque retinendam.* Huius derivationis ſive clauſtri ſeu montis inciſuræ tenue quoddam veſtigium in margine lacus, quâ occaſum Solis proſpicit, obſervaſſe mihi videor.

Ab altero igitur latere ſublimis ille lacui imminet MONS ALBANVS, è mediis campis in altum cacumen evectus. quem poëtæ (credo, metri causâ) modò *tumulum*, modò *collem* vocant; licèt *mons* ſit ſatis magnus atque excelſus Virg. Aeneid. lib. XII: MONS Albanus,

At Iuno ex ſummo, qui nunc Albanus habetur,
(Tunc neque nomen erat, neque honos, aut gloria monti)
Proſpiciens tumulo, campum ſpectabat.

Martialis lib. IIII epigram. LXIIII:

Tulli jugera pauca Martialis
Longe Ianiculi jugo recumbunt.
Hinc ſeptem dominos videre monteis,

Et

Et totam licet æstimare Romam,
Albanos quoque Tulliosque colleis.

Lib. v epigr. 1:

Hoc tibi, Palladiæ seu collibus vteris Albæ,
Cæsar, & hinc Triviam prospicis, inde Thetin,
Mittimus.

Statius Silvar. lib. III carm. 1:

——— Dardaniæ quamvis sub collibus Albæ
Rus proprium, magnique ducis mihi munere currens
Vnda, domi curas mulcere æstusque levare
Sufficerent.

Lib. v, carm. 11:

Sed quis ab excelsis Troianæ collibus Albæ
Vnde suæ juxtà prospectat mœnia Romæ
Proximus ille deus, fama velocior intrat
Nuncius?

Sed & Columellæ lib. III cap. 11 *Albanus* vocatur *mons*. Livio lib. VII dicitur *Iugum Albæ Longæ*, ut infrà videbimus. Martiali lib. XIII epigram. CVIIII ab Iulo Ascanio, Albæ Longæ conditore, *Iuléus* vocatur *mons*, in hoc districho, quo vinum Albanum innuit: *Hoc de Cæsareis mitis vindemia cellis*
Misit, Iuléo quæ sibi monte placet.

Feriae Latinae *in Albano monte.*

Sed montem hunc, post Albam dirutam, nobilitarunt maximè FERIAE LATINAE, quæ ab *totius Latii populis* in eo celebrari solebant. Stephani epitomator: Ἄλβα, πόλις Ἰταλίας. * * Λέγεται καὶ Ἄλβανὸς ἐν Ἰταλίᾳ τόπος, ἐν ᾧ ἱεροποιΐαι ἐγίνοντο, Id est: *Alba, opidum Italiæ*. Mox: *Dicitur & Albanus in Italiâ locus, in quo sacrificia fiebant*. Omnino scriptum fuisse censeo, Λέγεται καὶ Ἄλβανὸς ἐν Ἰταλίᾳ ὄρος. id est; *Dicitur & Albanus in Italiâ mons*. Varro de Lingvâ Latinâ lib. v: *Latinæ feriæ dies conceptivus dictus à Latinis populis; quibus ex Albano monte ex sacris carnem petere fuit jus cum Romanis: à quibus Latinis Latinæ dictæ*. Plinius lib. III cap. v; ubi populos Latii recenset: *Et cum his carnem in monte Albano soliti accipere populi*. Servius ad Virgilii Aeneid. lib. I: *Viscera non tantùm intestina dicimus; sed quidquid sub corio est. ut in Albano Latinis visceratio dabatur: id est, caro*. Livius lib. XXXII: *Feriæ Latinæ pontificum decreto instauratæ sunt: quòd legati ab Ardeâ questi in senatu erant, sibi in monte Albano Latinis carnem, ut adsolet, datam non esse*. Martialis lib. XII epigram, XLVIII:

Non Albana mihi sit commessatio tanti;
Nec Capitolinæ pontificumque dapes.

Strabo lib. v: Τὸν Ἀσκανίου φασὶ Ἄλβαν κτίσαι ἐν τῷ Ἀλβανῷ ὄρει, ἐν ταύτῃ Ῥωμαίοις σὺν τοῖς Λατίνοις Διὶ θύουσιν, ἅπασα ἡ συναρχία ἀθροισθεῖσα: Id est: *Ascanium ferunt Albam condidisse in Albano monte: ubi totius imperii concilio coacto Romani cum Latinis Iovi sacrificant*. Cicero ad Atticum lib. I epist. II: *Aviam tuam scito desiderio tui mortuam esse: & simul, quòd veritus sit, ne Latinæ in officio non manerent, & in montem Albanum hostias non adducerent*. Florus lib. III cap. XVIII: quod est de bello sociali: *Primum fuit belli in Albano monte consilium: ut festo die Latinorum I. Cæsar & Marcius Philippus consules inter sacra & aras immolarentur*. Dionysius lib. IIII, de Tarquinio Superbo, ultimo Romanorum rege, narrans: Τυχὼν οὖν τῆς Λατίνων ἡγεμονίας ὁ Ταρκύνιος, ἐπεστράτευσε πρὸς τοὺς Ἐρνίκων πόλεις καὶ πρὸς τοὺς Οὐολούσκων, προκαλεσάμενος κἀκείνους εἰς φιλίαν καὶ συμμαχίαν. ὧν οἱ Οὐολοῦσκοι ἔθνος ὂν πόλεις εἶδεξαντο μέγιστας τῶν προκλήσεως, Ἐρνικες δὲ ἅπασαι τὸ ἴσον ἐψηφίσαντο πιεῖν τὴν συμμαχίαν. Τοῦ δὲ μάλιστ' εἰς ἅπαντα τὸν χρόνον τὸ συγκείμενον ἦν πόλεσι προνοίαν ὁ Ταρκύνιος λαμβάνων, ἱερὸν ἔγνω κοινὸν ἀποδεῖξαι Ῥωμαίων τε καὶ Λατίνων καὶ Ἐρνίκων καὶ Οὐολούσκων, τὸ συλλεγησόμενον εἰς τὴν συμμαχίαν· ἵνα συνερχόμενοι καθ' ἑκάστους ἐνιαυτοὺς εἰς τὴν ἀποδεχθεῖσαν τόπον, πανηγυρίζωσι καὶ συνιῶσιν, καὶ κοινῶν ἱερῶν μεταλαμβάνωσιν. Ἀρχηγὸς δὲ πάντων τὸ πρᾶγμα δεξαιμένων, τὸν μὲν ἀπέδειξεν, ἔνθα πιεῖσθαι τὸ συνοδὸν, ἐν μέσῳ μάλιστα τῶν ἐθνῶν κείμενον, ὄρος ὑψηλὸν, ὃ τῶν Ἀλβανῶν ὑπερέκειτο πόλεως, ἐν ᾧ πανηγύρεις τε αἱ πάντων ἄγιαι· ἐδόκει γὰρ ἅπασι θεὸς πάντας ἐνομοθέτησε, θυσίας τε συντελεῖσθαι κοινὰς τῷ καλουμένῳ Λατιαρίῳ Διὶ καὶ συνιέναι πᾶσι, ζῶσι ἃ δεῖ παρέχειν ἑκάστῳ πόλιν εἰς τὰ ἱερά, καὶ μέρη λαβεῖν ἑκάστῳ δίκης λαμβάνειν. Αἱ δὲ μεταχεῖσαι τῆς ἑορτῆς τε καὶ τῆς θυσίας πόλεις, ἡγεῶν δέουσαι, πεπληγυῖαι ἐζημιοῦντο. Ταύτας τὰς ἑορτὰς τε καὶ τὰς θυσίας μέχρι τοῦ καθ' ἡμᾶς χρόνου τελοῦσι Ῥωμαῖοι, Λατίνας καλοῦντες· καὶ φέρεσιν εἰς

σιν εἰς πιῶσας αἱ μετέχουσαι τῶν ἱερῶν πόλεις, αἱ μὲν ἄρνας, αἱ δὲ τυρὸς, αἱ δὲ γάλακτος ὃ μέτρον, αἱ δὲ ὁμοίον ἁπάσαις πελάσαι ἠνώγεσαν· ἑνὸς δὲ ταύρου κοινῶς ἀπὸ πάντων θυομένου, μέρος ἑκάστη τῶν πόλεων λαμβάνει. Θύουσι δὲ ὑπὲρ πάντων· καὶ τὴν ἡγεμονίαν τῶν ἱερῶν ἔχουσι Ῥωμαῖοι. Hoc est: *Tarquinius Latinæ gentis imperio potitus, legatos misit ad Volscos & Hernicos; eorum quoque amicitiam & societatem expetens. Volscorum duo tantùm populi adsenserunt; Echetrani & Antiates. Hernici universi societatem decreverunt. Vt autem sempiternum maneret id fœdus: Tarquinius proposuit designare commune templum Romanorum Latinorumque & Hernicorum ac Volscorum, qui sociorum numero adscripti essent: ut quotannis ibi, solennem cœtum agitantes, epularentur unà, & communia sacra participarent. Quod quum* 10 *æquis animis acceptarent omnes; locus conventui præstitutus est in meditullio fermè harum gentium, mons excelsus, Albæ imminens: ubi singulis annis feriæ celebrarentur: & tunc ab omni vi temperarent omnes: sacraque communiter Iovi Latiari facerent; & vacarent epulis: constituto, quid quisque populus in ea sacra præbere, quamque portionem recipere deberet. Earum feriarum, eiusque sacrificii, participes fuerunt* XLVII *civitates. easque etiam nunc Romani agitant; Latinas vocantes. conferunt in eas populi, sacrorum participes, alii agnos, alii caseos, quidam lactis certum modum, quidam consimile liborum genus. Communis omnium victima est taurus unus. de quo cuique populo sua portio tribuitur. Sacrificant autem pro universis. eique sacrificio præsunt Romani.* Huc scilicet respexit Virgilius, istum versum Aeneid. lib. XII scribens:

20 *Tunc neque nomen erat, neque honos, aut gloria monti.*

Ad quæ verba ita commentatur Servius: *Hoc ideò ait, quia in Albano res divina à jure triumphantibus fieri solebat: scilicet, quòd Alba patria populi Romani habetur; unde omnis origo Romana. propter quod Albanique patres. & Iupiter Latiaris antiquissimus est. Ergo montis huiusce gloria, quòd patria populi Romani esse dicatur: honos verò ère divinâ, quæ ibi à Romanis fieri consueverat. nomen quis ignorat à Longâ Albâ tractum esse.* Certè summam, ut antè dixi, nobilitatem à feriis Latinis habuit. Macrobius Saturnalior. lib. I cap. XVI: *Quum Latiar, hoc est, Latinarum solenne concipitur, nefas est prælium sumere: quia Latinarum tempore, quo publicè quondam induciæ inter populum Romanum Latinosque firmatæ sunt, inchoari bellum non decebat.* Sic Dio 30 quoque lib. XLVII festum hoc plurali numero adpellavit τὰ Λατιάρια, *Latiaria*. Livius sub finem libri XXI: *Ne Latinas indiceret, Iovique Latiali solenne sacrum in monte Albano faceret.* TEMPLVM etiam huius IOVIS LATIALIS memorat Livius lib. XXVII. *In Albano*, inquit, *monte tacta de cœlo erant, signum Iovis arborque templo propinqua.* In summo id fuisse montis jugo, ex suprà scriptâ Dionysii narratione colligere datur. sed & Cicero haud obscurè idem testatur in oratione pro T. Annio Milone; ubi de P. Clodii cæde loquitur: *Non est humano consilio, ne mediocri quidem, judices, deorum immortalium curâ, res illa perfecta. religiones meherculè ipsæ aræque, quum illam belluam cadere viderunt, commovisse se videntur, & jus in illo suum retinuisse. Vos enim Albani tumuli atque luci, vos, inquam, imploro atque obtestor; vosque Albanorum* 40 *obrutæ aræ, sacrorum populi Romani sociæ & æquales; quas ille præceps amentiâ, cæsis prostratisque sanctissimis lucis, substructionum insanis molibus oppresserat: vestræ tum aræ, vestræ religiones viguerunt, vestra vis valuit; quam ille omni scelere polluerat. tuque ex tuo edito monte, Latialis sancte Iupiter; cuius ille lucus, nemora, fineisque, sæpè omni nefario stupro & scelere maculârat; aliquando ad eum puniendum oculos aperuisti. vobis illæ, vobis, vestro in conspectu, seræ, sed justæ tamen & debitæ, pœnæ solutæ sunt.* En, ut disertè Cicero distingvit inter *Albanos tumulos atque lucos Albanorumque obrutas aras, sacrorum populi Romani socias atque æqualeis, quas Clodius, cæsis sanctissimis lucis, substructionibus suis oppresserat*, & inter *editum Latialis Iovis montem*, in quo templum eius erat. itaque *aræ istæ Albanorum in tumulis & sacris lucis* haud dubiè in ipso fuêre *vestigio Al-* 50 *bæ Longæ*; cuius tantùm *templa* intacta reliquisse Tullum Hostilium, quum urbem destrueret, testantur Livius Dionysiusque ac Strabo. *Substructiones* autem illas Clodii fuisse ab hac parte lacus, supra *Albanum* opidum, mox infrà clariùs videbimus. An igitur ad hunc *editum Iovis montem* pertinet & illud Livii, quod post dirutam Albam tradit eodem lib. I his verbis: *Devictis Sabinis, quum in magnâ gloriâ magnisque opibus regnum Tulli ac tota res Romana esset, nunciatum regi patribusque est, in monte Albano lapidibus pluisse. quod quum credi vix posset, missis ad id visendum prodigium: in conspectu haud aliter, quàm quum grandinem venti glomeratam in terras agunt,*

crebri cecidère cœlo lapides. visi etiam audire vocem ingentem ex summi cacuminis luco, ut patrio ritu sacra Albani facerent. Eumdem locum Livius posteà, lib. VII, arcem Albanam vocat. Inde Galli dissipati fusique per campos, & præter castra etiam sua fugâ prælati, quod editissimum inter æqualeis tumulos occurrebat oculis, arcem Albanam petunt. Paullo pòst: Galli ex Albanis montibus, quia hiemis vim pati nequiverant, per campos maritimaque loca vagi populabantur. Cæterùm idem Livius lib. XLII, in consulatu L. Posthumii Albini & M. Popilii Lænatis, anno Vrbis IↃLXXVIII, ita scribit: Eò anno C. Cicereius prætor in Corsicâ signis collatis pugnavit: VII millia Corsorum cæsa: capti ampliùs CIↃ & IↃↃ. Voverat in eâ pugnâ prætor ædem Iunonis Monetæ. Et lib. XLV, in consulatu Q. Aelii Pæti & M. Iunii Pennii: Eodem anno C. Cicereius ædem in monte Albano dedicavit, quinquennio pòst, quàm vovit. Hæc IVNONIS MONETAE ædes haud dubiè & ipsa fuit in summo montis jugo, prope Iovis templum. De eâdem puto loqui Dionem lib. XXXVIIII his verbis: Ἐν τῷ Ἀλβανῷ νεὼς Ἥρας βραχὺς ἔτι τραπέζης ἄνωθεν πρὸς ἀνατολὰς ἱδρυμένος, πρὸς τὸ ἄρκτον μεμετάφη. Id est: In Albano Iunonis exigua ædes, supra mensam quandam dedicata, quum orientem Solem spectaret, ad septemtriones conversa est. FORVM Populi. Plinius dicto lib. III cap. V; ubi populos seu civitates Latii enumerat; In monte, inquit, Albano FOROPOPVLIENSES. Sic scilicet eodem libro cap. IIII in Galliâ Narbonensi Foroneronienseis adpellat ab opido Foro Neronis; cap. XIIII in Vmbriâ Foroflaminienseis, à Foro Flaminii: Forojulienseis, à Foro Iulii; Forosempronienseis, à Foro Sempronii: cap. XVI in Liguribus Forovibienseis, à Foro Vibii: Forocornelienseis, à Foro Cornelii. Itaque in Albano etiam monte haud dubiè opidulum seu vicus fuit nomine FORVM POPVLI, circa templum Iovis; ubi sacra illa Latinarum feriarum ab universo Latii populo fiebant. Ovidius metro coactus videtur Foropopulienses dixisse FORENSEIS, Fastor. lib. III, his versibus:

Mars Latio venerandus erat; quia præsidet armis.
Arma feræ genti remque decusque dabant.
Quòd si fortè vacas; peregrinos inspice fastos.
Mensis in his etiam nomine Martis erit.
Tertius Albanis, quintus fuit ille Faliscis:
Sextus apud populos, Hernica terra, tuos.
Inter Aricinos Albanaque tempora constat;
Factaque Telegoni mœnia celsa manu.
Quintum Laurentes, bis quintum Aequiculus acer,
A tribus hunc primum turba Forensis habet.
Et tibi cum proavis, miles Peligne, Sabinis
Convenit. huic genti quartus utrique deus.

En *turbam* tantùm vocat *Forensem*; ut à tenuiori opidulo: non autem *plebem* aut *populum*; quod maioribus magis conveniebat opidis. Haud equidem nescius sum, doctissimos quosdam viros hosce *Forenseis* traxisse ad *Forulos*, opidum Sabinorum. verùm cur minùs rectè id factum, suprà lib. II cap. VIIII in Sabinis ostendi. In hoc igitur *Foro Populi* domus etiam fuit publica, in quam consules sacrificaturi divertebant. Dio lib. LIIII, in rebus Augusti: Καὶ κεραυνὸς ἐς τὴν ἐν τῷ Ἀλβανῷ οἰκίαν, ἐς ἣν οἱ ὕπατοι ἐν ταῖς ἱερουργίαις καταλύουσιν, ἐνέσκηψε. Id est: Fulmine domus ea in Albano, in quam consules, quum sacra heic fiant, divertere solent, icta fuit. Domus consulum *in Albano monte*.

De cætero pluribus ac variis Albanum montem consitum fuisse NEMORIBVS seu LVCIS, in ipso cacumine, circa Albam & lacum, suprà ex Cicerone ac Livio intelleximus. quorum hic lib. I: Visi etiam audire vocem ingentem ex summi cacuminis luco, ut patrio ritu sacra Albani facerent. Cicero in oratione pro Milone: Vos Albani tumuli atque luci. &; cæsis prostratisque sanctissimis lucis. item; tuque ex tuo edito monte, Latialis sancte Iupiter: cuius ille lacus, nemora, fineisque, sæpè omni nefario stupro & scelere maculârat. Sed omnia hæc unum NEMVS ALBANVM intellexisse videtur Livius lib. V; ubi ait; Lacus in Albano nemore in altitudinem insolitam crevit. Hodiéque idem mons admodùm est nemorosus; maximè verò ab eâ parte, qua lacus est. ALBANVM NEMVS.

At posterioribus etiam temporibus omne hoc latus Albani montis inter Albæ Longæ vestigia & lacum viamque Appiam *villis* ac *prætoriis* ducum principumque Romanorum percelebre fuit. Ac primùm ad ipsam viam fuit CN. POMPEII VILLA. ALBANVM (intellige *suburbanum rus* seu *prædium*) POMPEII dicta: quà posteà *opi-*

ALBANVM Cn. Pompeii Magni.

dum

dunc vasit, nomine ALBANVM; quod hodiéque vulgò vocatur *Albano*. Supra hanc Pompeii villam, versùs lacum & Albæ Longæ vestigia sive templa, fuit P. CLODII VILLA: & ipsa ALBANVM CLODII adpellata. Plutarchus in Cicerone: Πομπήϊος ἀγρεύοντος ἐν ἀγροῖς περὶ τὸ Ἄλβανόν. id est: *Pompeio ruri agente circa Albanum.* Ipse Cicero ad Atticum lib. VII epist. V: *Ego de Formiano Tarracinam: inde Pomptinum summam: inde Albanum Pompeii. ita ad Vrbem.* Nempe via Appia hac ducebat à *Tarracinâ*, per *Forum Appii*, *Treis Tabernas*, *Sub Lanuvio*; quod in colle situm propter viam: dein *Ariciam* & *Bovillas*: ut infrà videbimus. Idem Cicero in oratione pro C. Rabirio Posthumo; qui Ptolemæo regi pecuniam roganti crediderat: *Quamquàm ad sumptum itineris, ad illam magnificentiam adparatus comitatumque regium suppeditata pecunia à Posthumo est: factæque syngraphæ sunt in Albano Cn. Pompeii, quum ille* [rex] *Româ profectus esset.* Nempe, *viâ Appiâ*, versùs Capuam & Brundisium; ut in regnum rediret. Idem porrò Cicero in oratione pro T. Annio Milone: *Tulit de cæde, quæ in Appiâ viâ facta esset; in qua P. Clodius occisus est.* Aliquanto pòst: *Quum sciret Clodius, iter solenne, legitimum, necessarium, ante diem* XIII *Kalend. Febr. Miloni esse Lanuvium, ad flaminem prodendum; quòd erat dictator Lanuvii Milo; Româ subitò ipse profectus pridiè est; ut ante suum fundum Miloni insidias collocaret.* Mox: *Fit obviam Clodio Milo ante fundum eius horâ ferè* XI. [*aliàs* IX.] *statim complures cum telis in hunc faciunt de loco superiore impetum.* Deinde: *Atque illo die certè Aricià rediens, divertit Clodius in Albanum. Quòd nisi sciret Milo, illum Ariciæ fuisse; suspicari tamen debuit, eum, etiamsi Romam illo die reverti vellet, ad villam suam, quæ viam tangeret, diversurum. cur neque antè occurrit, ne in villâ resideret; nec eo in loco subsedit, quò ille noctu venturus esset?* Exiguo pòst: *Videamus nunc id, quod caput est. locus ad insidias ille ipse, ubi congressi sunt, utri tandem fuerit aptior? Ante fundum Clodii. quo in fundo, propter insanas illas substructiones facilè mille hominum versabatur valentium. Atqui excelso loco superiorem se fore putabat Milo: & ob eam causam eum locum ad pugnam potissimùm delegerat. An in eo loco potiùs exspectandum ab eo, qui ipsius loci spe facere impetum cogitârat?* Mox: *Videte nunc illum* [Clodium] *primum egredientem è villâ subitò. Cur vesperi? quid necesse est? quî convenit? præsertim id temporis. Divertit in villam Pompeii. Pompeium ut videret? sciebat in Alsiensi esse. Villam ut perspiceret? millies in eâ fuerat.* Posteà: *Cur igitur servos Milo manumisit? metuebat scilicet, ne tormentis cogerentur, occisum esse à servis Milonis in Appiâ viâ P. Clodium, confiteri.* Tandem: *Non est humano consilio, ne mediocri quidem, Indices, deorum immortalium curâ, res illa perfecta. religiones meherculè ipsæ aræque, quum illam belluam cadere viderunt, commovisse se videntur, & jus in illo suum retinuisse. Vos enim, Albani tumuli atque luci, vos, inquam, imploro atque obtestor; vosque Albanorum obrutæ aræ, sacrorum populi Romani sociæ & æquales; quas ille præceps amentiâ, cæsis prostratisque sanctissimis lucis, substructionum insanis molibus oppresserat: vestræ tum aræ, vestræ religiones viguerunt; vestra vis valuit: quam ille omni scelere polluerat. tuque ex tuo edito monte Latialis sanctè Iupiter: cuius ille lacus, nemora fineisque sæpè omni nefario stupro & scelere maculârat; aliquando ad eum puniendum oculos aperuisti. vobis illæ, vobis, vestro in conspectu feræ, sed justæ tamen & debitæ, pœnæ solutæ sunt. nisi fortè hoc etiam casu factum esse dicemus, ut antè ipsum sacrarium Bonæ deæ, quod est in fundo T. Sextii Galli, ante ipsam, inquam, Bonam deam, quum prælium commisisset, primum illud vulnus acceperit, quo teterrimam mortem obiret.* Ad hæc ita commentatur Asconius Pedianus: *Milo Lanuvium, ex quo erat municipio, & ibi tum dictator, profectus est, ad flaminem prodendum posterâ die. occurrit ei circa horam nonam Clodius, paullo ultra Bovillas, rediens ab Aricià, prope eum locum, in quo Bonæ deæ sacellum est. erat autem adloquutus decuriones Aricinorum.* Paullo pòst: *Clodius vulneratus in tabernam proximam Bovillano delatus est.* Et posteà: *P. Clodium Aricinos decuriones adloquendi gratiâ abiisse; profectum cum* VI *ac* XX *servis. Milonem subitò post horam quartam* [omnino scriptum erat, horam IX, ut suprà, & in quibusdam Ciceronis exemplaribus: quod posteà corruptum in IV] *cum servis amplius* CCC *armatis obviam ei contendisse, & supra Bovillas inopinantem in itinere adgressum. ibi P. Clodium, tribus vulneribus acceptis, Bovillas perlatum: tabernam, in quam profugerat, expugnatam à Milone. semianimem Clodium extractum in viâ Appiâ occisum esse. deinde Milonem, quum sciret, in Albano parvulum filium Clodii venisse ad villam; & quum puer antè subtractus esset, de servo Alicore quæstionem ita habuisse, ut eum articulatim consecaret.* Itineraria antiqua ita habent:

Tabulæ:		Antonini:		Hierosolymitanum:	
Româ, viâ Appiâ		*Appiâ ab Vrbe*		*In urbe Româ*	
Bobellas	X.	|		*Mu. Ad Nonum*	IX.
Aricia	III.	*Aricia*	XVI.	*C. Aricia & Albano*	VII.
Sub Lanubio	....	|		|	
|		|		*Mu. Ad Sponsas*	XIV.
Tres Tabernas	.....	*Tribus Tabernis*	XVII.	|	
....	X.	*Appi Forum*	XVIII.	*Mu. Appî Foro*	VII.
|		|		*Mu. Ad Medias*	IX.
Terracina	....	*Terracina*	XVIII.	*C. Terracina*	X.

Hodiéque XII exigua numerantur millia passuum ad opidum Albanum; atque inde mille passus Ariciam usque. quæ sunt XIII ista millia Tabulæ inter *Romam* & *Ariciam*. In Hierosolymitano itinerario haud dubiè scripta fuêre secundo loco IV; quæ mox in VI, ac tandem in VII corrupta sunt. Ex hisce igitur itinerariis pariterque ex præscriptis Ciceronis ac Pediani verbis clarè patet, *Albanum* opidum, ad tertium ferè lapidem ultra *Bovillas*, quæ interierunt, fuisse illud *Albanum prædium Cnæi Pompeii*: supra quod circa lacum & lucos Albanos suum habuit eodem cognomine prædium P. Clodius. quod non ipsam tetigisse Appiam viam, vel eo satis ipse fatetur Cicero, quòd inde descendisse ait Clodium in villam Pompeii, uti Miloni hinc iter Appiâ viâ à Româ & Bovillis versùs dictam villam & Lanuvium facienti occurreret. Obviam igitur factus est Bovillas egresso, ad mille fortassis passus ab opido: quo loco erat SACELLVM BONAE DEAE. qui equidem locus propinquior erat lacui & villæ Clodii, quàm Albanum Pompeii. unde rectè Cicero dixit, *obviam factum Milonem Clodio ante fundum eius*. sed in Pompeianam villam antè deflexisse Clodium, disertè idem testatur Cicero. Circa eadem hæc loca castra posuit Romanus exercitus bello civili contra Marium Cinnamque. qua de re ita Appianus Civil. bellor. lib. I: Μάριος ἦλεν Ἄντιον καὶ Ἀρικίαν καὶ Λανούβιον, καὶ ἄλλας πόλις. ὡς ἦ ἐς τοῦτο ἐκομίζετο ἀγορᾶς, ἀθαρσῶς ἐβάδιζεν ἐπὶ τὴν Ῥώμην αὐλίνα ἀφ' ἑαυτοῦ τὰ καλούμενα Ἄπτιας. ἔτι δ' ἄστε ἑκατὸν σταδίους αὐτὸς τε ἐκ Κίννας ἀποχώσας, ἐστρατοπέδευσεν, Ὀκταούιος ἐκ Κεφάλου καὶ Μετέλλος πρὸς τὸ ὄρος τὸ Ἄλβανον αὐτοῖς αὐτοκαθημένων. Id est: *Marius Antium, Ariciam, Lanuvium, & alia opida occupavit. ita terrâ quoque commeatibus interseptis, audaciter versùs Vrbem per viam Appiam progrediens, ad* C *stadia unà cum Cinnâ castra posuit. Octavius verò & Crassus & Metellus ad montem Albanum se eis opposuêre.* Centum stadia millia passuum eo sæculo conficiebant XII ac passus IO. medio igitur itinere inter *Albanum Pompeii* & *Ariciam* Marius Cinnaque posuêre castra: quibus opposita castra habuêre circa Albanum Pompeii Octavius Crassusque & Metellus. Apud Livium lib. VII ita scriptum: *Cohors una quum haud procul Anxure esset, ad Lantulas, saltu angusto inter mare ac monteis, consedit, ad excipiendos, quos consul aliis atque aliis causis mittebat. Iam valido admodùm numero manus erat: nec quidquam ad justi exercitus formam, præter ducem, deerat. Incompositi itaque prædantes in agrum Albanum perveniunt: & sub jugo Albæ Longæ castra vallo cingunt.* Paullo pòst: *Suo magis inde impetu, quàm consilio ducis, convulsis signis, infesto agmine ad lapidem octavum viæ, quæ nunc Appiâ est, perveniunt.* Ex his igitur historiis satis clarè patet, nullam tum heic fuisse *Albam* urbem, quam quosdam velle esse nunc *Albanum* opidum suprà dixi. Apud Orosium lib. V cap. XXII, & ex Orosio apud Freculfum tomo I lib. VI cap. XIII, ac Paullum Diacorum Historiæ miscellæ lib. V, ita scriptum est: *Syllâ mortuo, Lepidus, Marianæ partis adsertor, adversùs Catulum, Syllanum ducem, surgens, redivivos bellorum civilium cineres suscitavit. Bis tunc acie certatum est. plurimi Romanorum cæsi sunt. Albanorum civitas obsidione oppugnata: atque excruciata fame, ultimâ miserabilium reliquiarum deditione servata est. ubi tunc Scipio, Lepidi filius, captus atque occisus est. Brutus in Cisalpinam Galliam fugiens, persequente Pompeio, apud Regium interfectus est. Ita hoc bellum civile, non magis clementiâ Catuli, quàm tædio Syllanæ crudelitatis, ut ignis in stipulâ, eâdem celeritate, qua exarsit, evanuit.* Nisi vitiatum istud sit urbis vocabulum, miror ego, quàm heic intellexerit *Albam* Orosius. nam illam in Albano monte jam dudum diruerant Romani: nec umquàm ad ea tempora mœnia eius rursùm erecta fuêre; ut ex suprà

citatis

citatis auctoribus, maximè verò è Dionysio, disertè patuit. Marsorum Albam eum voluisse, conjicerem; nisi id bellum trans Tiberim intra Etruriam oppressum fuisset. Epitomator Livii lib. xc: *Sylla decessit. M. Lepidus, quum acta Syllæ tentaret rescindere, bellum excitavit; & à Q. Catulo collegâ Italiâ pulsus est: & in Sardiniâ frustrà bellum molitus, periit. M. Brutus, qui Cisalpinam Galliam tenebat, à Cnæo Pompeio occisus est.* Florus lib. III cap. XXIII: *M. Lepido, Q. Catulo, consulibus, civile bellum penè citiùs oppressum est, quàm inciperet. sed quantum latéque fax illius motus ab ipso Syllæ rogo exarsit! Cupidus namque rerum novarum per insolentiam Lepidus, acta tanti viri rescindere parabat.* Mox: *Ergo quum turbidis concionibus velut classico civitatem terruisset; profectus in Etruriam, arma inde & exercitum Vrbi admoverat. sed jam Milvium pontem collemque Ianiculum Lutatius Catulus Cnæusque Pompeius alio exercitu insederant. à quibus primo statim impetu retro pulsus, hostisque à senatu judicatus, incruentâ fugâ Etruriam, inde Sardiniam recessit. ibi morbo & pœnitentiâ interiit.* Appianus eodem Civil. bellor. lib. I posteà, de eodem Lepido: Οὐ λανθάνων δ' ἐφ' οἷς ἐβούλευεν, ἐκαλεῖτο ὑπὸ τῆς βουλῆς· ἠ δὲ οὐκ ἀγνοῶν ἐφ' οἷς ἐκαλεῖτο, ἧκε μὲν ἔρημος πάντος, ὡς ἐς τὴν πόλιν εἰσελευσόμενος αὖθις. κωλυόμενος δ' ἐκήρυξεν ἐς τὰ ὅπλα χαρεῖν· καὶ αὐτικηρυξε Κάτλος. μικρόν τι πρὸ δ' Ἀρείας πεδίας μάχης αὖθις ἠμοιβαίως, ἡ βουλὴ Λέπιδον, ἢ οὐκ ἐς πολὺ ἔτι αὐτοκρὰν, ἐς Σαρδὼ διέπλευσεν· ἔνθα νόσῳ τηκεδόνι χρώμενος ἀπέθανε καὶ ὁ στρατὸς αὐτοῦ μικρὰ δ' μέρος ἐνοχλήσας διελύθη. Id est: *Sed quum non laterent eius consilia, revocatus à senatu, nec ignarus cur revocaretur, adventabat cum omnibus copiis; volens in Vrbem eas introducere. Verùm prohibitus, suos per præconem jubet arma capere. idem ex adverso facit Catulus. confligiturque haud procul campo Martio. Lepidus victus, & cedere coactus, trajecit in Sardiniam: ubi tabe interiit. exercitus eius paullisper aliis atque aliis locis infestus, tandem dispersus est.* Idem testatur & Plutarchus in Cn. Pompeio. Miror ergo etiam atque etiam, unde eam historiam de Albanorum civitate habuerit Orosius. Apud Plutarchum equidem in Iulio Cæsare ita legitur: Καταβαίνοντα ἐξ Ἄλβης Καίσαρα εἰς τὴν πόλιν, ἐπλημμύρων ἀσπάσασθαι βασιλέα. Id est: *Descendentem ab Albâ ad Vrbem Cæsarem ausi sunt salutare regem.* At non ab *Albâ*, sed ex *Albano monte* descendisse tunc Cæsarem, testis est Svetonius in vitâ eius cap. LXXVIIII: *Quum à sacrificio Latinarum reverteretur, plebs regem eum salutavit.* Itaque aut mendum apud Plutarchum est ἐξ Ἄλβης, pro ἐξ Ἀλβανῆ, aut urbis nomine montem intellexit: ut Lucanus lib. I:

Et residens celsâ Latialis Iupiter Albâ.

Et lib. III; de Cæsaris itinere è Campaniâ Romam versùs:

Iamque & præcipites superaverat Anxuris arces;
Et quà Pomptinas via dividit uda paludes;
Quà sublime Nemus, Scythicæ quà regna Dianæ;
Quáque iter est Latiis ad summam fascibus Albam,
Excelsâ de rupe procul jam conspicit Vrbem.

Nempe à *Tarracinâ*, quæ priùs *Anxur* dicebatur, ad urbem Romam contendens, deflexit dextrorsum à viâ Appiâ in colleis *Dianæ Nemorensis*, ad opidum *Nemus*, quod hodiéque vulgò vocatur *Nemo*; lacum eiusdem Dianæ, quem in viâ Appiâ à dextrâ erat habiturus, in sinistrâ relinquens: atque inde in summum Albani montis cacumen, quod heic *summam Albam* Lucanus vocat, pervenit; haud dubiè Iovi Latiali ibi sacrificaturus. Sic Valerius quoque Flaccus Ἀργοναυτικῶν lib. II:

Iam nemus Fgeriæ, jam te ciet altus ab Albâ
Iupiter, & soli non mitis Aricia regi.

Item Tibullus lib. I eleg. VII; quam in honorem atque laudes Messallæ scripsit:

Nec taceant monumenta viæ, quæ Tuscula tellus
Candidaque antiquo detinet Alba lare.
Namque opibus congesta tuis heic glarea dura
Sternitur; heic aptâ jungitur arte silex.
Te canit agricola è magnâ quum venerit Vrbe
Serus; inoffensum retuleritque pedem.

Viam intelligit *Latinam*; de qua ita Strabo lib. V: Ἀρχὴ δ' ἡ Λατίνη ὁδὸς ἀπὸ τῆς Ἀππίας ἐν δεξιᾷ ἀπ' αὐτῆς ἐκτρεπομένη πλησίον Ῥώμης, εἶτα διὰ Τουσκλανοῦ ὄρους ὑπερβαίνει, μεταξὺ Τούσκλης πόλεως καὶ τοῦ Ἀλβανοῦ ὄρους, κατέχει δὲ τὴν Ἀλγιδον πλίχνιον καὶ Πικτὰς παγδοκεῖα. εἶτα συμπίπτει καὶ ἡ Λαβικανή. Id est: *Incipit Latina via ab Appiâ sinistrorsum ab eâ prope Romam*

deflectens: transieusque super montem Tusculanum, inter Tusculum opidum & Albanum montem, descendit ad opidulum Algidum & Pictas tabernas. incidit hinc in eam Labicana. Vallis hæc inter Tusculum & Albanum montem, per quam Latina via ad Algidum ducit, ALBANA vocatur VALLIS Livio lib. III; ubi de Aequorum expeditione loquitur in hæc verba: *Per Labicanos agros in Tusculanos colleis transierunt.* Mox: *Sequuti famam & vestigia Hernici Latinique, obvii fiunt descendentibus à Tusculano in Albanam vallem.* Sed ad viam Appiam revertamur. Post interitum P. Clodii quis *prædium* eius *Albam* tenuerit; ex eâdem familiâ homines, an alii; incertum est. cæterùm celebrata posteà sunt hæc loca imperatorum maximè secessu. Dio lib. LVIII, de Tiberio: Εἰκοστῷ ἔτει τῆς ἀρχῆς διατρίβων, αὐτὸς μὲν, καίπερ καὶ τὸ Ἀλβανὸν καὶ τὸ Τύσκουλον προτιμῶν, οὐκ ἐσῆλθεν εἰς τὴν πόλιν. Id est: *Vigesimo anno imperii, quum frequens in Albano & Tusculi esset, in Vrbem non venit.* Iuvenalis Satyrâ IIII:

Quum jam semianimum laceraret Flavius Orbem
Vltimus, & calvo serviret Roma Neroni;
Incidit Hadriaci spacium admirabile rhombi
Ante domum Veneris, quam Dorica sustinet Ancon,
Implevitque sinus.
Destinat hoc monstrum cymbæ linique magister
Pontifici summo. quis enim proponere talem,
Aut emere auderet? quum plena & litora multo
Delatore forent: dispersi protinus algæ
Inquisitores agerent cum remige nudo:
Non dubitaturi fugitivum dicere piscem;
Depastumque diu vivaria Cæsaris. inde
Elapsum, veterem ad dominum debere reverti.
——— *Donabitur ergo;*
Ne pereat. Iam lethifero cedente pruinis
Autumno, jam quartanam sperantibus agris,
Stridebat deformis hiems, prædamque recentem
Servabat: tamen hic properat, velut urgeat Auster.
Vtque lacus fuberant, ubi, quamquàm diruta, servat
Ignem Troianum & Vestam colit Alba minorem;
Obstitit intranti miratrix turba parumper;
Et cessit: facili patuerunt cardine valvæ.
Excluſi spectant admissa opsonia patres.
Itur ad Atreidem. tunc Picens, Accipe, dixit
Privatis maiora focis.
Sed deerat pisci patinæ mensura. vocantur
Ergo in consilium proceres.
Tandem:
Surgitur; &, misso, proceres exire jubentur,
Consilio; quos Albanam dux magnus in arcem
Traxerat attonitos, & festinare coactos;
Tamquàm de Geticis aliquid torvisque Sicambris
Dicturus.

Ergo *templum* illud, quod unicum Strabo suprà citato loco memorat à Tullo Hostilio relictum, quum distrueretur *Alba*, fuit *Vestæ* deæ. Porrò de eodem Nerone sic Svetonius in vitâ eius cap. XXV: *Reversus è Græciâ, Neapolim albis equis introiit, disjectâ parte muri: ut mos hieronicarum est. simili modo Antium. inde Albanum: inde Romam.* Nec *Romam* neque *Albanum*, *disjectâ parte muri*, *introiit*. neque dum enim opidum heic aliquod fuit, nomine *Albanum*; & *Alba Longa*, teste Iuvenale, tum diruta erat. Igitur illud de *Neapoli* tantùm atque *Antio* intelligendum. Post Neronem mox Domitianus hoc maximè usus est secessu. Dio lib. LXVI: Ὁ δὲ Δομιτιανὸς, φοβηθεὶς τὸν πατέρα, περὶ τῷ Ἀλβανῷ τῷ ὄρει τὰ πολλὰ διέτριβεν. Hoc est: *Domitianus, patrem metuens, apud Albanum montem plurimùm agebat.* Et lib. LXVII; ubi imperium adeptus: Θεὸν γὰρ τὸν Ἀθηναῖον εἰς τὰ μάλιστα ἤγαλλε, καὶ ἑορτὴν τε καὶ τὰ Παναθήναια μεγαλοπρεπέστερα. καὶ ἐν αὐτοῖς ἀγῶνας καὶ πυγμῆς καὶ λογογράφων μονομάχων τινὰς ἔτος, ὡς εἰπεῖν, ἐν τῷ Ἀλβανῷ ἐποίει.

ἐπὶ τῇ γὰρ τὸ χωρίον ἀπὸ τὸ ὄρους τὸ Ἀλβανὸν, ἀφ' ὑπερ ἔτως ὠνομάσθη, ὥσπερ ἴνα ἀκρόπολιν ἐξέλεγε. Hoc est: *Minervam præcipuè ex omnibus diis coluit. atque ob eam causam Quinquatria magnificè celebravit. in quibus certamina poëtarum oratorumque & gladiatorum quotannis ferè exhibebat in Albano. nam eum locum sub Albano monte, unde is locus nomen habet, tamquàm arcem aliquam elegerat.* Svetonius in vitâ eius, cap. IIII: *Celebrabat in Albano quotannis Quinquatria Minervæ: cui collegium instituerat: ex quo, sorte ducti, magisterio fungerentur; redderentque eximias venationes & scenicos ludos; superque oratorum ac poëtarum certamina.* Et cap. XVIIII: *Centenas varii generis feras sæpè in Albano secessu conficientem spectavêre plerique.* En tibi originem auctoremque amphitheatri, quod hodiéque prope lacum & opidum ei adpositum, cui vulgare vocabulum *Castel Gandolpho*, versùs *Albanum* opidum euntibus visitur, vulgò *Il Coliséo* dictum. Huc jam spectat & illud Martialis lib. v epigram. I ad Domitianum:

Hoc tibi, Palladiæ seu collibus uteris Albæ,
Cæsar, & hinc Triviam prospicis, inde Thetin;
Seu tua veridicæ discunt responsa sorores,
Plana suburbani quà cubat unda freti;
Mittimus.

Scilicet ab hoc *Albano* suo Domitianus & Ariciam Dianamque Nemorensem prospicere poterat, & simul etiam mare. Idem Martialis lib. XI epigram. VIII:

Iam certè stupido non dices, Paulla, marito,
Ad mœchum quoties longiùs ire voles,
Cæsar in Albanum jussit me manè venire,
Cæsar Circeios. jam stropha talis abit.
Penelopæ licet esse tibi sub principe Nervâ.
Sed prohibet scabies ingeniumque vetus.

Statius Silvar. lib. v carm. II ita canit:

Sed quis ab excelsis Troianæ collibus Albæ,
Vnde suæ juxtà prospectat mœnia Romæ
Proximus ille deus, fama velociter intrat
Nuncius: atque tuos implet Crispine penateis?
Dicebam certè. vatum non irrita currunt
Augurià. en ingens referat tibi limen honorum
Cæsar; & Ausonii committit munia ferri.

At Silvar. lib. III carm. I, prædium heic se ab Domitiano accepisse, fatetur his verbis: *—— Dardaniæ quamvis sub collibus Albæ*
Rus proprium, magnique ducis mihi munere currens
Vnda, domi curas mulcere æstusque levare
Sufficerent.

Ibidemque & patrem suum se tumulasse, testatur dicto Silvar. lib. v carm. III; quod est epicedion in patrem:

——— Vix hæc in munera solvo
Primum animum, tacitisque situm depellere curis,
Nunc etiam labente manu, nunc lumine sicco,
Ordior adclivis tumulo, quo molle quiescis,
Iugera nostra tenens: ubi, pòst Aeneïa fata
Solatus, Latiis ingessit montibus Albam
Ascanius, Phrygio dum pinguescis sanguine campos
Odit, & infaustum regnum dotale novercæ.
Heic ego te, (nam Sicanii non mitius halat
Aura croci; dites nec sic tibi rura Sabæi
Cinnama, odoratas nec Arabs decerpsit aristas)
Inserui cum laude loci.

Cæterò post Domitianum alii etiam Cæsares idem frequentarunt *Albanum*. Vulcatius Gallicanus, in Avidio Cassio, ex epistolâ M. Antonini ad Faustinam citat ista: *Veni igitur in Albanum; ut tractemus omnia diis volentibus.* Et ex epistolâ Faustinæ ad Antoninum: *Ipsa in Albanum cras, ut jubes, mox veniam.*

Sed & CASTRA PRAETORIA prope hoc imperatorum ALBANVM PRAETORIVM

ALBANA CASTRA, & ALBANVM imperatorium PRAETORIVM.

RIVM posita fuêre. Iul. Capitolinus in Maximino; qui circa annum Iesu Christi CCXXXV Aquileiam obsidens interiit: *Quare timentes milites, quorum adfectus in Albano monte erant, Maximinum & filium eius quiescenteis in tentorio occiderunt.* Herodianus lib. VIII: Παυσαμένης δὲ ὁπωσοῦν καὶ δυσθυμίας τὸ στρατιωτικὸν, ἀφνιδίως, ἀσαπωρήτως δὲ Μαξιμῖνος ἐν τῇ σκηνῇ, καὶ τὰ ἡμέρας ἐκείνης ἐν αὐτοῦ τοῦ πολέμου ἄσης, τὰ τε πλείστων τὰς σκηνὰς καὶ τὰ ἐγκαταλειφθέντα τῆς Φρεκῆς χωρία ἀνακεχωρηκότων, ἔδοξε τοῖς στρατιώταις, οἱ πρὸς τῇ Ῥώμῃ πολὺ στρατόπεδον εἶχον ὑπὸ τὸ καλούμενον ὄρος Ἄλβανὸν, ἔνθα παῖδας καὶ γυναῖκας καταλελοίπασιν, φονεῦσαι τὸν Μαξιμῖνον. Id est: *Quum igitur ad hunc modum mœstus & omnis consilii inops exercitus esset; repentè, dum sub tentorio quiescit Maximinus, vacuo die à pugnâ; quum plerique aut in tabernacula aut in suas quisque stationes concessissent; visum est militibus iis, quorum ad urbem Romam sub monte Albano castra erant, atque in his liberi eorum conjugesque relictæ, neci dedere Maximinum.* En, habes tandem originem atque primordia ALBANI *opidi* in ipsâ viâ Appiâ, quod hodiéque vulgò dicitur *Albano*; antiquitus autem erat *Albanum rus* seu *prædium Pompeii*. nam ad eiusmodi castra negotiatores statim confluxisse, sedemque posuisse, qui commeatum militibus & alia quotidiano victui necessaria suppeditabant, vulgò ex historiis notum est. & omneis ad Rhenum amnem urbeis, quæ nunc omnium maximæ sunt & celeberrimæ, ab huiusmodi præsidiariis Romanorum castris seu castellis cepisse originem, in Germaniæ opere docui. Hinc igitur illud Eutropii, qui CC propemodùm annis post Maximinum scripsit, lib. I, de Tullo Hostilio: *Albanos vicit: qui ab urbe Româ* XII *milliario sunt.* Ab Eutropio partim, partim ab Orosio hæc mutuatum censeo Paullum Diaconum Historiæ miscellæ lib. I, de eodem Tullo: *Hic bella reparavit, fiduciâ benè exercitatæ juventutis; & Anis bellum, qui nunc Albani dicuntur, & qui ab Vrbe* XII *milliaria sunt, intulit; eosque vicit sextâ congressione, pessimâ clade.* Haud dubium, quin somniculosus exscriptor menda his verbis insperserit. Orosius lib. I cap. IIII sic habet: *Tullum Hostilium, militaris rei institutorem* [malim è Diacono, *instauratorem*] *fiduciâ benè exercitatæ juventutis Albanis intulisse bellum; & diu altrinsecus spe incertâ certâque clade, tandem pessimos exitus & dubios eventus compendiosâ tergeminorum congressione finiisse.* Scripsit igitur Diaconus: *Hic bella reparavit; &, fiduciâ benè exercitatæ juventutis, Albanis, qui ab Vrbe* XII *milliaria absunt, bellum intulit.* Porrò hinc etiam Eutropii æqualibus, Socrati Hist. ecclesiast. lib. II cap. XXVIIII, & Sozomeno eiusdem historiæ lib. III cap. VIII, in Mediolanensi consilio, sub Constantino Magno, Athanasii condemnationi qui sese opposuerint, episcopi nominantur, Παυλῖνος τὴν ἐν Γαλλίᾳ Τρεβέρεως, Διονύσιος ὁ Ἄλβας τὴν Ἰταλῶν μητροπόλεως, καὶ Εὐσέβιος ὁ Βερκέλλων τὴν Λιγυρίας: id est: *Paulinus, Triveris in Galliâ; Dionysius, Albæ, metropolis Italorum: & Eusebius, Vercellorum in Liguriâ.* Non *Alba*, sed ALBANVM vocabatur; & opidani eius ALBANENSES. Anastasius in vitâ Silvestri, qui sub eodem Constantino imperatore episcopus Romanus fuit: *In civitate Albanensi fecit basilicam sancti Ioannis Baptistæ.* Mox: *Possessio Albanensis, cum lacu Albanensi.* In vitâ Innocentii; qui factus papa Romanus circa annum Christi CCCC: *Innocentius, natione Albanensis.* In vitâ Leonis II; quia fuit anno Christi IↃ C LXXXIII: Ecclesia Albanensis. In vitâ Leonis III, circa annum Christi IↃ CCC: *In basilicâ beati Petri, sitâin Albano.* In vitâ Benedicti III, anno Christi IↃ CCC LV: *Ostiæ & Albani Antistites.* Igitur ab illis usque temporibus ad hanc nostram ætatem clarum fuit episcopali dignitate hoc opidum *Albanum*. Memoratur præterea sub Iustiniano imperatore Procopio. Is Gothicar. rer. lib. II ita habet: Μάγνον τινὰ καὶ Σινθάσιλον, πεντακοσίας μάλιστα ἑπαγομένους, ἐς Τίβυρα τὸ φρούριον ἔπεμψε, σταδίους παρὰ μικρὸν τῶν ἑκατὸν Ῥώμης διέχον. Ἔς μὲν τι τὸ Ἄλβανὸν πόλισμα, σταδίους μὲν πεντήκοντα ἀπέχον, ἐν δὲ τῇ Ἀππίᾳ ὁδῷ κείμενον, πρότερον ἤδη τόνδε μὲν ζωὸ Ἑρέλοις ὑπὸ πέμψας ἔσχεν. Id est: *Magnum atque Sinthusem, quingentorum militum duces, misit in castellum Tiburim; quod stadia ab Româ abest* CXL. *In Albanum verò opidulum, quod totidem stadia ab Vrbe distat, in viâ Appiâ situm, jam anteà Gontharin cum Herculis miserat.* Et eodem libro posteà: Ῥωμαῖοι τὸ Ἄλβανὸν πόλισμα ἔχον, Ῥώμης πρὸς ἀνίσχοντα ἥλιον κείμενον. Id est: *Romani etiam Albanum opidulum tenebant, situm ab Româ versùs orientem Solem.* Vtrobique equidem in vulgatis exemplaribus est, τὸ Ἀλβανῶν πόλισμα, hoc est, *Albanorum opidulum*. at scribendum est recto casu τὸ Ἀλβανὸν πόλισμα, *Albanum opidulum*, sequens mox posteriori scriptio adfirmat, quæ sic habet: Ταὐτὸ ἢ τοῦτο ἀμφί τε Ἀλβανῷ καὶ Κεντ-

ΤΥΡΚΕΛΛΑΙΣ

τηκέλλαις δῆθεν τῷ λόγῳ ἠπῶντο. id est: *Hoc ipsum de Albano etiam & Centumcellis querebantur*. Cæterùm mirari satis nequeo, Procopium, qui ipse cum Velisario, Iustiniani imperatoris duce, Italiæ plurimam partem obivit, tam fœdè plerumque in locorum intervallis errasse. *Tibur* usque prisci Romani XX numerabant millia passuum, hodiè sunt milliaria XVIII, stadia Procopii CXL sunt millia passuum XVIIII, duobus stadiis minùs: nempe, ubi septena stadia & dimidium, more posterioris ævi, in singula milliaria computes. At *Albanum* usque & olim, ut suprà ostensum, XII haud ampliùs millia passuum computata fuêre, & hodiéque totidem computantur. Porrò Martyrologium Romanum ita habet: *Sexto Calend. Octob. Albani S. Senatoris*. Et Vsuardus in Martyrologio: *Sexto Cal. Octob. Civitate Albano S. Senatoris*. Verùm hactenus satis & abundè perspectum, opidum hoc *Albanum* non esse antiquissimam illam *Albam Longam*; sed in huius agro *Albanum rus Cn. Pompeii*. Vulgarem tamen hunc atque communem jam olim fuisse errorem, ex Eutropio ac Socrate Sozomenoque intelleximus. Eiusdem igitur etiam posterioris sæculi exscriptorum, non ipsius Asconii Pedanii errorem esse judico, quòd apud hunc in suprà dictis commentariis ad Ciceronis orationem pro Milone nunc scriptum est, *P. Clodium illo die Albæ mansurum fuisse*. quo loco apud Ciceronem est, *in Albano mansurum fuisse*.

De cætero *fertilitatem agri Albani* deprædicat Dionysius suprà dicto lib. I, postquàm Albam Longam memoravit: τ' πκέτω ἢ τῇ πόλ πεδία θαυμαστὰ μὲν ἰδεῖν, πλέσια δὲ κ καρπὸς ἐξενεγκεῖν παντοδαπὸς κ᾽ ἥδιον ἑνδεέστερον τ ἄλλης Ἰταλίας, μάλιστα ἢ τ καλούμενον Ἀλβανὸν οἶνον, ἡδὺ Ϲ καλὸν, ἔξω Ϝ Φαλέρνα λεγομένε, τ γᾶν ἄλλων ἁπάντων διαφορώτατον. Id est: *Subjecti autem sunt urbi campi amœnitate admirandi; omnis generis frugum fertilissimi; nec cedentes ulli agro Italiæ; præcipuè bonitate vini suavissimi, quod Albanum vocant; præcellens omnibus reliquis, si Falernum excipias*. Hinc illud suprà memoratum Statii Silvar. lib. V carm. III:

——— Nam Sicanii non mitius halat
Aura croci; dites nec sic tibi rura Sabæi
Cinnama, odoratas nec Arabs decerpsit aristas.

Plinius lib. XIIII cap. VI; de *vinis* loquens: *Divus Augustus Satinum prætulit cunctis; & ferè sequuti principes*. Mox: *Secunda nobilitas Falerno agro erat*. Paullo pòst: *Ad tertiam palmam variè venêre Albana, Vrbi vicina, prædulcia, ac rara in austero*. Strabo lib. V, totius Latii vina & ex proximâ Campaniâ *Falernum* memorans, Πάντες δ' ἀοῖν, inquit, οἱ τόποι ἄριστοι φέρειν εὔοινοι· ὁ δὲ Καικυβος Ϲ ὁ Φυνδανὸς κ᾽ ὁ Σητῖνος τ διωνομασμένων εἰσὶ, καθάπερ κ᾽ ὁ Φαλέρνος κ᾽ ὁ Ἀλβανὸς κ᾽ ὁ Στατανός. Id est: *Omnia hæc loca præstantissima producunt vina: in quibus maximè celebrantur, Cæcubum, Fundanum, Setinum; item Falernum, Albanum, Statanum*. Dioscorides lib. V cap. X: ὁ μὲν οὖν δοκῶν πρωτεύειν τ ἐν Ἰταλίᾳ οἴνων Φάλερνος καλεῖται· ὁ δὲ Ἀλβανὸς, ἀδρομέστερος Ϝ Φαλέρνε, ἔγλυκος. ὁ ἢ Κεκυβος, γλυκὺς ὤν, ἀδρομέστερός ἐστι Ϝ Ἀλβανῦ. Id est: *Inter Italica vina quod principem locum obtinet, Falernum vocatur. Albanum, quod crassius Falerno, dulce est. Cæcubum, quum sit dulce, Albano crassius est*. Columella Rer. rust. lib. III cap. VIII: *Neque enim dubium est, Massici Surrentinique & Albani atque Cæcubi agri viteis omnium, quas terra sustinet, in nobilitate vini principes esse*. Horatius Carm. lib. III odâ XI; qua Phyllidem invitat ad epulas die natali Mæcenatis:

Est mihi nonum superantis annum
Plenus Albani cadus.

Hodiè, quum omnium reliquorum nobilitas exstincta sit, unum *Albanum* magno adhuc in pretio est: quamvis & ipsum haud dubiè non eiusdem, cuius olim, bonitatis fuerit.

Porrò de FERENTINAE *aquæ capite*, seu de FERENTINAE *amnis fonte*, item de FERENTINAE *luco* ac *templo*, cui *vicus* seu *opidulum* adpositum fuit, quod nunc in radicibus Albani montis vulgò vocatur *Marino*; in quod, post dirutam Albam, populi Latini ad commune concilium convenire solebant; superiore libro cap. X dictum est. AQVAE FERENTINAE, *opidum*.

At ultra *Albanum* opidum, quà Ariciam itur, Appiæ viæ dextro lateri adpositum est antiquum monumentum: cui quia tres cippi modici impositi, tergeminorum Horatiorum Romanorum juvenum, qui Albano bello, contra tergeminos Curatios Albanos

Albanos pugnarunt, monimentum esse vulgò hodiè per summum errorem creditur, quidpe hoc duobus tantùm fratribus Horatiis, qui eo in certamine occubuêre positum fuit eodem loco, quo pugna gesta. qua de re ita Livius lib. I: *Fortè evenit, ut agrestes Romani ex Albano agro, Albani ex Romano, prædas invicem agerent. Imperitabat tum C. Cluilius Albæ. Vtrimque legati ferè sub idem tempus ad res repetendas missi. Tullus præceperat suis, ne quid priùs, quàm mandata, agerent. satis sciebat, negaturum Albanum. ita piè bellum indici posse.* Haud multo pòst: *Castra ab Vrbe haud plùs V millia passuum locant: fossâ circumdant. fossa Cluilia ab nomine ducis per aliquot sæcula appellata est; donec cum re nomen quoque vetustate abolevit. in his castris Cluilius, Albanus rex, moritur. Dictatorem Albani Metium Fuffetium creant. Interim Tullus, ferox præcipuè morte regis, nocte præteritis castris, infesto exercitu in agrum Albanum pergit. Ea res ab stativis excivit Metium. is ducit, quàm proximè ad hostem potest. Convenit hinc inter utrumque ducem de tergeminorum utrimque fratrum, ab Romanorum parte Horatiorum, Albanorum verò Curatiorum, pugnâ; quæ inter bina castra conserta. ubi omnes Curatii, Horatiorum verò duo fratres cecidêrunt.* Ad *sepulturam inde suorum*, inquit Livius, *nequaquàm paribus animis vertuntur. quidpe imperio alteri aucti; alteri ditionis alienæ facti. Sepulcra exstant, quo quisque loco cecidit. duo Romana uno loco, propiùs Albam; tria Albana, Romam versùs; sed distantia locis; ut & pugnatum est.* Ergo monumentum istud ultra Albanum opidum neque Curatiorum neque Horatiorum esse potest. primò, quia duobus Horatiis, quamvis uno loco, tamen duo diversa atque inter se discreta posita fuêre: tribus verò Curatiis singula singulis erecta, distantia locis, ut pugnatum. tum utraque inter Romam & Albam fuêre; quum illud apud Albanum opidum ultra regionem seu locum Albæ situm sit. Cæterùm Dionysius lib. III, ubi idem bellum refert, nihil de illa præteritione Tulli præter Albanorum castra narrat. Μετὰ ταῦτα πεφάσθαι ταύτας παρεσκευάζοντο ἀμφότεροι πρὸς πόλεμον· καὶ συνήεσαν ὁμόσε, καὶ καταστρατοπεδεύουσι πλησίον ἀλλήλων τοῦ Ῥώμης ἀπέχοντες· οἱ μὲν Ἀλβανοὶ πρὸ τῶν καλουμένων Κλοιλίας τάφρων (φυλάττουσι γὰρ ἔτι τὸν ὑπὸ καταστάσεως αὐτῶν θέντα) Ῥωμαῖοι δὲ ὀλίγον ἐνδοτέρω. Hoc est: *His de causis post factos utrimque adparatus, castra collata sunt ad quadragesimum ab Vrbe stadium. ea metati sunt Albani ad fossam Cluiliam; quæ nunc quoque nomen auctoris retinet: Romani paullo citeriùs.* Narrat hinc de Cluilii morte, deque Metii Fuffeii subfectione: tum, ut inter utrosque de tergeminorum pugnâ conventum. at de motione castrorum nihil addit. nihilo minùs tamen tandem ita pergit: Ἐπεὶ δὲ ὁ χρόνος ἦκεν, ἐν ᾧ τὴν ἐξ ἀρχῆς λαβεῖν τὰς ὁμολογίας, ἐξήεσαν μὲν αἱ τῶν Ῥωμαίων δυνάμεις παντελεῖς, ἐξήεσαν δὲ μετὰ ταῦτα οἱ νεανίσκοι τῶν πατρῴων θεῶν δεξάμενοι, καὶ πρεσβῦν ἅμα τῷ βασιλεῖ, καὶ θυμιάματά τε ἐπὶ πάντες ἔθυσαν καὶ τὴν πόλιν ὅλην ἐπῆλθε· ἤδη δὲ ἦν τῶν Ἀλβανῶν ἐξεληλυθότα στρατιά. Ἐκαθίσταντο δὲ ἐπὶ πλησίον ἀλλήλων, μεταξὺ σημαίνοντες τὸ διέρχον τὴν Ῥωμαίων ἀπὸ τῶν Ἀλβανῶν ὄρος, ἔνθα καὶ πρότερον εἶχον ἑκάτεροι σφῶν χάρακας. Hoc est: *Vbi tempus advênit, quo finem erant habitura pacta, universus Romanorum exercitus prodiit, prodierunt & juvenes posteà: comprecati priùs deos patrios; deducente rege, & toto per urbem populo faustis omnibus prosequente. jamque & Albanorum copiæ prodierant. Tum positis castris non longè ab invicem, medius campus in Romani Albanique agrorum finibus pugnæ destinatus est: ubi etiam anteà castra utrique metati fuerant.* Ergo & castra hæc Albanorum ad fossam Cluiliam, ut antè, posita fuêre, & pugna tergeminorum fratrum intra quadragesimum ab Vrbe stadium, quintum lapidem confecta; &, si Livio credimus, DVORVM HORATIORVM AC TRIVM CVRATIORVM SEPVLCHRA hoc tractu, ubi pugnatum, distantia tamen inter se locis, ut pugnatum est, erecta sunt. Confirmat hanc Dionysii fidem Martialis lib. III epigram. XLVII, his verbis:

Capena grandi porta quà pluit guttâ,
Phrygiæque matris Almo quà lavat ferrum,
Horatiorum quà viret sacer campus,
Et quà pusilli fervet Herculis fanum:
Faustine, plenâ Bassus ibat in rhedâ.

Ergo haud longè ultra Capenam portam & Almonem fluvium, quem sub ipsis mœnibus & nunc fluere & olim fluxisse, suprà cap. II huius libri & lib. II cap. X dixi, citra Cluiliam fossam, id est, circa quintum lapidem hic HORATIORVM fuit CAMPVS: in quo duorum fratrum fuêre monumenta. Hoc, sanè, Livium ignorasse,

rasse, miror: quum interim præsentis temporis, ut de suâ ætate loquens, verbo utatur, *Sepulcra exstant*. Sed & illud quis non meritò miretur, quòd ait, *Cluiliam fossam ab nomine clueis per aliquot sæcula adpellatam esse, donec cum re nomen quoque vetustate aboleverit:* quum è contrario Dionysius dicat, *servasse* adhuc suâ ætate *auctoris cognomen*. Fuit igitur hæc *Fossa Cluilia*, viâ Appiâ, circa eum locum, qui hodiè vulgari vocabulo vocatur Casal Ritondo. Sed nomen Albanorum regis quod attinet, unde fossæ cognomen quæsitum, quatuor id equidem syllabis in plerisque Livii exemplaribus perscriptum reperitur Cluilius. quæ si vera sanaque scriptura; Græcè idem nomen totidem syllabis scribendum est Κλοιλιος, & inde fossa Κλοιλία. Verùm idem Livius eodem lib. I haud ita multo pòst scribit, Tullum, Albâ dirutâ, Albanisque Romam transductis, *principes Albanorum in patres legisse, Tullios, Servilios, Quintios, Geganios, Curiatios, Clœlios*. quos Dionysius dicto lib. III vocat Γαλλίους, Σερουιλίους, Κοϊντιλίους, Γεγανίους, Κορηλίους, Κλοιλίους. & quæ huic lib. V dicuntur virgo Κλοιλία atque consul Κλοιλιος, Livio sunt lib. II *Clœlia* & *Clœlius*. quomodo vocabulum id rectè scribi per diphthongum οι, æ, ex poëtarum usu claret. Silius lib. XIII:

Illa est, quæ Tybrim, quæ fregit Lydia bella,
Nondum passa marem, qualeis optabat habere
Quondam Roma viros, contemptrix Clœlia sexus.

Virgilius de eâdem Aeneid. lib. VIII:

Et fluvium vinclis innaret Clœlia ruptis.

Fossa Cloelia.

CLOELIA igitur FOSSA dicenda est; seu plurali numero: ut Dionysius habet Κλοιλίαι τάφροι, CLOELIAE FOSSAE. usitatum quidpe fuisse Romanis, licèt una fuerit fossio huiusmodi, tamen promiscuè etiam plurali numero eam indigetare. cuius rei exempla suprà à nobis relata lib. I cap. XXXV, & lib. II cap. III. Hinc, quæ apud Livium dicto lib. I est *Cluilia* seu *Clœlia fossa*, eadem posteà lib. II plurali numero refertur in his verbis, ubi de Cn. Marcio Coriolano narratur: *Postremùm ad Vrbem à Pedo ducit; & ad fossas Cluilias V ab Vrbe millia passuum castris positis, populatur inde agrum Romanum*. De eâdem re Plutarchus in vitâ Marcii: Περὶ τὰς λεγομένας Κλοιλείας τάφρους κατεστρατοπέδευσε, πεντεκαίδεκα δὲ πόλεως σταδίους ἀφεστώς. Id est: *Ad fossas Clœlias castra ad V ab Vrbe lapidem posuit*.

Bovillae opidum.

Cæterùm in eâdem Appiâ viâ, propiùs jam Albano opido, fuit perantiquum illud opidum BOVILLAE; quod memoratur Dionysio Halicarnassensi, Ovidio, Propertio, Persio, Paterculo, Martiali, Tacito, Svetonio, Plutarcho, Appiano, Floro, Livii epitomatori, Asconio Pediano, Nonio Marcello, Tabulæ itinerariæ, & Stephani breviatori. *Opiduni* inde dicebantur BOVILLANI; ut mox videbimus. Propertius lib. IIII eleg. I; ubi de primordiis loquitur urbis Romæ:

Quidpe suburbanæ parvâ minus urbe Bovillæ:
Et, qui nunc nulli, maxima turba Gabî.

Persius Satyrâ VI: —— *Accedo Bovillas*
Clivumque ad Virbî.

Martialis lib. II epigram. VI:

Et quum currere debeas Bovillas;
Interjungere quæris ad Camœnas.

Tacitus Annal. lib. II: *Effigies divo Augusto apud Bovillas dicatur*. Svetonius in vitâ Augusti, cap. C: *Corpus decuriones municipiorum & coloniarum à Nolâ Bovillas usque deportarunt. à Bovillis equester ordo suscepit, Vrbique intulit*. Tacitus Historiar. lib. IIII: *Præmissi Ariciam equites. agmen legionum intra Bovillas stetit*. Situm earum diserтiùs ostendit Tabula itineraria: quæ, unà cum Hierosolymitano itinerario, iter habet tale:

Tabula;		Hierosolymitanum;	
Româ, viâ Appiâ		*Vrbe Româ*	
Bobellas	X.	*Ad Nonum*	IX.
Aricia	III.	*Aricia & Albano*	VII.

Iam anteà dixi, XII hodiè exigua esse millia passuum ab urbe Româ ad opidum *Albanum*;

banum; atque inde mille passus Ariciam usque. quæ sunt omni numero XII ista millia Tabulæ inter Romam & Ariciam. In Hierosolymitano igitur itinerario haud dubiè scripta fuêre secundo loco IV; quæ mox in VI, ac tandem in VII corrupta sunt. De cætero, quum hodiè medio ferè situ inter nonum ac decimum lapidem (nempe, si intervallum hoc inter Vrbem & Albanum in XII æquas parteis dividas) ingentium saxorum ad utrumque viæ latus dispersi sint acervi; haud equidem dubitem, quin hoc loco olim steterit Bovillarum opidum. Hierosolymitani itinerarii locus AD NONVM, scilicet *lapidem*, an eumdem Bovillarum situm significaverit; quasi jam tum opido disjecto; haud facile dictu est. Sed hunc Bovillarum situm alii etiam ostendunt auctores. Breviator Livii lib. CVII: *P. Clodii, à T. Annio Milone, candidato consulatus, in Appiâ viâ ad Bovillas occisi, corpus plebs in curiâ cremavit.* Velleius Paterculus lib. II: *P. Clodius à Milone, candidato consulatus, circa Bovillas, contractâ ex occursu rixâ, jugulatus est.* Appianus Civil. bellor. lib. II: Κλωδίῳ δ' ἐξ ἰδίων χωρίων ἐπανιόντι ὅπῃ ἔτυχε, καὶ περὶ Βοίλλας ἀπαντήσαντι τῷ Μίλωνι, οἱ μὲν καθ' ὁδὸν παρώδευσαν, ἱππεῖς δὲ τοῦ Μίλωνος ἐπιθεμένων τῷ Κλωδίῳ, εἴθ' ὡς κεκελευσμένῳ, εἴθ' ὡς ἐχθρὸν δεσπότου κλείνων, ἐπάταξεν ἐς τὸ μεταφρενον ξιφιδίῳ καὶ τὸ μὲν αἷμα ῥαινόμενον ἐς τὸ πλησίον παρδοκεῖον ὁ ἱππονόμος ἐσέφερεν· ὁ δὲ Μίλων μὴ τῶν ἱερατικῶν ὄντως, ἔτι ἔμπνουν ἢ καὶ νεκρὸν ἐπανεῖλεν. Hoc est: *Quum Clodius, è villâ suâ in Vrbem equo rediens, circa Bovillas Miloni occurreret, parum amico adspectu ipsi sese praterierant: caterùm Milonis servus invasit Clodium; sive jussu, sive ut inimicum domini tolleret; eique gladio vulnus inflixit in occiput. quem cruentum curator equi servus detulit in proximum diversorium. quò mox adcurrens Milo cum suis, incertum spirantem adhuc, an exanimum, confecit.* Villam Clodii fuisse inter Albanum opidum & montem Albanum, circa Albæ Longæ rudera, suprà ostensum est. Cicero in oratione pro Milone: *Fit obviam Clodio Milo ante fundum eius, horâ ferè* VIIII. Aliquanto pòst: *Atque illo die Aricià rediens divertit Clodius in Albanum.* Asconius Pedianus in commentariis ad eam orationem: *Milo Lanuvium profectus est. occurrit ei circa horam nonam Clodius, paullo ultro Bovillas, rediens ab Aricià, prope eum locum, in quo Bonæ deæ sacellum est.* Paullo pòst: *Clodius vulneratus in tabernam proximam Bovillano* [scribo, *Bovillanam*] *delatus est.* Et posteà: *Milonem cum servis ampliùs* CCC *armatis obviam ei contendisse; & supra Bovillas inopinantem in itinere adgressum. ibi P. Clodium; tribus vulneribus acceptis, Bovillas perlatum: tabernam, in quam profugerat, expugnatam à Milone: semiaminem Clodium extractum, in viâ Appiâ occisum esse.* De nomine *Bovillarum* ita tradit Nonius Marcellus cap. II: *Hillas intestina veteres dixerunt. unde Bohillæ. unde opidum in Italiâ, quòd eò bos intestina ex vulnere trahens advenerit.* Mirum dictu, quàm parum tuta in eiusmodi vocabulorum explicationibus fides grammaticis est. exempla permulta hactenus in hoc opere nos monuerunt: pluraque infrà monebunt. Nostro tamen etiam ævo, nescio qua auctoritate usus, suprà scripti Martialis scholiasta Raderus ita scribit: *Bovillæ dictæ sunt à boum multitudine, quasi boum villa: mendicorum statio: ubi enim stipem colligebant. vicus olim Latii pauper; viâ Appiâ; ad quem, Pediano teste, occisus est à Milone Clodius.* Antiquitas opidi exstat apud Florum lib. I cap. XI; ubi de proximis post exactos reges agit bellis, quæ Romani contra Latinorum gentem gesserunt. *Hactenus*, inquit, *pro libertate: mox de finibus cum eisdem Latinis adsiduè & sine intermissione pugnatum est. Sora (quis credat?) & Algidum terrori fuerunt: Satricum atque Corniculum provinciæ. de Verulis & Bovillis, pudet, sed triumphavimus.* Item apud Ovidium Fastor. lib. III; ubi Annæ Perennæ festum & numen explicat:

Hæc quoque, quam referam, nostras pervenit ad aureis
Fama: nec à veteri dissidet illa fide.
Plebs vetus, & nullis etiamnum tuta tribunis,
Fugit; & in Sacri vertice montis erat.
Iam quoque, quem secum tulerant, defecerat illis
Victus, & humanis usibus apta Ceres.
Orta suburbanis quædam fuit Anna Bovillis;
Pauper; sed multæ sedulitatis anus.
Illa, levi mitrâ canos incincta capillos,
Fingebat tremulâ rustica liba manu.

Atque

Atque ita per populum fumantia manè solebat.
Dividere. hæc populo copia grata fuit.

Et apud Plutarchum in Marcio Coriolano ita scriptum est: Οὕτως ὁ Μάρκιος ἐπ' αὐτοὺς τὰς πόλεις ἦσαν, καὶ Τολερίνους καὶ Οὐϊκανοὺς ἢ Πεδανούς, καὶ ἔτι ἢ Βωλανούς, ἀντιστάντας αὐτῷ, κρατήσας ἑλὼν, καὶ τὰ σώματα λείαν ἐποιήσατο, καὶ τὰ χρήματα διήρπασε. τῶν δὲ προσθεμένων ἐπεμελείαν ἐποιεῖτο πολλὴν, ὅπως μηδ' ἄκοντος αὐτοῦ βλάπτοιντο, πρῶτος τροπαιοδότων, καὶ τῆς χώρας ἀπεχόμενος. ἐπεὶ δὲ καὶ Βόλλας πόλιν, ἐν παλαίοις ἔθνεσι ἑκατὸν ἀπέχουσαν τῆς Ῥώμης, ἑλὼν, χρημάτων πολλῶν ἐκράτησε, καὶ πάντας ὀλίγου δεῖν ἐν ἡλικίᾳ διέφθειρε. Hoc interpres Latinus sic vertit: *Ita Marcius exercitum ad ipsas urbeis ducens, Tolerienses, Vicellenses, Pedanos, ad hæc Bolanos, quum mœnia defenderent, vi cepit; homines in prædam redegit; bona eorum diripuit. Qui verò ad eum defeciſſent; horum magnam egit curam: atque, ut ne invito quidem ſe aliquid paterentur detrimenti; quàm remotiſſimè ab eorum finibus caſtra habuit; agrisque eorum abſtinuit. Poſtquàm verò Bolas quoque opidum, non plùs centum ſtadia ab Româ diſſitum cepit; ingenti prædâ potitus, omneis propemodùm puberes interfecit.* Pro voce iſtâ Οὐϊκανοὺς ſcribendum eſſe Λαϊκανοὺς, *Lavicanos*, infrà oſtendetur. quòd autem interpres vocem Βόλλας verterit *Bolas*, id magis miror. quando jam anteà *Bolas* opidum expugnatum atque direptum narrat auctor. Sed interpres fidem videtur ſequutus eſſe exemplarium Dionyſii: apud quem lib. VIII ſic ſcriptum de eodem Marcio: Ἀπὸ δὲ ταύτης αἱρήσας τῆς πόλεως, ἤλαυνε τὸν στρατὸν ἐπὶ Βολάς, ἐπιφανῆ τότε ὄντα, καὶ ἐν ὀλίγαις παύσας τῶν ἡγεμόνων Ἑλλήνων ἡμῶν πόλεσιν ἐξεταζομένων. Καὶ γίνεται περὶ ταύτην τὴν πόλιν μάχη καρτερά. οὐ γὰρ μόνον ἀπὸ τοῦ τείχους ἀμυνόντων αὐτοὺς προσιόντας οἱ Βωλανοὶ, ἀλλὰ καὶ τὰς πύλας ἐξέθεσαν ἀνοίγοντες ἀθρόοι, καὶ κατὰ τοῦ πρανοῦς ἐώθουν βίᾳ αὐτοὺς ἐφισταμένους. Id eſt: *Ab Coriolis porrò exercitum admovit ad Bolas: quod opidum & illuſtre tunc erat, & unum è paucis admodùm Latini nominis urbibus primariis. Pugnatum eſt circa hoc acriter. quidpe Bolani non modò à mœnibus hoſtem arcebant; ſed etiam, apertis portis confertim prorumpentes, adverſos magnâ vi per declivia propellebant.* Verùm poſtremus Dionyſii interpres voces iſtas Βόλας & Βωλανοὺς, vertit *Bovillas* & *Bovillani*. Ac ſanè quis dubitare poterat, eſſe legendum Βοΐλλας & Βοϊλλανοὶ, quum jam anteà Dionyſius narraverit, Marcium à Circæis cepiſſe Τολερίνους καὶ Βωλανούς· poſt quæ opida Labicos deinceps, Pedum, Corbionem, Coriolos, & tandem hasce Βοΐλλας petiit. & apud Stephani breviatorem diſerta hæc ſunt verba: Βοΐλλαι, πόλις Λατίνων· τὸ ἐθνικὸν Βοϊλλανός· ὡς Διονύσιος ἐν ὀγδόῳ τῆς Ῥωμαϊκῆς ἀρχαιολογίας. Id eſt: *Bovillæ, opidum Latinorum: gentilitium Bovillani; auctore Dionyſio Antiquitat. Rom. lib.* VIII. Et poſteà ſic habet: Βῶλα, πόλις Ἰταλίας. τὸ ἐθνικὸν Βωλανοί. Id eſt: *Bola, opidum Italiæ. gentilitium inde Bolani.* Certum igitur eſt, & Plutarchum & Dionyſium memoraſſe Βοΐλλας, *Bovillas*. quamquàm etiam nunc ego dubitem, priore an poſteriore loco id ſcripſerit Dionyſius. nam iſtud κατὰ τοῦ πρανοῦς, *per declivia*, in Bovillas minimè convenit: ut quæ plano & æquo loco in viâ Appiâ ſitæ fuerunt. Plutarchus quòd centum ſtadiûm id intervallum fecerit, id eſt, millia XII paſſus 10, haud perinde mirum eſt: quando is rotundo maximè uſus potuit eſſe numero; vel à milliario aureo, quod eius ætate in foro Romano, ut ſuprà cap. 11 oſtenſum, ſtatutum erat, initium eius ſpacii duxiſſe. Atque hæc equidem de ſummâ huius opidi antiquitate. Iam inde Ciceronis tempore cultoribus ferè deſertum fuiſſe, teſtatur ipſe in Oratione pro Cn. Plancio; ubi ita adfatur Laterenſem, municipem Tuſculanum: Niſi fortè Lavicana aut Bovillana aut Cabina vicinatas adjuvabat. quibus è municipiis vix jam, qui carnem Latinis petant, inveniuntur. Hinc igitur illud Propertii lib. IIII eleg. 1:

Quidpe ſuburbanæ parvâ minus urbe Bovillæ;
Et, qui nunc nulli, maxima turba Gabii.

Civilibus id factum bellis, quæritur Lucanus lib. VII his verſibus:

——— Gabios Veiosque Coramque
Pulvere vix tectæ poterunt monſtrare ruinæ
Albanosque lares Laurentinosque penates.
Rus vacuum: quod non habitat, niſi nocte coactâ
Invitus, quæſtusque Numam juſſiſſe, ſenator.
Non ætas hæc carpſit edax monumentaque rerum

Patria. deſtituit crimen civile. videmus
Tot vacuas urbeis.

Municipium igitur aliquando fuit opidum *Bovillæ*; teſte Cicerone. Frontinus in libro de Coloniis, *Bovillæ opidum*, inquit, *lege Sullanâ eſt circumductum*. Et mox: *Gabii opidum lege Sullanâ munitum*. Cæterò apud Ciceronem ad Atticum lib. v epiſt. XIII ſic ſcriptum eſt: *Epheſum venimus ad* X I *Kalend. Sextileis; ſexageſimo & quinto poſt pugnam Bovillam. Navigamus ſine timore, & ſine nauſeâ*. Haud dubitant viri docti, hoc loco legendum *poſt pugnam Bovillanam:* intelliguntque pugnam illam inter Clodium ac Milonem. Idem Cicero ad Q. Fratrem lib. III epiſt. I: *Fundum audio te hunc Bovillanum velle retinere*.

ARICIA *opidum.*

Ab alterâ igitur Albani opidi parte, in eâdem viâ Appiâ, mille paſſus ultra Albanum, eſt ARICIA *opidum*, vulgò nunc *La Riccia*, corruptâ adpellatione dictum; quum anteà vocaretur, præpoſito lingvæ vulgaris articulo *la, l' Aricia*. Memoratur Ciceroni, Virgilio, Horatio, Livio, Dionyſio, Columellæ, Straboni, Plinio, Lucano, Silio, Martiali, Tacito, Ptolemæo, Philoſtrato, Solino, Pediano, Servio, Stephani epitomatori, & Itinerariis antiquis. *Opidani* inde ſunt ARICINI; ut pluribus exemplis infrà videbimus. Cicero in oratione pro T. Annio Milone: *Atque illo die certè Ariciâ rediens divertit Clodius in Albanum*. Horatius Sat. v libri primi:

Egreſſum magnâ me excepit Aricia Româ.

Columella lib. X:

Brutia quæ tellus, & mater Aricia porri.

Martialis lib. XIII epigram. XVIIII:

Mittit præcipuos Nemoralis Aricia porros.
In niveo virideis ſtipite cerne comas.

Plinius lib. III cap. V; ubi opida Primæ totius Italiæ regionis, quæ Latium & Campaniam comprehendebat, ſecundùm ordinem literarum enumerat: *Opida, Abellinum, Aricia, Alba Longa*. Et lib. II cap. CVII: *Reperitur apud auctores, ſubjectis Ariciæ arvis ſi cardo deciderit ardere terram*. Hæc res jam dudum exolevit. Ptolemæus: Λατίνων πόλις μεσόγαιοι, Πραίνεστον, Τύσκυλον, Ἀρίκια, Ἄρδεια. Id eſt: *Latinorum mediterranea opida, Præneſtum, Tuſculum, Aricia, Ardea*. Tacitus Hiſtoriar. lib. IIII: *Præmiſſi Ariciam equites*. De ſitu eius ita tradit Strabo lib. V: Μετὰ δὲ τὸ Ἀλβανὸν ὄρος Ἀρίκια ἐστὶ πόλις ἐπὶ τῇ ὁδῷ τῇ Ἀππίᾳ. σταδίοι δ' εἰσὶν ἀπὸ τῆς Ῥώμης ρ ξ. κοῖλος δ' ἐστὶν ὁ τόπος· ἔχει δ' ὅμως ἐρυμνὸν ἄκρον. Id eſt: *Poſt Albanum montem in viâ Appiâ urbs eſt Aricia*, CLX *ſtadia ab Româ: ſitu concavo: arce tamen editâ & naturâ loci munitâ*. Vel ex hoc loco ſatis patet, fuiſſe olim partem opidi ſub collibus in ipsâ viâ Appiâ: ubi etiam varia hodiè exſtant monumenta: quum ipſum opidum in colle nunc ſit ſitum. At in numero CLX ſtadiorum ingens eſt, non dixerim Strabonis errorem, ſed exſcriptoris mendum. Dionyſius lib. VI: Συμπλακώσιν ἀλλήλοις ἀγχοῦ πόλεως Ἀρικίας, ἣ διέχει σταδίους ἑκατὸν εἴκοσι τῆς Ῥώμης. Id eſt: *Occurrerunt ſibi invicem ad Ariciam opidum; quod* CXX *ſtadia ab urbe Româ abeſt*. Et Philoſtratus de Apollonii vitâ lib. IIII cap. XII: Ἐν τοιαύτῃ καταστάσει φιλοσοφίας ὄντος, ἔτυχε πεσὼν τῆς Ῥώμης ὁ Ἀπολλώνιος. σταδία δὲ εἴκοσι καὶ ἑκατὸν ἀπέχων, ἐνέτυχε τῷ φιλολάῳ τῷ Κιτιεῖ περὶ τὸ Νέμορον τὸ ἐν τῇ Ἀρικείᾳ. Id eſt: *Dum in hoc ſtatu philoſophia eſſet, Apollonius Romam profectus eſt. quumque ſtadia* CXX *abeſſet, apud Nemus, quod apud Ariciam eſt, incidit in Philolaum Cittienſem*. Tot ſtadia Dionyſii ac Strabonis ævo conficiebant millia paſſuum XV. At ego, ut ſuprà dixi, millia ab urbe Româ ad Ariciam deprehendendi, ut & Tabula itineraria habet, & incolæ hodiè computant, millia haud ampliùs XIII. Apud Lucanum lib. VI ſic eſt:

At tantum ſepti vallo ſibi vindicat agri,
Parva Mycenææ quantum ſacrata Dianæ
Diſtat ab excelsâ Nemoralis Aricia Romæ;
Quoque modo Romæ prælapſus mœnia Tybris
In mare deſcendit, ſi nusquàm torqueat amnem.

Idem heic accidit ad Ariciam, quod apud Oſtiam. nempe quum oſtia Tiberis amnis, quà is in mare exit, XVI ab Româ abeſſent millia; ab iis autem opidum Oſtia, quod tria millia ſupra mare ad ſiniſtrum amnis alveum eſt conditum, nomen traxerat: ad ipſum hoc opidum plerique XVI computabant milliaria; ut ſuperiori capite oſtenſum. Eodem igitur modo, quum in Aricino agro apud Appiam viam, duo

millia

millia ultra Ariciam, *Nemus & lacus Dianæ*, de quibus mox dicam, clariora celebrioraque ipso opido Aricià forent; vulgò ad *Ariciam* XV alii, alii verò XVI millia esse dixerunt. Sunt autem ad lacum ab Aricià duo millia passuum in viâ Appiâ: inde verò sinistrorsum in diverticulum ad Nemus opidum, de quo mox plura, mille passus. unde utrique rectè computarunt; alteri XV, alteri XVI pronunciantes. Apud Horatii veterem commentatorem in suprà scriptum poëtæ versum ita scriptum est: *Aricia, civitas in viâ Appiâ. abest ab Vrbe viginti millia passuum.* Credo scriptum fuisse ab ipso commentatore XV: quæ posteà corrupta in XX. Apud Solinum cap. VIII sic scriptum est in vulgatis exemplaribus: *Heretum à Græcis conditum esse, in in honorem Heræ (sic enim Iunonem Græci vocant) Ariciam ab Archilocho Siculo: unde nomen, ut Cassio Heminæ placet, tractum. Hoc in loco Oreste, oraculo monitus, simulacrum Scythicæ Dianæ, quod de Tauricâ extulerat, priusquàm Argos peteret, consecravit.* Corruptum hunc locum, & suo ordine turbatum, suprà lib. II cap. VIIII in Sabinis ad opidum *Eretum* docui. Sic igitur est restituendum: *Heretum à Græcis conditum, in honorem Heræ; sic enim Iunonem Græci vocant: unde & nomen, ut Cassio Heminæ placet, tractum. Ariciam ab Archilocho Siculo. Hoc in loco Oreste*; & quæ sequuntur. Ex quibus cum maximè id adparet, quod antè dixi. namque simulacrum hoc, ut mox ostendam, non in ipso opido Aricià, sed duo hinc millia passuum in *nemore* erat *Aricino*. Cæterùm summa fuerit huius opidi vetustas: ut quod ante Aboriginum ac Pelasgorum, sive ante Latinorum in has oras immigrationem ab Siculis conditum fuit: id est, annis ante natum Iesum ampliùs CIↃ IↃXIII. nam circa hoc tempus Pelasgos in Italiâ Aboriginibus sese conjunxisse, Siculosque sedibus hisce expulisse, suprà cap. I ostensum est. Vetustissima deinde memoria eius exstat apud Livium lib. I, in initio regni Tarquinii Superbi. *Turnus*, inquit, *Herdonius ab Aricià ferociter in absentem Tarquinium erat invectus.* Memoratur item lib. II & Dionysio lib. V; ubi ab Etruscis, duce Arunte, Porsenæ regis filio, oppugnatur. Livius posteà lib. VIII, in consulatu L. Furii Camilli & C. Mænii Nepotis, anno urbis Romæ CCCCXVI: *Aricinos Lanuvinosque & Veliternos, Antiatibus Volscis se conjungentes, ad Asturæ flumen Mænius improvisò adortus fudit.* Et aliquanto pòst: *Lanuvinis civitas data: sacraque sua reddita, cum ea, ut ædes lucusque Sospitæ Iunonis communis Lanuvinis municipibus cum populo Romano esset. Aricini eodem jure, quo Lanuvini, in civitatem accepti.* Festus, in voce *Municipium: Alio modo municipium dicitur, quum id genus hominum definitur, quorum civitas universa in civitatem Romanam venit; ut Aricini, Cærites, Anagnini.* Hinc Cicero Philippicâ III: *Quod autem municipium non contemnit, qui Aricinum tantoperè despicit, vetustate antiquissimum, jure fœderatum,* [fortè, *æquo jure fœderatum*] *propinquitate penè finitimum, splendore municipum honestissimum.* Verùm, ut omnia alia circa Romam municipia, sic hoc etiam haud perinde magnum fuit. Ipse Cicero in oratione II de Lege agrariâ contra Rullum ad populum; ubi de Campano agro loquitur: *Agros verò Vaticanum & Pupiniam cum suis opimis atque uberibus campis conferendos scilicet non putabunt. opidorum autem finitimorum illam copiam cum hac per risum ac per jocum contemnent. Labicos, Fidenas, Collatiam, ipsum herclè Lanuvium, Ariciam, Tusculum, cum Calibus, Teano, Neapoli, Puteolis, Cumis, Pompeiis, Nucerià, comparabunt.* Hinc Lucano præscripto lib. VI dicitur *parva Aricia. Coloniam* fuisse, à Syllâ deductam, auctor est Frontinus in libro de Coloniis. *Aricia*, inquit, *opidum lege Syllanâ est munitum.* Hinc Epitomator Livii lib. LXXX: *Marius Antium & Ariciam & Lanuvium colonias devastavit.* Atque hæc de opido Aricià.

Longè celebrius hinc in agro eius, ut antè dictum, fuit NEMVS ARICINVM, sive NEMVS DIANAE TAVRICAE seu SCYTHICAE, duo millia passuum ultra opidum situm; & in eo LACVS eiusdem DIANAE; qui vulgò hodiè à duobus supernè imminentibus opidis dicitur *Lago di Iensano*, & *Lago di Nemo*. Memorantur hæc compluribus auctoribus; quos citatum imus. Statius Silvar. lib. IIII carm. IIII:

NEMVS ARICINVM *opidum*, & LACVS DIANAE ARICINAE.

Hos Præneste sacrum, nemus hos glaciale Dianæ,
Algidus aut horrens, aut Tusculà protegit umbra;
Tiburis hi lucos Anienaque frigora capiant.

Propertius lib. II eleg. XXXII:

Nam quid Præneſtis dubias, ô Cynthia, ſorteis,
Quid petis Aeæi mœnia Telegoni?

Curve te in Herculeum deportat esseda Tibur;
Appia cur toties te via ducit anum?
Hoc utinam spacière loco, quocumque vagaris,
Cynthia. sed tibi me credere turba vetat,
Quum videt accensis devotam currere tædis
In nemus, & Triviæ lumina ferre deæ.

Martialis lib. v epigram. 1:

Hoc tibi, Palladiæ seu collibus uteris Albæ,
Cæsar, & hinc Triviam prospicis, inde Thetin;
Seu tua veridicæ discunt responsa sorores,
Plana suburbani quà cubat unda freti;
Mittimus.

Sed describuntur hæc loca à Strabone lib. v in hunc modum: Μετὰ δὲ τὸ Ἀλβανὸν ὄρος Ἀρικία ἐστὶ πόλις ἐπὶ τῇ ὁδῷ τῇ Ἀππίᾳ· ὑπέρκειται δ' αὐτῆς τὸ μὲν Λανούϊνιον, πόλις Ῥωμαίων ἐν δεξιᾷ τῆς Ἀππίας ὁδοῦ· ἀφ' ἧς ἔποψις ἡ θάλαττά ἐστι καὶ τὸ Ἄντιον. Τὸ δ' Ἀρεμίσιον ὁ καλοῦσι νέμον, ὃν ἔχει ἐν ἀριστερᾷ μέρος τῆς ὁδοῦ τῆς ἐξ Ἀρικίας ἀναβαίνουσιν εἰς τὴν Ἀρεκίνην τὸ ἱερόν. λέγουσι δ' εἶναι ἀφιδρύματα τῆς Ταυροπόλου. καὶ γὰρ ἡ βαρβαρικὴ κρατεῖ καὶ Σκυθικὴ ταῦτὸ ἱερὸν ἔθος. καθίστασι γὰρ ἱερεῖς, ὁ ἡγησθεὶς αὐτόχειρ ὃς ἱερωμένου πρότερον, δραπέτης ἀνήρ. ξιφήρης δ' ἐστὶν ἀεὶ, περισκοπῶν τὰς ἐπιθέσεις, ἕτοιμος ἀμύνεσθαι. τὸ δ' ἱερὸν ἐν ἄλσει· πυκνοῖ δὲ λίμνη πελαγίζουσα· κύκλῳ δ' ὀρθὴ συνεχὴς ἐφορᾶς περίκειται, καὶ μία ὑψηλὴ, καὶ τὸ ἱερὸν ἐν τῷ ὕδατι ἀποπλαμβάνουσι ἐν κοίλῳ τόπῳ καὶ βαθεῖ. τὰς μὲν οὖν πηγὰς ὁρᾶν ἐστιν, ἐξ ὧν ἡ λίμνη πληροῦται· τούτων δ' ἐστὶν ἱερεία καλουμένη Αἰμοῦς τινὸς ἐπώνυμος· αἱ δ' ἀποῤῥύσεις συναύουσι μὲν ἀδηλοί εἰσιν, ἔξω δὲ δείκνυσι πόῤῥω πρὸς τὴν Ἀπιφανίαν ἀνέχουσαι. Πλησίον δ' ἐστὶ τῶν χωρίων τούτων τὸ Ἀλβανὸν ὄρος, πολὺ ὑπερκύπτον δὲ Ἀρεμισίου καὶ τοῦ περὶ αὐτὸ ἱεροῦ, καίπερ ὑψηλῶν ὄντων καὶ ὀρθίων ἱκανῶς. ἔχει δὲ τοῦτο λίμνην πολὺ μείζω τῆς καθ' τὸ Ἀρεμίσιον ὄρος. Hæc antequàm Latinè reddantur, à mendis erunt purganda. Ac primò quidem rectè quidem à doctissimo huius auctoris commentatore, Isaaco Casaubono, vox Λανούϊνιον correcta est in Λανούϐιον. nam Lanuvium ad viam Appiam fuisse in edito colle, mox infrà videbimus. Hinc ista maximè sunt vitiata: Τὸ δ' Ἀρεμίσιον ὃ καλοῦσι νέμον, ὃν ἔχει ἐν ἀριστερᾷ μέρος τῆς ὁδοῦ τῆς ἐξ Ἀρικίας ἀναβαίνουσιν εἰς τὴν Ἀρεκίνην τὸ ἱερόν. Deesse quædam, vel ex unâ isthac particulâ ἢ, quæ posteriore loco est, manifestum fit. Interpres vocabula hæc, ἐξ & δ' Ἀρεκίνην τὸ ἱερὸν planè sustulit: legitque simpliciter, εἰς τὴν Ἀρικίαν ἀναβαίνουσιν· id est, *Ariciam versùs euntibus*; sive, *quà Aricium adscenditur*. intellexitque, quà adscenditur à Româ. Prædictus verò commentator voces istas, εἰς τὴν δ' Ἀρεκίνην τὸ ἱερὸν, ita corrigere conatus est; ἀναβαίνουσιν εἰς τὸ τῆς Ἀρεκίνης ἱερόν· id est; *quà ad Aricini agri templum adscenditur*. sed & in hoc longè erratum est. quidpe quum templum Dianæ in nemore esset Dianæ; utrumque verò in Aricino agro: quid hoc erat dicere; *Nemus Dianæ est ab sinistro viæ Appiæ latere, quà ad templum Dianæ itur?* Ipse auctor haud dubiè scripsit; Ἐκ δὲ ἀριστερᾶ μέρους τῆς ὁδοῦ τοῖς ἐξ Ἀρικίας ἀναβαίνουσιν εἰς τὸ Λανούϐιον. ἔστι δ' Ἀρεκίνων τὸ ἱερόν. id est: *Ab sinistra viæ parte, quà ab Aricià Lanuvium itur. templum autem ad Aricinos pertinet*. Ac fortè plura interierunt.

EGERIAE *nympha fons.*

Rursus hæc fœdè corrupta sunt: Τὰς μὲν οὖν πηγὰς ὁρᾶν ἐστιν, ἐξ ὧν ἡ λίμνη πληροῦται· τούτων δ' ἐστὶν ἱερεία καλουμένη, δαίμονός τινος ἐπώνυμος. Id est: *Ac fontes quidem conspicui sunt, unde lacus impletur: quibus sacerdos præest, nomen cum genio quodam habens commune*. Casaubonus heic pro voce ἱερεία scribendum docuit Γέγερη. scilicet, quia *Iuturna fons* ac *dea* circa hæc loca aliis memorantur auctoribus. Verùm ne hoc quidem subsistere potest; quando nemo auctorum *Iuturnæ fontem* circa nemus hoc & lacum templumque Dianæ posuit; & nos suprà lib. II cap. x ostendimus, circa Albanum & Savellum opida eum fuisse; ubi hodiéque fons corrupto per simplicitatem adcolentium vocabulo dicitur *Volturno*. Lego igitur ego ita: Τὰς μὲν οὖν πηγὰς ὁρᾶν ἐστιν, ἐξ ὧν ἡ λίμνη πληροῦται· τούτων δ' ἐστὶν ἡ Ἠγερία καλουμένη, δαίμονός τινος ἐπώνυμος. hoc est: *Ac fontes quidem conspicui sunt, unde lacus impletur. ex his est, qui Egeria vocatur, eodem, quo numen quoddam, nomine*. Nempe *Egeriæ nymphæ* dicebatur *fons*; ut ex compluribus aliis mox patebit auctoribus. Integram igitur Strabonis orationem sic verto: *Post Albanum montem in viâ Appiâ est opidum Aricia. ultra hoc Lanuvium est, Romanorum opidum, in dextro viæ Appiæ latere. unde & mare & Antium conspici possunt. Dianæ autem quod vocant nemus, ab sinistrâ viæ parte est, quà ab Aricià Lanuvium versùs adscenditur. templum in eo ad Aricinos pertinet. Aiunt Dianæ Tauricæ sacrorum similia ibi esse constituta. nam barbaricus quoque ac Scythicus mos apud id templum*

templum obtinet. profugus quidpe constituitur sacerdos; qui priorem sacerdotem suâ trucidaverit manu: strictoque semper gladio paratus ad insultus propulsandos circumspicit. Fanum in nemore est. ante id lacus est, mari æmulus. supercilium montanum continens atque excelsum circumcircà in loco cavo ac profundo includit lacum ac fanum. Ac fontes quidem conspicui sunt, unde lacus impletur: ex quibus unus vocatur Egeria, communi numinis cuiusdam nomine. effluxus autem intus quidem occulti; at foris cernuntur, è longinquo conspicui. Cæterùm his locis vicinus est Albanus quoque mons; longè sublimior Dianæ nemore & eius superciliis, licèt celsis & satis rectis. is quoque lacum habet, longè maiorem eo qui est ad Dianæ montem. Omnino heic quoque mendum inesse puto vocibus κῆ τὸ Ἀρτεμίσιον ὄρος. pro quibus scribendum censeo, ut suprà est, κῆ τὸ Ἀρτεμίσιον νέμος· id est, *apud Dianæ nemus.* Neque enim ullus alius auctor Dianæ heic memorat *montem:* quum re verâ jugum hoc pars quædam sit Albani montis, ac veluti ἀποσπασμάτιον quoddam, seu ἀποῤῥῶξ, id est, *particula quædam avulsa*; quæ ad *Lanuvium* usque & *Velitras* protenditur. Cæterùm à celebritate huius fani Dianæ ortum jam olim fuit opidum, cui à situ nomen inditum NEMVS. id hodiéque vulgari Italorum lingvâ vocatur *Nemo*, ad eumdem modum formato vocabulo, ut à Latinis vocibus, *corpus*, *pectus*, *pignus*, *tempus*, fiunt vulgaria, *corpo*, *petto*, *pegno*, *tempo*. Appianus Civil. bellor. lib. v: ὁ δὴ Καῖσαρ ἐκ τῶν ἱερῶν ἐδανείζετο τὰ χρήματα, σὺν χάριτι ἀποδώσειν ὑπισχνούμενος, ὁπότε τι Ῥώμης ἐκ τῶν Καπιτωλίων, καὶ ἀπὸ Ἀντίου τε καὶ Λανουβίου καὶ Νεμῆς τε καὶ Τιβύρων· ἐν οἷς μάλιστα πόλεσι τὰ νεῶ εἰσὶ θησαυροὶ χρημάτων ἱερῶν δανείων. Id est: *Cæsar è templis accipiebat mutuò pecunias; promittens, se redditurum cum fœnore: videlicet, Romæ è Capitolio; tum Antii, Lanuvii, Nemore, ac Tibure. in quibus opidis hodiè quoque copiosi sunt thesauri sacrarum pecuniarum.* Idem opidum *Nemus* Tacito quoque puto innui Historiar. lib. III; ubi ita de Vitellio loquitur: *Atque illum, in nemore Aricino desidentem & marcentem, proditio Lucilii Bassi ac defectio classis Ravennatis perculit.* Opidani inde dicebantur NEMORENSES. Svetonius in C. Iulio Cæsare cap. XLVI: *Munditiarum lautitiarumque studiosissimum multi prodiderunt. Villam in Nemorensi, à fundamentis inchoatam, magnoque sumptu absolutam, quia non tota ad animum ei respondérat, totam diruisse.* Propertius lib. III eleg. XXI: *Albanus lacus & socii Nemorensis ab unda.*

NEMVS opidum.

Cæterùm ab eodem *Nemore* lacus Ovidio Μεταμορφώσεων lib. XIIII cognominatur STAGNVM NEMORALE DIANAE, hoc versu:

Quæque colunt Scythicæ stagnum Nemorale Dianæ.

Et TEMPLVM NEMORALE DIANAE, de Arte amandi lib. I:

Ecce suburbanæ templum Nemorale Dianæ.

Et ipsa dea *Nemoralis Diana* Statio Silvar. lib. I carm. III; ubi Manlii Vopisci Tiburtinum celebrat:

Hac domus Egeriæ Nemoralem abjungere Phœben
Et Dryadum viduare choris algentia possit
Taygeta.

Sed & ipsa Aricia inde dicta est Nemoralis. Idem Ovidius Fastor. lib. VI:

Inspice, quos habeat Nemoralis Aricia fastos.

Lucan. lib. VI: *Parva Mycenææ quantum sacrata Dianæ*
Distat ab excelsâ Nemoralis Aricia Româ.

Martialis lib. XIII, epigram. XVIIII:

Mittit præcipuos Nemoralis Aricia porros.

De situ templi ita suprà audivimus loquentem Strabonem: τὸ δ' ἱερὸν ἐν ἄλσει. περίκλειστον ἡ λίμνη πελαγίζουσα. κύκλῳ δ' ὀρεινὴ συνεχὴς ὀφρῦς περίκειται καὶ μία ἐψηλή, ἐ τὸ ἱερὸν καὶ τὸ ὕδωρ ἀπολαμβάνουσι ἐκ κοίλῳ τόπῳ καὶ βαθεῖ. Id est: *Fanum in nemore est. ante id lacus est, mari æmulus. supercilium montanum uno continuo atque excelso jugo undique includitur in cavo ac profundo loco lacum juxtà & fanum.* Ergo *fanum* in ipsâ fuit lacus ripâ? nam inter lacum & montanum hoc supercilium nulla relinquitur planities: nisi, quà ad Appiam viam versùs mare lacus patet: nullis objectis collibus. Haud temerè illud crediderim; quando opidum Nemus hodiè in summo fere conspicitur supercilio, ad sinistram è viâ Appiâ prospicientibus. Et huc mentem videtur intendisse Lucanus lib. III hoc versu: *Quà sublime Nemus, Scythicæ quà regna Dianæ.* *Regna* adpellat; quia ipse quoque sacerdos, de quo suprà Strabo loquitur, vocabatur rex. Svetonius in Caligulâ, cap. XXXV: *Nullus denique tam abjectæ condicionis tamque*

extremæ sortis fuit, cuius non commodis obtrectaret. Nemorensi regi, quòd multos jam annos potiretur sacerdotio, validiorem adversarium subornavit. Nempe alium fugitivum; quicum de regno hoc seu sacerdotio armis depugnaret. Statius Silvar. lib. III carm. 1:

Iamque dies aderat: profugis cum regibus altum
Fumat Aricinum Triviæ nemus, & face multâ
Conscius Hippolyti splendet lacus.

En; ut Lucanus *sublime*, sic Statius *altum* vocat *nemus*, *cum regibus profugis*; qui in eo sacra administrabant. Porrò Ovidius Fastor. lib. III:

Vallis Aricinæ, silvâ præcinctus opacâ,
Est lacus antiquâ religione sacer.
Regna tenent manibus fortes, pedibusque fugaces:
Et perit exemplo postmodò quisque suo.

Et dicto lib. I de Arte amandi:

Ecce suburbanæ templum nemorale Dianæ:
Partaque per gladios regna nocente manu.

Sed fabulam de *Tauricâ* hac *Dianâ* refert Ovidius Tristium lib. IIII eleg. IIII:

Nec procul à nobis locus est, ubi Taurica dirâ
Cæde pharetratæ spargitur ara deæ.
Hæc priùs, ut memorant, non invidiosa nefandis,
Nec cupienda bonis, regna Thoantis erant.
Heic pro suppositâ virgo Pelopeïa cervâ
Sacra deæ coluit qualiacumque suæ.
Quò postquàm, dubium pius an sceleratus, Orestes
Exactus furiis venerat ipse suis.
Et comes exemplum veri Phocæus amoris:
Qui duo corporibus, mentibus unus erant:
Protinus evincti tristem ducuntur ad aram;
Quæ stabat geminas ante cruenta fores.
Et jam constiterat stricto mucrone sacerdos;
Cinxerat & Graias barbara vitta comas;
Quum vice sermonis fratrem cognovit, & illi
Pro nece complexus Iphigeneia dedit.
Læta deæ signum crudelia sacra perosæ
Transtulit ex illis in meliora locis.
O utinam venti, quibus est ablatus Orestes,
Placato referant & mea vela deo!

Et Ponticor. lib. III eleg. II Sarmatam sive Scytham refert sic sibi narrantem:

Est locus in Scythiâ; Tauros dixêre priores;
Qui Geticâ longè non ita distat humo.
Hac ego tum terrâ (patriæ nec pœnitet) ortus,
Consortem Phœbi gens colit illa deam.
Femina sacra facit tædâ non nota jugali:
Quæ superat Scythicas nobilitate nuras.
Sacrificî genus est, (sic instituêre parentes)
Advena virgineo cæsus ut ense cadat.
Regna Thoas habuit, Mæotide clarus in orâ
Nec fuit Euxinis notior alter aquis.
Sceptra tenente illo, liquidas fuisse per auras,
Nescio quam, dicunt Iphigeneiam iter.
Quam levibus ventis sub nube per aëra vectam
Creditur his Phœbe deposuisse locis.
Præfuerat templo multos ea ritè per annos,
Invitâ peragens tristia sacra manu:
Quum duo veliferâ juvenes venêre carinâ,
Presserantque suo litora nostra pede.
Par fuit his ætas & amor. quorum alter Orestes,
Alter erat Pylades. nomina fama tenet.

Protinus

Protinus immitem Triviæ ducuntur ad aram,
Evincti geminas ad sua terga manus.
Sparsit aquâ captos lustrali Graia sacerdos;
Ambiat ut fulvas insula longa comas.
Dumque parat sacrum, dum velat tempora vittis,
Dum tardæ causas invenit ipsa moræ:
Non ego crudelis, juvenes ignoscite, dixit:
Sacra suo facio barbariora loco.
Ritus is est gentis. Qua vos tamen urbe venitis?
Quodve parum fausta puppe petistis iter?
Dixit: & audito patriæ pia nomine virgo,
Consorteis urbis comperit esse suæ.
Alter ut è vobis, inquit, cadat hostia sacris;
Ad patrias sedeis nuncius alter eat:
Ire jubet Pylades carum periturus Orestem:
Hic negat. inque vicem pugnat uterque mori.
Exstitit hoc unum, quod non convenerat illis.
Cætera pars concors & sine lite fuit.
Dum peragunt juvenes pulcri certamen amoris;
Ad fratrem scriptas exarat illa notas.
Ad fratrem mandata dabat. cuique illa dabantur,
(Humanos casus adspice) frater erat.
Nec mora: de templo rapiunt simulacra Dianæ:
Clamque per immensas puppe feruntur aquas.

Neque heic neque suprà in Tristibus addit, quò perlati fuerint. id tamen in Tristibus satis clarè innuit, dum iisdem optat referri ventis, quibus Orestes erat ablatus. nam in Italiam cupiebat referri. Sed disertè hoc tradit Hyginus Μυθολογικῶν cap. CCLXI, & ex Hygino Servius ad Virgilii Aeneid. lib. II, his verbis: *Quum Græci ad Aulidem venissent, Agamemnon Dianæ cervum occîdit ignarus, in venatione. unde dea irata, flatus ventorum, qui ad Troiam ducebant, suspendit. ob quam rem consulta per Calchantem oracula, dixerunt, Agamemnonio sangvine, hoc est, immolatâ Iphigeniâ, placandam Dianam. Quum ergo ab Vlysse per nuptiarum simulationem adducta Iphigenia in eo esset, ut immolaretur, numinis miseratione sublata est; cervâ suppositâ: & translatâ ad Tauricam regionem, regi Thoanti tradita est; sacerdosque facta Dictynnæ Dianæ. Ibi quum secundùm consvetudinem statutam humano sangvine numen placaret, agnovit fratrem Orestem; qui, accepto oraculo, carendi furoris causâ, cum amico Pylade Colchos [omnino scribendum, Tauros] petierat: & cum his, occiso Thoante, simulacrum sustulit, absconditum fasce lignorum, (unde & Fascelis dicitur; non tantùm à face, cum qua pingitur: propter quod & Lucifera dicitur) & Ariciam detulit. Sed quum posteà Romanis sacrorum crudelitas displiceret; quamquàm servi immolarentur: ad Laconas est Diana translata: ubi sacrificii consvetudo adolescentum verberibus servabatur, qui vocabantur* Βωμονίκαι: *quia aris superpositi contendebant, qui plura posset verbera sustinere. Orestis verò ossa ab Aricià Romam translata sunt, & condita ante templum Saturni; quod est ante divum Capitolinum, juxta Concordiæ templum.* Ne huic quidem fabulæ nugamentum grammaticum abest. quidpe servi illi fugitivi, qui heic reges constituebantur, multis etiam sæculis pòst jugulabantur, quam ille mos antiquissimus apud Laconas institutus. Cæterùm apud Virgilium Aeneid lib. VI Sibylla sic monet Aeneam, ad inferos descensurum:

Quod si tantus amor menti, si tanta cupido est
Bis Stygios innare lacus, bis nigra videre
Tartara, & insano juvat indulgere labori;
Accipe, quæ peragenda priùs. Latet arbore opacâ
Aureus & foliis & lento vimine ramus,
Junoni infernæ dictus sacer. hunc tegit omnis
Lucus, & obscuris claudunt convallibus umbræ.
Sed non antè datur telluris operta subire,
Auricomos quàm quis decerpserit arbore fœtus.
Hoc sibi pulcra suum ferri Proserpina munus

Instituit. primo avulso, non deficit alter
Aureus: & simili frondescit virga metallo.

Ad hæc ita Servius: *Licèt de hoc ramo hi, qui de sacris Proserpinæ scripsisse dicuntur, quiddam esse mysticum adfirment; publica tamen opinio hoc habet: Orestes, post occisum regem Thoantem in regione Tauricâ, cum sorore Iphigeniâ, ut suprà diximus, fugit: & Dianæ simulacrum inde sublatum haud longè ab Aricià collocavit. In huius templo post mutatum ritum sacrificium fuit arbor quædam, de qua infringi ramum non licebat. dabatur autem fugitivis potestas, ut, si quis exinde ramum potuisset auferre, monomachiâ cum fugitivo templi sacerdote dimicaret. nam fugitivus illic erat sacerdos, ad pristinæ imaginem fugæ. Dimicandi autem dabatur facultas: quasi ad pristini sacrificii reparationem.* Hactenus sanè satis probè ac concinnè similitudo hæc isti de Iphigeniâ atque Oreste fabulæ adcommodata. at verò cur iste fugitivus sacerdos dicebatur *rex*; sacerdotiumque eius *regnum?* Ad hoc explicandum, alia certè fabulæ forma quærenda fuit. Prædictus Hyginus Μυθολογικῶν cap. xv: *In insulâ Lemno mulieres Veneri sacra aliquot annos non fecerant. cuius irâ viri earum Thressas uxores duxerunt, & priores spreverunt. At Lemniades, eiusdem Veneris impulsu conjuratæ, genus virorum omne, quod ibi erat, interfecerunt, præter Hypsipylen; quæ patrem suum Thoantem clam in navem imposuit: quem tempestas in insulam* [lege, *peninsulam*] *Tauricam detulit.* Idem, inter alios auctores, Valerius quoque Flaccus Ἀργοναυτικῶν lib. II fingit; & tandem hoc insuper addit:

——— Ille procul truncâ fugit anxius alno
Taurorumque locos delubraque sæva Dianæ
Advenit. hic illum tristi dea præficit aræ,
Ense dato. Mora nec terris tibi longa cruentis.
Iam nemus Egeriæ, jam te ciet altus ab Alba
Iupiter, & soli non mitis Aricia regi.

At antiquus inter primos poëta Euripides, in fabulâ, cuius titulus Ἰφιγένεια ἐν Ταύροις, id est, *Iphigenia in Tauris*, Iphigeniam quidem cum fratre Oreste ac Pylade simulacrum Dianæ abstulisse fingit; sed in Græciam, non verò Italiam detulisse. unde sic eamdem fabulam refert Hyginus cap. cxx: *Orestem furiæ quum exagitarent, Delphos scitatum est profectus, quis tandem modus esset ærumnarum. responsum est, ut in terram Tauricam ad regem Thoantem, patrem Hypsipyles, iret; indeque de templo Dianæ signum Argos adferret. tunc finem fore malorum. Sorte auditâ, cum Pylade, Strophilii filio, sodale suo, navem conscendit: celeriterque ad Tauricos fineis devenerunt. quorum fuit institutum, ut qui intra fineis eorum hospes venisset, in templo Dianæ immolaretur. ubi Orestes & Pylades quum in speluncâ se tutarentur; & occasionem captarent; à pastoribus deprehensi, ad regem Thoantem sunt deducti. quos Thoas, suo more junctos, in templum Dianæ, ut immolarentur, duci jussit: ubi Iphigenia, Orestis soror, fuit sacerdos. eosque ex signis atque argumentis, qui essent, quid venissent, postquàm resciit; abjectis ministeriis, ipsa cœpit signum Dianæ avellere. quò rex quum interveniisset; & rogitaret, cur id faceret; illa ementita est, dixitque, eos sceleratos signum contaminasse; quòd impii & scelerati homines in templum essent adducti. signum expiandum ad mare ferre oportere; & jubere eum interdicere civibus, ne quis eorum extra urbem exiret. Rex sacerdoti dicto audiens fuit. Occasione Iphigenia nactâ, signo sublato, cum fratre Oreste & Pylade in navem adscendit: ventoque secundo ad insulam Zminten ad Chrysen, sacerdotem Apollinis, delati sunt.* Insequenti capite varia inter se, sine certo orationis sensu, commixta sunt; & quædam interierunt. tandem hæc sequuntur: *Posteà Chryses Thoanti eos quum reddere vellet, Chryses audiit senior, Agamemnonis Iphigeniam & Orestem filios esse: qui Chrysæ filio suo, quid veri esset, patefecit; eos fratres esse; & Chrysen Agamemnonis filiam esse. Tum Chryses, re cognitâ, cum Oreste fratre Thoantem interfecit: & inde Mycenas cum signo Dianæ incolumes pervenerunt.* Nempe in patriam. nam *Mycenæ* urbs Agamemnonis erat regnum. Hinc igitur Lucano lib. VI, ut suprà relatum, *Mycenæa* dicitur *Diana*. At è contrario Euripides in dictâ fabulâ fingit, Minervam monuisse in Tauricâ regione Thoantem, ne Iphigeniam & Orestem insequeretur: ipsumque deæ paruisse. eamdem verò ita adfatam esse Orestem:

Μαθὼν δ' Ὀρέστα τὰς ἐμὰς ἀπιστολὰς,
Κώμῃ λαβὼν ἄγαλμα, σύζυγόν τε σὸν.

Ὅπερ

Ὅπαν δ' Ἀθώας τὰς θεοδμήτους μόλῃς,
Χῶρον ὃς ἐστιν Ἀγλίδος πρὸς ἑσπέραις
Ὄρεσι, γείτων δ' ἐρέμνου Καρυστίας,
Ἱερός, Ἅλας νιν ὄνομος ὀνομάζῃ λεώς·
Ἐνταῦθα ναὸν ἕδρυσαι βρέτας,
Ἐπώνυμον τῆς Ταυρικῆς, πόνων τι σῶν,
Οὓς ἐξεμόχθης πλειτολῶν καθ' Ἑλλάδα,
Οἴστροις Ἐρεννύων. Ἄρτεμιν δ' ἐνιν βροτοὶ
Τὴν λοιπὸν ὑμνήσουσι Ταυροπόλον θεάν.
Νόμον τιθεὶς τόνδ', ὅθ' ἑορτάζῃ λεὼς
Τῆς σῆς σφαγῆς ἄποινα· πιπρασκέτω ξίφος
Δέρῃ πρὸς ἀνδρὸς, αἷμά τ' ἐξανυέτω
Θύσιμος ἔκπαγλ θεᾶς, ὅπως τιμὰς ἔχῃ.

Hoc est:

Tu verò Oreſtes, auditis meis mandatis,
Vade, accepto ſimulacro & ſorore tuâ.
Et quum veneris Athenas divinitus conditas;
Eſt quidam locus in extremis Atticæ
Finibus, vicinus litori Caryſtio,
Sacer, quem meus populus vocat Halas.
Illic exſtructo templo, colloca ſtatuam
Cognominem Tauricæ, tuorumque laborum,
Quos tuliſti oberrans per Græciam,
Stimulis agitatus Erinnydum. Dianam verò ipſam homines
Poſthac celebrabunt Tauricam deam.
Et hanc legem pone: Quando populus celebrabit feſtum
Tuæ à cæde liberationis; admoveat enſem
Ad viri cervicem, & ſanguinem elicias
Propter ſanctam deam; ut honores habeat.

Sic equidem Latini interpretes & heic & ſuprà in Strabone Ἄρτεμιν Ταυροπόλον verterunt *Tauricam Dianam*. at verò maiorem vim habere hanc vocem Ταυροπόλος, diſertè oſtendit Euripides his verbis:

Ἐπώνυμον τᾶς Ταυρικῆς πόνων τι σῶν,
Οὓς ἐξεμόχθης πλειτολῶν καθ' Ἑλλάδα.

Vbi clarè innuit, Ταυροπόλον cognominatam fuiſſe ἀπὸ τᾶς Ταυρικῆς χώρας καὶ ἀπὸ τῶν πόνων ἢ Ὀρέστου, ἤτοι ἀπὸ τοῦ πλειτολεῖν τὸν Ὀρέστην καθ' Ἑλλάδα· id eſt, *à Tauricâ ſimul regione, ſimulque à laboribus Oreſtis; quos pertuliſſet per Græciam oberrando.* Verùm poëtæ Euripidi in fabulâ uti ſatis tutò credatur, vehementer ego vereor. &, non modò *Dianæ* ſed & ipſius *Minervæ* hoc fuiſſe cognomentum, teſtatur Heſychius. Ταυροπόλοι, inquit, ἡ Ἄρτεμις καὶ ἡ Ἀθηνᾶ. id eſt: *Tauropoli Diana & Minerva dicuntur.* Svidas: Ταυροπόλον τὴν Ἄρτεμιν, ὅτι ὡς ταῦρος πάντα· ὡς Ἀπολλόδωρος. Ἴστρος δ' ἐν τρίτῳ Ἀτλαντικῶν, ὅτι ὁ Ποσειδῶν πεμφθεὶς ὑπὸ Ἱππολύτου ταῦρον ἐξοίστρησεν ὅλην πᾶσαν γῆν. οἱ δέ, διότι ἔβαλε· διὸ καὶ Ταυροβόλος. Ἐν Ἀθήναις δὲ Ταυροβόλος ἐν Ἄνδρῳ. ὁ γὰρ Ἄνιος δοὺς ταῦρον τοῖς Ἀτρείδαις, ἐκέλευεν, ὅπου αὐτὸν ἐκ τῆς νεὼς ἅλῃ, ἱδρύσασθαι Ἀθηνᾶν. καὶ ἔτως διεπλεύσθη. ὁ δὲ ἐν Ἄνδρῳ ἐξήλατο. Id eſt: *Tauropolum vocant Dianam, quòd veluti taurus omnia circumit; ut auctor eſt Apollodorus. Iſter verò Miſcellaneor. lib. III ſic dictam tradit, quia taurum, à Neptuno immiſſum Hippolyto, furore percitum per omneis terras agitarit. alii autem volunt inde, quòd hunc telis confeciſſet. unde etiam Taurobolos adpellata. Minerva etiam Taurobolos in Andro inſulâ colitur. Anius enim, tauro Atridis dato, juſſit, quocúmque is ex navi exſiluiſſet, ibi uti Minervæ templum conderent: atque ſic eos ſecundâ navigatione uſuros. ille verò in Andrum exſiliit.* In Etymologico magno hoc inſuper additum: Ἢ ὅτι ἡ Ἰφιγένεια, Φυγοῦσα ἀπὸ Σκυθίας, ἐν Ἀττικῇ ἱδρυσαμένη τὸ ἄγαλμα, Ταυροπόλον Ἄρτεμιν προσηγόρευσεν, ἐπειδὴ ἐκ τῶν Ταύρων ἦν ἔθνος ἦλθεν. Οἱ δὲ λέγουσιν, ὅτι τὸν Ἑλλήνων βουλομένων αἰρεῖν τὴν Ἰφιγένειαν ἐν Αὐλίδι, ἡ Ἄρτεμις ἀντέδωκεν ἔλαφον. καὶ ἡ φασόδημον, ἄρτον· καὶ ἡ Νίκανδρον, ταῦρον. Hoc eſt: *Vel, quòd Iphigenia profuga è Scythis, quum in Atticâ terrâ ſimulacrum ſtatueret, Tauropolon Dianam adpellaverit, quia ex Taurorum gente venerat. Alii tradunt, quum Græci Iphigeniam vellent interficere in Aulide, Dianam pro eâ ſubjeciſſe cervum: vel,*

vel, ut Phanodemus ait, ursum: vel, ut Nicander, taurum. Ergo ex his satis claret, quum planè incerta esset huius vocabuli origo, quosdam, fabulâ de Iphigeniâ ac Thoante rege confictâ, à *Taurorum* gentis nomine id deduxisse. ubi tamen maximè miror, quum antiquissimus hic Tauroscythis fuerit mos hospites advenas immolandi; Thoantem istum non tantùm extra id periculum sepositum fuisse, sed etiam in regem ultro electum. Verùm, ut omnia reliqua apud Græcos atque Romanos sacra, sic hoc etiam τῆ Ἀρτέμιδος Ταυροπόλου variis, infinitis, & numquàm satis explicandis fabulis obvelatum fuit. Cæterùm antiqua eius apud Latinos etiam in Aricino nemore origo clarè inde patet, nempe à primis Latinis, quorum gentem ex Aboriginibus & Pelasgis compositam fuisse suprà ostensum, haud dubiè id huc pulsis Siculis, institutum fuisse è Græciâ huc translatum. Hippolyti etiam fabulam ei admixtam fuisse, præter duos istos grammaticos Græcos, alii etiam testantur auctores; maximè poëtæ. Statius suprà dicto Silvar. lib. III carm. I:

——— *Profugis cum regibus altum*
Fumat Aricinum Triviæ nemus, & face multâ
Conscius Hippolyti splendet lacus.

Virgilius Aeneid. lib. VII:

Ibat & Hippolyti proles, pulcherrima bello,
Virbius: insignem quem mater Aricia misit,
Eductum Egeriæ lucis, humentia circùm
Litora; pinguis ubi & placabilis ara Dianæ.
Namque ferunt famâ, Hippolytum, postquàm arte novercæ
Occiderit, patriasque explerit sanguine pœnas,
Turbatis distractus equis, ad sidera cursus
Aetheria & superas cœli venisse sub auras,
Paoniis revocatum herbis & amore Dianæ.
Tum pater omnipotens, aliquem indignatus ab umbris
Mortalem infernis ad lumina surgere vitæ,
Ipse repertorem medicinæ talis & artis
Fulmine Phœbigenam Stygias detrusit ad undas.
At Trivia Hippolytum secretis alma recondit
Sedibus, & nymphæ Egeriæ nemorique relegat;
Solus ubi in silvis Italis ignobilis ævum
Exigeret; versoque ubi nomine Virbius esset.
Vnde etiam Triviæ templo lucisque sacratis
Cornipedes arcentur equi: quòd litore currum
Et juvenem monstris pavidi effudêre marinis.

Ovidius Fastor. lib. VI:

Notus amor Phædræ, nota est injuria Thesei.
Devovit natum credulus ille suum.
Soliciti terrentur equi: frustraque retenti,
Per scopulos dominum duraque saxa trahunt.
Exciderat curru; lorisque morantibus artus
Hippolytus lacero corpore raptus erat:
Reddideratque animam, multum indignante Dianâ.
Nulla Coronides causa doloris ait.
Namque pio juveni vitam sine vulnere reddam:
Et cedent arti tristia fata meæ.
Gramina continuò loculis depromit eburnis.
Profuerant Glauci manibus illa priùs;
Tunc quum observatas augur descendit in herbas:
Vsus & auxilio est angvis ab angve dato.
Pectora ter tetigit; ter verba salubria dixit.
Depositum terrâ sustulit ille caput.
Lacus eum nemorisque sui Dictynna recessu
Celat. Aricino Virbius ille lacu est.

Et Transformationum lib. XV:

Talibus

Talibus atque aliis instructo pectore dictis,
In patriam remeasse ferunt, utroque petitum
Accepisse Numam populi Latialis habenas:
Conjuge qui felix nymphâ ducibusque Camœnis
Sacrificos docuit ritus; gentemque feroci
Adsvetam bello pacis traduxit ad artes.
Qui postquàm senior regnumque ævumque peregit;
Exstinctum Latiæque nurus populusque patresque
Deflevêre Numam. nam conjux, Vrbe relictâ,
Vallis Aricinæ densis latet abdita silvis:
Sacraque Oresteæ gemitu questuque Dianæ
Impedit. Ah quoties nymphæ nemorisque lacusque,
Ne faceret, monuêre; & consolantia verba
Dixerunt! quoties flenti Theseïus heros,
Siste modum, dixit: nec enim fortuna querenda
Sola tua est. similes aliorum respice casus:
Mitiùs ista feres. utinamque exempla dolentem
Non mea te possent relevare. sed & mea possunt.
Fando aliquem Hippolytum, vestras si contigit aures,
Credulitate patris, scelerata & fraude novercæ
Occubuisse neci: mirabere; vixque probabo.
Sed tamen ille ego sum. me Pasiphaëia quondam,
Tentatum fruſtra, patrium temerare cubile,
Quod voluit, finxit voluisse; &, crimine verso,
Iudiciive metu magis, offensâve repulsæ,
Arguit. immeritumque pater projecit ab urbe;
Hostilique caput prece detestatur euntis.
Pittheiam profugo curru Trœzena petebam:
Iamque Corinthiaci carpebam litora ponti:
Quum mare surrexit: cumulusque immanis aquarum
In montis speciem curvari & crescere visus,
Et dare mugitus, summoque cacumine findi.
Corniger hinc taurus ruptis expellitur undis;
Pectoribusque tenus molleis erectus in auras,
Naribus & patulo partem maris evomit ore.
Corda pavent comitum: mihi mens interrita mansit;
Exsiliis contenta suis. tum colla feroces
Ad freta convertunt, adrectisque auribus horrent
Quadrupedes, monstrique metu turbantur; & altis
Præcipitant currum scopulis. Ego ducere vanâ
Fræna manu, spumis albentibus oblita, luctor;
Et retro lentas tendo resupinus habenas.
Nec vireis tamen has rabies superasset equorum;
Ni rota, perpetuum quæ circumvertitur axem,
Stipitis occursu fracta & disjecta fuisset.
Excutior curru: lorisque tenentibus artus,
Viscera viva trahi, nervosque in stirpe teneri,
Membra rapi partim, partim reprensa relinqui,
Ossa gravem dare fracta sonum, fessâmque, videres,
Exhalare animam; nullasque in corpore parteis,
Noscere quas posses: unumque erat omnia vulnus.
Num potes, aut audes cladi componere nostræ
Nympha tuam? Vidi quoque luce carentia regna;
Et lacerum fovi Phlegethontide corpus in undâ.
Nec, nisi Apollineæ valido medicamine prolis,
Reddita vita foret. quam postquàm fortibus herbis
Atque ope Pœoniâ, Dite indignante, recepi;

Tum

Tum mihi, ne præsens augerem muneris huius
Invidiam, densas objecit Cynthia nubeis.
Vtque forem tutus, possemque impunè videri;
Addidit ætatem; nec cognoscenda reliquit
Ora mihi. Cretenque diu dubitavit habendam
Traderet, an Delon. Delo Cretâque relictis,
Heic posuit. nomenque simul, quod possit equorum
Admonuisse, jubet deponere. quique fuisti
Hippolytus, dixit, nunc idem Virbius esto.
Hoc nemus inde colo. de diisque minoribus unus,
Numine sub dominæ lateo, atque adsentior illi.

Idem de Hippolyti interitu narrat Hyginus in Fabulis, cap. XLVII. capite autem CCLI, ubi exempla commemorat eorum, qui ab inferis redierint, Hippolytus, inquit, Thesei filius, voluntate Dianæ: qui posteà Virbius est adpellatus. Servius in proximè scriptum Virgilii locum sic commentatur: *Theseus, mortuâ Hippolyte, Phædram, Minois & Pasiphaës filiam, superduxit Hippolyto. qui quum illam de stupro interpellantem contempsisset; falsò delatus ad patrem est, quòd ei vim voluisset inferre. ille Aegeum patrem rogavit, ut se ulciscereturn. qui agitanti currus Hippolyto immisit phocam: qua equi territi eum traxerunt. Tunc Diana, eius castitate commota, revocavit eum in vitam per Aesculapium, filium Apollinis & Coronidis.* Mox: *Sed Diana Hippolytum, revocatum ab inferis, in Ariciâ nymphæ commendavit Egeriæ: & eum Virbium, quasi bis virum, jussit vocari.* Statim: *Re verâ autem Virbius est numen conjunctum Dianæ; ut Matri deûm Atys, Minervæ Erichthonius, Veneri Adonis.* Ac deinde: *Virbium quidam Solem putant esse. cuius simulacrum non est fas attingere; propterea, quòd nec Sol tangitur.* Euripides sub finem tragœdiæ, quam de Hippolyto composuit, Dianam introducit ita illum adloquentem:

Σοὶ δ' ὦ τάλαιπωρ' αὖτὶ τῶνδε τῶν κακῶν
Τιμὰς μεγίστας ἐν πόλει τροιζωίᾳ
Δώσω. Hoc est:
Tibi autem, ô miser, pro his malis
Maximos honores.

Vibius Sequester in Catologo fluminum: *Virbius Laconices. ubi Hippolytum Aesculapius arte medicinæ reddidit vitæ. unde & Virbius dictus.* Ergo & *Hippolyti* sive *Virbii* numen & cultus unà cum Dianæ Ταυροπόλῳ sacris in Italiam è Peloponneso ab iisdem Pelasgis delata fuêre. *Tauro* autem exterritos fuisse *Hippolyti* equos, præter Ovidium & suprà scriptos grammaticos Græcos, Euripides quoque & Seneca in Hippolyti tragœdiâ tradunt. Ex hac igitur fabulâ, quamcumque illa tandem in μυθολογικοῖς rationem habuerit, cognomentum Dianæ, non à Tauris Scythis, quæsitum, maximè credibile est, Apud Persium Satyrâ VI hæc leguntur:

—— *Age, si mihi nulla*
Iam reliqua ex amitis, patruelis nulla, proneptis
Nulla manet patrui; sterilis matertera vixit;
Deque avia nihilum superest: adcedo Bovillas
Clivumque ad Virbî. præsto est mihi Manius hæres,
Progenies terræ. quære ex me, quis mihi quartus
Sit pater; haud promptè dicam tamen: adde etiam unum:
Vnum etiam. terræ est jam filius; & mihi ritu
Manius hic generis propè maior avunculus exit.

Ad hæc ita habet in commentariis Cornutus: *Quatuor millibus ab Vrbe est Virbii clivus; quà iter est ad Ariciam & ad Nemus Dianæ.* Omnino ego credo scripsisse ipsum Cornutum: *Quatuordecim millibus.* nam haud obscurè nec dubiè poëta *Clivum* hunc *Virbii* ultra *Bovillas* ponit. Et *Maniorum* nomen fuisse *Aricinum* patet ex his Pompeii Festi verbis: *Manius Egerius agrum Nemorensem Dianæ consecravit; à quo multi & clari viri orti sunt, & per multos annos fuerunt. unde & proverbium; Multi Manii Ariciæ.* Et diserta hæc sunt Martialis verba lib. XII epigram. XXXII:

O Iuliarum dedecus Kalendarum;
Vidi, Vacerra sarcinas tuas, vidi:

Quas,

Quas, non retentas pensione pro himâ,
Portabat uxor, rufa crinibus septem,
Et cum sorore cana mater ingenti.
Furias putavi nocte Ditis emersas.
Has tu priores, frigore & fame siccus,
Et non recenti pallidus magis buxo,
Irus tuorum temporum, sequebaris.
Migrare clivum crederes Aricinum.
Hac sarcinarum pompa convenit ponti.

Nempe ille dicebatur CLIVVS VIRBII & CLIVVS ARICINVS, qui in ipsâ viâ est Appiâ, ab Aricià ad lacum Dianæ adcedentibus. in quo clivo, ob celebritatem viæ & transeuntium numerum, quamplurimi desidebant mendici; ut & in ponte Milvio. unde Iuvenalis quoque Satyrâ IIII: CLIVVS VIRBII; idem ARICINVS.

Grande & conspicuum nostro quoque tempore monstrum;
Cæcus, adulator, dirusque à ponte satelles:
Dignus, Aricinos qui mendicaret ad axeis;
Blandaque devexæ jactaret basia rhedæ.

Cæterùm de *Manio Egerio Aricino*, quod Festus narrat; *Nemorensem agrum Dianæ ipsum consecravisse*; nescio grammaticorum, an theologorum Romanorum fuerit fabula. quidpe antiquissimis jam inde temporibus à Pelasgis & Aboriginibus, sive à primis Latinis, hæc loca Dianæ consecrata fuisse, ex suprà adlatis manifestè patet. tum verò EGERIA NYMPHA hèic omnibus traditur: quam conjugem Numæ, Romanorum regis, finxerunt: à qua etiam ipsum *Dianæ nemus* LVCVS sive NEMVS EGERIAE dictum. ut suprà ex Valerii Flacci Ἀργοναυτικῶν lib. II & Virgilii Aeneid. lib. VII intelleximus. Ovidius, præterea, quæ suprà ex Transformat. lib. XV citavimus, sic etiam Fastor. lib. III canit de eodem Numâ:

Sive hoc à Samio doctus, qui posse renasci
Nos putat; Egeriâ sive monente suâ.

Livius lib. I, de Numâ loquens: *Omnium primùm (rem ad multitudinem imperitam & illis saculis rudem efficacissimam) deorum metum injiciendum ratus est. qui quum descendere ad animos sine aliquo commento miraculi non posset; simulat, sibi cum deâ Egeriâ congressus nocturnos esse. eius se monitu, quæ acceptissima diis essent, sacra instituere, sacerdotes suos cuique deorum præficere.* Idem haud dubiè ex Livio refert Valerius Maximus lib. I cap. II. Dionysius lib. II, de eodem Numâ: Λόγος ἢ πολὺς ὑπὲρ αὐτοῦ καὶ θαυμασὸς λέγεται. νύμφην γάρ τινα μυθολογοῦσι Ἠγερίαν φοιτᾶν πρὸς αὐτὸν ἑκάστοτε, διδάσκουσαν τὰ βασιλικὰ σοφίσματα. ἕτεροι δὲ ἐνύμφην, ἀλλὰ τῶν Μουσῶν μίαν. * — *. Οἱ δὲ τὰ μυθώδη πάντα περιαιρεῦντες ἐκ τῆς ἱστορίας, πεπλάσθαι φασὶν ὑπὸ Νομᾶ τὴν Ἠγερίας λόγον, ἵνα ῥᾷον αὐτῷ πρόσσχωσιν οἱ τῶν θείων δεδιότες, καὶ προθύμως δέχωνται σοῦ ὑπ' αὐτοῦ λεγομένους νόμους, ὡς παρὰ θεῶν κομιζομένους. Id est: *Multa de eo ac mira prædicant. fabulantur enim, nympham ad eum quotidiè ventitasse Egeriam; eumque regiam sapientiam edocuisse. Alii non nympham tradunt, sed unam Musarum.* Aliquanto pòst: *At qui fabulis locum in historiâ non relinquunt: Numam hæc de Egeriâ dicunt finxisse: ut, hac religione devincti, leges ab ipso, velut ex auctoritate deorum latas libentiùs admitterent.* Hinc & Cicero de Legibus lib. I: *Et meherculè ego me cupio non mendacem putari. sed tamen nonnulli isti faciunt imperitè; qui in isto opusculo non ut à poëtâ, sed ut à teste veritatem exigant. nec dubito, quin iidem, & cum Egeriâ colloquutum Numam, & ab aquilâ Tarquinio apicem impositum; putent.* Ovidius suprà dicto Transformationum lib. XV, ubi Hippolytum fingit casus suos Egeriæ enarrantem, ita pergit: LVCVS EGERIAE. FONS EGERIAE.

Non tamen Egeriæ luctus aliena levare
Damna valent; montisque jacens radicibus imis,
Liquitur in lacrumas; donec pietate dolentis
Mota soror Phœbi, gelidum de corpore fontem
Fecit, & æternas artus tenuavit in undas.

Hic scilicet ille est FONS EGERIAE, de quo Strabo suprà dicto lib. V loquitur his verbis: Ταῖς μὲν οὖν πηγαῖς ὁρᾶν ἔστιν, ἐξ ὧν ἡ λίμνη πληροῦται· τούτων δ' ἔστιν ἡ Ἠγερία καλουμένη δαίμονός τινος ἐπώνυμος. Id est: *Ac fontes quidem conspicui sunt, unde lacus impletur. ex quibus est, qui Egeriæ adpellatur, eodem, quo numen quoddam nomine.* Fontis huius limpidissimi tam copiosæ hodiè sub Nemorensi opido ex antro profluunt aquæ, uti

molas ſtatim flumine ſuo convolvant. Verùm, ut *Iuturnæ fons* ſeu, lacus alter, habebatur in ipsâ urbe Româ, alter extra urbem circa Albanum Sabellumque opida; ut ſuprà lib. II cap. X oſtenſum: item, ut *Virbius clivus* alter dicebatur apud Ariciam & Nemus Dianæ: ut paullo antè intelleximus; alter in ipſâ Vrbe; teſte Livio lib. I: ſic *Egeriæ* quoque alter *fons*, & *Muſarum* ſive *Camænarum lucus*, apud Vrbem habebatur, ante portam Capenam; quæ Appiam emittebat viam. unde & heic, ut ſuprà lib. II cap. X in Iuturnæ fonte factum intelleximus, diverſa opinio tradentium; quum alii apud Ariciam cum Egeria congreſſum Numam velint, alii apud portam Capenam. Martialis lib. II epigram. VI:

Laſſus tam citò deficis viator?
Et quum currere debeas Bovillas;
Inter jungere quæris ad Camænas.

Iuvenalis Satyrâ III:

Subſtitit ad veteres arcus madidamque Capenam:
Heic, ubi nocturnæ Numa conſtituebat amicæ.
Nunc ſacri fontis nemus & delubra locantur
Iudæis; quorum cophinus fœnumque ſupellex.
Omnis enim populo mercedem pendere juſſa eſt
Arbor; & ejectis mendicat ſilva Camænis.
In vallem Egeriæ deſcendimus, & ſpeluncas
Diſſimileis veris.

Ad quæ ita vetus commentator: *In viâ Appiâ ad portam Capenam; id eſt, ad Camænas.* Ita in hunc etiam locum, *non in Aricinum Dianæ nemus*, quadrat, quod de *pratis* atque *campis* narrat Plutarchus in Numâ, his verbis: Ἡ γενέσθαι τε λέγεται Μουσῶν αὐτὸν πυθέσθαι χρῆσθαι Μούσῃς καθιερῶσαι τὸ χωρίον ἐκεῖνο καὶ θεοῦ· διὸ καὶ αὐτὸ λειμῶνας, ὅπου τὰ πολλὰ φοιτῶσαι συνδιατρίβειν αὐτῷ· τὴν δὲ πηγὴν, ἣ καταῤῥεῖ τὸ χωρίον, ὕδωρ ἱερὸν ἀποδεῖξαι καὶ ἑστίαις παρθένοις, ὅπως λαμβάνωσι καθ' ἡμέραν, ἀγνίζωσι καὶ ῥαίνωσι τὸ ἀνάκλορον. Id eſt: *Ex Egeriâ atque Muſis ſe accepiſſe, conſecrandum Muſis eſſe campum & circumjecta prata, ubi plerumque cum ipſo congrediebantur. fontem autem, quo irrigatur campus, ſacrandum virginibus Veſtalibus: cuius aquâ luſtrarent adſpergerentque quotidiè penetralia.* Nec longiùs trahi poteſt oratio Livii; qui dicto lib. I haud multo pòſt, *Lucus erat*, inquit, *quem medium ex opaco ſpecus fons perenni rigabat aqua. quò quia ſe perſæpè Numa ſine arbitris, velut ad congreſſum deæ, inferebat; Camænis eum lucum ſacravit; quòd earum ſibi concilia cum conjuge ſuâ Egeriâ eſſent.* Eumdemque locum intellexit Sulpicia in Satyrâ, quam de ſtatu reipublicæ temporibus Domitiani compoſuit; quum ille edicto philoſophos Vrbe exegiſſet. ubi Calliopen Muſam fingit ita ſibi reſpondere:

Pone metus æquos, cultrix mea: ſumma tyranno
Hæc inſtant odia: & noſtro periturus honore eſt.
Nam laureta Numæ fonteisque habitamus eosdem:
Et comite Egeria ridemus inania cœpta.

Hi igitur apud Capenam portam poſuêre Numæ cum Egeriâ & Muſis congreſſus; alii verò ad Dianæ nemus. Ovidius, præter ſuprà memoratum locum, ſic etiam canit Faſtor. lib. III:

Nympha mone, nemori ſtagnoque operata Dianæ:
Nympha Numæ conjux, ad tua facta veni.
Vallis Aricinæ ſilvâ præcinctus opacâ,
Eſt lacus antiquâ relligione ſacer.
Heic latet Hippolytus, loris direptus equorum.
Vnde nemus nullis illud aditur equis.

Et paullo pòſt:

Defluit incerto lapidoſus murmure rivus.
Sæpè, ſed exiguis hauſtibus, inde bibe.
Egeria eſt, quæ præbet aquas; dea grata Camænis.
Illa Numæ conjux conſiliumque fuit.

Statius Silvar. lib. V carm. III:

—— Sic ſacra Numæ ritusque colendos
Mitis Aricino dictabat nympha ſub antro.

Martia-

Martialis lib. x epigram. xxxv:

Taleis Egeriæ jocos fuisse
Vdo crediderim Numæ sub antro.

Et ipse *antrum Aricinum* intellexit. sic quidpe anteà lib. VI epigr. XLVII; quod est ad *Ianthida nympham:*

Nympha, mei Stellæ quæ fonte domestica puro
Laberis, & domini gemmea tecta subis:
Sive Numæ conjux Triviæ te misit ab antro;
Sive Camænarum de grege nona venis:
Exsolvit votis hac se tibi virgine porcâ
Marcus, furtivam quòd bibit æger aquam.
Tu contenta meo jam crimine, gaudia fontis
Da secura tui. sit mihi sana sitis.

Scilicet, quum complures heic essent fontes, teste etiam suprà citato Strabone; unus ex iis, omnium maximus, sub Nemorensi opido, *Egeriæ* dicebatur *fons*: reliqui sub *Ienzano* opido *Musarum* sive *Camænarum* fuêre *fontes*. Salubritatem autem aquæ haud dubiè intelligit Martialis eamdem, quam Ovidius verbis proximè scriptis. Nec tamen ex his fontibus aqua derivata fuit in fontem *Ianthidis nymphæ*. sed comparationem tantùm voluit instituere salubritatis utriusque aquæ. nam Stellæ domus apud Vrbem vel in Vrbe videtur fuisse. de qua iterum posteà lib. VII epigram. XLVIIII ita scribit:

Fons dominæ, regina loci, quo gaudet Ianthis;
Gloria conspicuæ deliciumque domus:
Quum tua tot niveis ornetur ripa ministris;
Et Ganymedæo luceat unda choro;
Quid facit Alcides silvâ sacratus in istâ?
Tam vicina tibi cur tenet antra deus?
Numquid nympharum notos observat amores?
Tam multi pariter ne rapiantur Hylæ?

Sed mirari heic ego satis nequeo novissimos Martialis commentatores: qui ferè omnes ex corruptis quibusdam exemplaribus docent, legendum esse in suprà scripto epigrammate, *Sive Numæ conjux Triviæ temisit ab Annâ*. In quibus sanè verbis quàm ineptissimè *Anna Perenna* dicitur *Triviæ Anna:* quum numen eius & sacra apud Numicii amnis fontem sub Lavinio opido, tum etiam apud urbem Romam inter Martium campum & Anienis confluentem culta fuerint; ut suprà cap. II & III huius libri III abundéque ex Ovidio ac Silio & ipso etiam Martiale demonstratum est. Quapropter quod quidam ex istis commentatoribus tradit, Dianam Aricinam ab Annâ Perennâ cultam fuisse, nisi idoneorum auctorum testimonio probaverit, quod facere nequit, æquè mihi falsum erit, ac illud, ubi ex suprà scripto Dionysii loco ostendit *Egeriam* nonnullis unam ex Musis existimatam fuisse. quod sanè non magis Dionysius tradidit, quàm reliqui omnes, quos citavi, auctores. Et quomodò, ubi, vel quando Aricinam Dianam coluit Anna Perenna: quando vix terram ad Numicium amnem & opidum Lavinium ingressa fuisse narratur, quum post structas illi à Laviniâ, Aeneæ uxore, insidias, in nympham dicti amnis conversa sit? Igitur neque ad Egeriam neque ad Dianam ullo modo referri ea potest. Quod autem iidem commentatores in poëtæ lib. IIII epigram. LXIIII virgineum cruorem interpretentur idem nemus Dianæ Aricinæ, id omnium falsissimum est. Verba illic poëtæ hæc sunt:

Tulli jugera pauca Martialis
Longo Ianiculi jugo recumbunt.
Hinc septem dominos videre montes,
Et totam licet æstimare Romam:
Albanos quoque Tusculosque colles;
Et quodcumque jacet sub Vrbe frigus:
Fidenas veteres, breveisque Rubras;
Et, quod virgineo cruore gaudet
Annæ pomiferum nemus Perannæ.
Illic Flaminiæ Salariæque

Vectator pavet, essedo tacente,
Ne blando rota sit molesta somno,
Quem nec rumpere nauticum celeuma,
Nec clamor volet helciariorum:
Quum sit tam propè Mulvius; sacrumque,
Lapsæ per Tiberim volent carinæ.

En, ut disertè *pomiferum* hoc *Annæ Perennæ nemus*, quod *virgineo cruore gaudebat*, non ultra Albanum montem in Aricino ponit nemore; sed ab eâdem Vrbis parte, à qua erant in *Flaminiâ viâ Rubræ*, in *Salariâ Fidenæ*; prope *Mulvium* pontem & *Tiberim* amnem. cui consentiens Ovidius Fastor. lib. III, ita ait:

Idibus est Annæ festum geniale Perennæ,
Haud procul à ripis, advena Tybri, tuis.

Isto igitur etiam *virgineo cruore*, quo Annæ nemus apud Tiberim gaudebat, haud quidquam probaveris, legendum illic esse apud Martialem, *Triviæ te misit ab Annâ*. Altera illa lectio, *Numæ conjux Triviæ te misit ab antro*, plana ac maximè sana est. Cæterùm Virgilii versus ex Aeneid. lib. VII suprà citavimus istos:

Ibat & Hippolyti proles, pulcherrima bello,
Virbius: insignem quem mater Aricia misit,
Eductum Egeriæ lucis, humentia circùm
Litora; pingvis ubi & placabilis ara Dianæ.

Ad hæc ita Servius: *Pingvis, frequenti sacrificio. placabilis autem, ac si diceret, non qualis antè fuit, vel illic vel apud Tauros, humano gaudens cruore.* Eumdem locum imitatus poëta posteà Aeneid. lib. VIIII:

Stabat in egregiis Arcentis filius Arcens,
Insignis facie; genitor quem miserat Arcens,
Eductum Martis luco, Symæthia circùm
Flumina; pingvis ubi & placabilis ara Palici.

Ad hunc etiam locum sic Servius: *Symæthus fluvius est Siciliæ; circa quem sunt Palici dei. Hi primò humanis hostiis placabantur. posteà quibusdam sacris mitigati sunt, & eorum immutata sacrificia. inde ergo, Placabilis ara.* Aliam sanè rationem adfert Macrobius Saturnal. lib. V cap. XVIIII: quam in Siciliæ lib. II cap. VIIII citamus. Sanè implacabiles erant Palici perjuris; qui protinus ad lacus eorum oculis capiebantur. & ita ego scripsisse existimo ipsum Virgilium;

—— *Pingvis ubi implacabilis ara Palici.*

Item lib. VII: —— *Pingvis ubi implacabilis ara Dianæ.*

Et sic certè legit perpetuus, ut sæpissimè nobis notatur, imitator ille Virgilii Silius Italicus. unde illud lib. IIII:

Sed Spartam penetrare deus fratresque negabant
Ausonii, totidem numero: quos miserat altis
Egeriæ genitos immitis Aricia lucis;
Aetatis mentisque pareis. at non dabat ultrà
Clotho dura lacus aramque videre Dianæ.

Et lib. VIII: *Quique immite nemus Triviæ, quique ostia Tusci*
Amnis amant.

Consimili modo Ovidius loquitur suprà dicto Ponticor. lib. III eleg. II, de Oreste ac Pylade: *Protinus immitem Triviæ ducuntur ad aram.*

Et Lucanus lib. I:

Et quibus immitis placatur sangvine diro
Teutates, horrensque feris altaribus Hesus,
Taranis, Scythicæ non mitior, ara, Dianæ.

Et cui *immitis* atque *implacabilis* fuerit ista Dia Aricina, ostendit Valerius Flaccus suprà dicto Ἀργοναυτικῶν lib. II, his verbis:

Iam nemus Egeriæ, jam te ciet altus ab Albâ
Iupiter, & soli non mitis Aricia regi.

Ergo ad postremum usque, quàm diu culta fuit, *humano cruore gavisa est implacabilis* hæc *Diana*. De reliquo hoc etiam heic notandum fuit, quòd in plerisque Latinorum auctorum exemplaribus Egeriæ nymphæ nomen vitiosè scriptum est per diphthongum

thongum Aegeria: quum Græci auctores suprà scripti Dionysius atque Plutarchus per H id habeant Ἡγερία; & Festus, *Egeriæ*, inquit, *nymphæ sacrificabant prægnantes; quòd eam putabant facilè conceptam alvum egerere*. Ergo *Egeria* eadem fuerit quæ & *Diana*, & *Lucina*, & *Lucifera*. Terentius Varro de Lingvâ Latinâ lib. VI: *Ennius: Vt tibi Titanis Trivia dederit stirpem liberûm. Titanis Trivia, Diana est: ab eo dicta Trivia, quòd in trivio ponitur ferè in opidis Græcis: vel, quòd Luna dicitur esse; quæ in cælo tribus viis movetur; in altitudinem, & latitudinem, & longitudinem.* Cicero de Naturâ deorum lib. II: *Dianam & Lucinam eamdem esse putant. Luna à lucendo nominata est: eadem est enim Lucina. itaque, ut apud Græcos Dianam, eamque Luciferam, sic apud nos Iunonem Lucinam in pariendo invocant.* Catullus carm. XXXV:

Tu Lucina dolentibus
Iuno dicta puerperis;
Tu potens Trivia, & notho es
Dicta lumine Luna.

Hinc etiam, non *à fasce lignorum*, ut suprà scripto loco fabulatur Hyginus, *Fascelina*; sed à *facibus*, id est, à *tædis*, quas *præferre* tradebatur, dicta fuit *Diana Facelina*. Lucilius Satyrar. lib III: ——— *Et, sæpè quod antè*
Optasti, freta Messanæ & Rhegina videbis
Mœnia; tum Liparam, & Facelinæ templa Dianæ.

Silius lib. XIIII:

Mille Agathyrna dedit, perflataque Stronzylos austris:
Mille Thoantéæ sedes Facelina Dianæ.

Sed de *Nemore Dianæ* hactenus abundè dictum. ad reliqua nunc Latii veteris opida pergamus.

LANVVIVM *colonia & municipium.*

Vltra Ariciam & dictum Dianæ nemus, apud eamdem viam Appiam fuit LANVVIVM *opidum*; Ciceroni, Propertio, Ovidio, Livio, Straboni, Silio, Ptolemæo, Aeliano, Appiano, Tabulæ itinerariæ, Stephani breviatori, & aliis memoratum. Opidani inde passim apud auctores leguntur LANVVINI. Opidi Cicero frequenter meminit in epistolis ad Atticum, lib. XII, XIII, XIIII, & XV. at situm eius apud Appiam viam indicat maximè in oratione pro T. Annio Milone. *Quum cædem*, inquit, *in viâ Appiâ factam esse constaret*. Mox: *Tulit de cæde, quæ in Appiâ viâ facta esset; qua P. Clodius occisus fuit*. Deinde: *Quum sciret Clodius, iter solenne, legitimum, necessarium, ad diem XIII Kalend. Febr. Miloni esse Lanuvium, ad flaminem prodendum; quòd erat dictator Lanuvii Milo*. Et posteà: *Dictatoris Lanuvini stata sacrificia nosse, negotii nihil erat. Vidit, necesse esse Miloni proficisci Lanuvium illo ipso, quo profectus est, die*. Ac deinde: *Atque illo die certè, Ariciâ rediens, divertit Clodius ad Albanum. Quod nisi sciret Milo, ipsum Ariciæ fuisse; suspicari tamen debuit, eum, etiamsi Romam illo die reverti vellet, ad villam suam, quæ viam tangeret, diversurum*. Hinc iter viæ Appiæ ita describitur in Itinerariis Romanis:

Tabulæ;		Antonini;	
Româ, viâ Appiâ		*Appiâ, ab Vrbe*	
Bobellas	X.	|	
Aricia	III.	*Aricia*	XVI.
Sub Lanubio	....	|	
Tres Tabernas	....	*Tribus Tabernis*	XVII.
....	X.	*Appî Forum*	XVIII.
Terracina	....	*Terracina*	XVIII.

Hinc etiam Livius lib. VIII, *Venerant & ab Lanuvio*, inquit, *Antioque auxilia*. Et apud Strabonem lib. V ita legitur: Μετὰ δὲ τὸ Ἀλβανὸν ὄρος Ἀρικία ἐστὶ πόλις, ὑπὸ τῇ ὁδῷ τῇ Ἀππίᾳ. ὑπέρκειται δ' αὐτῆς τὸ ὄρος Λανούϊον, πόλις Ῥωμαίων, ἐν δεξιᾷ τῇ Ἀππίᾳ οὖσα· ἀφ' ἧς ἐπὶ θάλατταν ἐστὶ καὶ τὸ Ἄντιον. Quæ posterior interpres Latinus sic vertit: *Secundum Albanum montem in viâ Appiâ est Aricia. supra eam sita est Lavinium, urbs Romanorum, in dextro viæ Appiæ latere; unde & mare & Antium conspici potest*. Planum erat dispectu, non Λαούϊον, sed Λανούϊον, vel Λανούϊον scripsisse ipsum Strabonem; quando id opidum juxta Appiam viam collocat, unde mare Antiumque prospiciatur; quando item

do item *Lavinium* jam anteà haud paucis descripserat verbis. Et quid ille novi memorasset, à Lavinio prospici mare; quum id tria haud ampliùs millia à litore disitum fuerit; ut superiori capite ostensum. Cur autem *Lavinium* dixerit πόλιν Ῥωμαίων; an, quia ab Romanis conditum; an verò, quia hoc magis Romanorum fuit opidum, id est, Romanorum ditioni subjectum, quàm vel *Aricia* vel omnia reliqua Latii opida? At utrumque falsum. Totum igitur locum sic restituo: Μετὰ δὲ τὸ Ἀλβανὸν ὄρος Ἀρικία ἐστὶ πόλις, ἥτις τῇ ὁδῷ τῇ Ἀππίᾳ. ὑπάρχει δ' αὐτῆς τὸ μὲν Λανούβιον, πόλις ἄποικος Ῥωμαίων, ἐν δεξιᾷ τῇ Ἀππίας ὁδοῦ· ἀφ' ἧς ἔστι πόθεν ἡ Γαλαστά· ἐστι κεῖ τὸ Ἄνιον. Id est: *Post Albanum montem in viâ Appiâ urbs est Aricia. ultra eam sita est Romanorum colonia Lanuvium, ad dextrum Appiæ viæ latus: unde mare Antiumque prospicitur.* Vocatur hodiè vulgò *Cività Lavina*; & corruptiùs *Cività Indovina*. Blondus in Italiâ suâ testatur, lapidem heic repertum esse, qui *Lanuvium* id opidum esse ostenderit. & exstat heic lapis, qui *imperatoris M. Aurelii Commodi Antonini* meminit, cum hac clausulâ; S·P·Q·LANIVINVS. Et dictum fuisse posterioribus istis temporibus LANIVIVM, alius etiam testatur lapis, qui Romæ exstat, cum his literis: CVR·RP·LANIVINOR. Atque hinc, credo, corruptum eius tandem ortum esse vocabulum, quo hodiè quoque vocatur *Cività Lavina*. quod jam Servii ævo ita fuisse usurpatum, haud obscurè colligitur ex verbis eius ad Virgilii Aeneid. lib. I ita perscriptis: *Lavinium constat* VIII *milliaribus à mari remotum. nec nos debet fallere, quia dixit, Lavina litora. Litus enim dicitur terra quæque mari vicina.* Et ad Aeneid. lib. III: *Is locus urbis erit. id est, in ipsâ regione. nam & Lavinium & Albâ longè à litore sunt.* Hodiéque ab opido *Cività Lavina* ad proximum litus VIII numerantur miliaria. Hinc igitur fuerit, quòd duûm istorum opidorum *Lavinii* atque *Lanuvii* vocabula apud alios etiam auctores antiquos perperam permutata legantur. Livius lib. XXVI: *Q. Fulvius quum, Hannibalem Latinâ viâ iturum, satis comperisset: ipse per Appiæ municipia, quæque propter eam viam sunt, Setiam, Soram, Lavinium, præmisit, ut commeatus paratos & in urbibus haberent, & ex agris deviis in viam proferrent.* Duo heic in paucis verbis sunt menda. *Sora* quia longè suprà *Latinam viam*, circa fonteis Liris amnis sita est, restituo pro eâ *Coram*; quæ inter *Setiam* & *Lanuvium* à dextro viæ Appiæ, à Capuâ cum Q. Fulvio si Romam eas, latere posita est. *Lanuvium* autem apud ipsam viam eodem latere fuisse situm, suprà è Strabone ac Tabulâ itinerariâ intelleximus. Apud Iulium item Obsequentem, in libro de Prodigiis vitiosum esse *Lanuvii* vocabulum, quod apud Valer. Maximum lib. I cap. VI rectè scriptum est, in eâdem historiâ, *Lavinii*, superiori capite ad huius opidi explicationem ostendimus. Apud Iul. Capitolinum in vitâ M. Aurelii Antonini Philosophi, ita legitur: *Exinde Lavinium profectus est.* Omnino heic legendum esse existimo, *Lanuvium*. nam de huius Antonini socero, M. Aurelio Antonino Pio, ita scribit Sex. Aurelius Victor in Cæsaribus: *Aurelio Antonino cognomentum* [fuit] *Pii. Hunc ferè nulla vitiorum labes maculavit. Vir veterrimæ familiæ, è Lanuvino municipio, senator urbis.* Et paullo pòst: *Quin etiam maribus frustratus, filiæ viro reipublicæ consultavit. namque M. Boionium, qui Aurelius Antoninus habetur, eodem opido, pari nobilitate, philosophandi verò eloquentiæque studiis longè præstantem, in familiam atque imperium adscivit.* Hinc & ipse Iul. Capitolinus in Antonino Pio; *Antoninus*, inquit, *Pius natus est in villâ Lanuvinâ.* Et Aelius Lampridius in Commodo, Antonini Philosophi filio: *Natus est apud Lanuvium.* Et posteà: *Adpellatus est etiam Romanus Hercules: quòd feras Lanuvii in amphitheatro occidisset.* Et deinde: *Bubo etiam supra cubiculum eius deprehensus est, tam Romæ, quàm Lanuvii.* Sic etiam ipse Antoninus Philosophus, de Vitâ lib. I, Λανούβιον, *Lanuvium*, nominat. Porrò apud Marium Victorinum in Ciceronis Rhetoricorum lib. I: *Milo ad Albanum pervenit. impetus in illum factus est. tum ille rejecit penulam: de rhedâ desiluit: se defendit: Clodius occisus est. posteà quid fecit? profectus est Lavinium: flamines creavit.* Geminum sanè & heic esse mendum, ex suprà scriptis ipsius Ciceronis patet verbis. scribe igitur: *Profectus est Lanuvium: flaminem creavit.* Asconius Pedianus, in eam Ciceronis orationem commentans: *Milo Lanuvium, ex quo erat municipio, & ibi tum dictator, profectus est ad flaminem prodendum.* Apud Ovidium quoque in vulgatis exemplaribus Fastor. lib. VI, ubi ipsa loquitur Iuno, ita legitur:

Inspice, quos habeat Nemoralis Aricia fastos,
Et populus Laurens Laviniumque meum.

Heic

Heic etiam reſcribendum eſt, *Lanuviumque meum*. nam IVNONIS, *cognomento* SOSPITAE, *templum* ac *lucum* cum magnâ veneratione apud *Lanuvium* fuiſſe, complures adnotarunt ſcriptores. Livius lib. VIII: *Lanuvinis civitas data; ſacraque ſua reddita, cum eo, ut ædes lucusque Sospitæ Iunonis communis Lanuvinis municipibus cum populo Romano eſſet.* Et lib. XX: *Lanuvii haſtam ſe commoviſſe, nunciatum eſt; & corvum in ædem Iunonis devolaſſe.* Mox: *Donum ex auro pondo* XL *Lanuvium Iunoni portatum eſt.* Et lib. XXII: *Decretum, ut Iunoni Sospitæ Lanuvii maioribus hoſtiis ſacrificaretur.* Lib. XXIII: *Signa Lanuvii ad Iunonis Sospitæ cruore manavêre: lapidibusque circa id templum pluit.* Lib. XXIIII: *Lanuvii in æde intus Sospitæ Iunonis corvos nidum feciſſe.* IVNONIS SOSPITAE lucus & templum.

Cicero fine Orationis pro L. Murænâ: *Date hoc ipſius pudori; date patri mortuo; date generi & familiæ: date etiam Lanuvio, municipio honeſtiſſimo: quod in hac tota cauſa frequens mœſtumque vidiſtis. nolite à ſacris patriis Iunonis Sospitæ, cui omneis conſules facere neceſſe eſt, domeſticum & ſuum conſulem potiſſimum avellere.* Apud Silium igitur etiam rectè pro vulgato vocabulo *Lavino* reſtituitur *Lanuvium*. Lib. VIII; ubi Latii opida enumerat:

Sacra manus Rutuli, ſervant qui Daunia regna,
Laurentique domo gaudent & fonte Numici:
Quos Caſtrum Phrygibusque gravis quondam Ardea miſit.
Quos, celſa devexa jugo Iunonia ſedes,
Lanuvium, ac altrix caſti Collatia Bruti:
Quique immite nemus Triviæ; quique oſtia Tuſci
Amnis amant.

Et lib. XIII; ubi, Capuâ occupatâ, Fulvius dona diſtribuit militibus:

Lanuvio generate, inquit, quem Sospita Iuno
Dat nobis, Milo, Gradivi cape victor honorem;
Tempora murali cinctus turrita coronâ.

Porrò apud Appianum Civil. bellor. lib. II ita ſcriptum: Βαρυθυμῶν ἦ ὁ Μίλων, εἰς ἣν πατρίδα λαβεῖν ἐξῆκε. ὃν Διομήδη φασὶν, ἀλόμβρον ἐξ Ἰλίου, πρώτῳ ἐν τῇ Ἰταλίᾳ πόλιν οἰκῆσαι. καὶ εἰσὶν ἀπὸ Ῥώμης ἐς αὐτὸν σταδίοι πεντήκοντα καὶ ἑκατόν. Corruptum eſſe locum, etiam ante me interpres Latinus arguit; qui *Lavinium*, &, *poſt captum Ilium* vertit; id eſt Græcè, Λαβίνιον, & ἅλωσιν ἧς Ἰλίου. Attamen iſtud minùs rectè factum, quòd pro *Diomedis* nomine ſubjecerit *Aeneam*, ſuperiori capite in expoſitione *Lavinii* patuit. Totus igitur locus ſic vertendus erat: *Aegrè id ferens Milo, profectus eſt in patriam ſuam Lavinium. quam primam fertur Diomedes, poſt captum Ilium, in Italiâ condidiſſe urbem; diſitam ab Româ ſtadia* CL. Id eſt, millia paſſuum XX; more ævi Appiani VII ſtadia cum dimidio in ſingula milliaria computando. quod equidem juſtum erat Romam inter & Lanuvium intervallum. verùm Appianus, qui aliàs quoque haud ſemel erraſſe in talibus deprehenditur, tam facilè heic nominum ſimilitudinibus confundi potuit, quàm Aelianus, natione Latinus, ac domo Præneſtinus: quod opidum & ipſum XX millia ab Lanuvio abeſt. is quidpe Hiſtor. animal. lib. XI cap. XVI ita tradit: Ἴδιον δ' ἦν καὶ τοῦτο τῶν δρακόντων καὶ μαντική. ἐν γὰρ Λαβινείῳ τῷδε τῷ πλησίον, ὅπερ τῶν Λατίνων χώρας ἐστὶ, κέκληται ἀπὸ τῆς Λατίνου θυγατρὸς Λαβινείας, ἣν ποτὲ Αἰνεία συνεμάχησε κατὰ τῶν καλουμένων Ῥουτύλων, εἶτα ἐνίκησεν αὐτούς· ᾤκισε δὲ Αἰνείας καὶ Ἀγχίσην, ὁ Τρὼς, πλὴν πόλιν τὴν προσηγορίαν. εἰ δ' αὖ τῆς Ῥώμης μητρομήτωρ, ὡς αὖ εἴπομι τις· ἐνυπῆν γὰρ ὁρμηθεὶς Ἀσκανίου, ὁ Αἰνείου τε Κρεούσης, τῆς Τρωάδος, ᾤκισε πλὴν Ἄλβαν. Ἄλβανῶν δὲ ἦν Ῥώμη ἄποικος. Οὐκοῦν ἐν τῷ Λαβινείῳ ἄλσος ἐστὶ μέγα καὶ δασὺ, τε ἔχει πλησίον νεὼν Ἥρας Ἀργολίδος· ἐν ᾧ τῷ ἄλσει φωλεός ἐστι μεγας καὶ βαθὺς, καὶ ἔστι κοίτη δράκοντος. Hoc eſt: *Draconum quoque peculiaris erat divinatio. nam & apud Lavinium, Latii opidum, (quod nomen accepit ab Laviniâ, Latini filiâ, quo tempore Latinus unà cum Aeneâ bellum geſſit contra Rutulos, eosque vicit: & condidit Aeneas Troianus, Anchiſæ filius, prædictum opidum: quod Romæ quaſi avia dici poſſit. ex hac quidpe profectus Aſcanius, Aeneæ & Creüſæ Troianæ filius, Albam condidit: cuius colonia eſt Roma.) apud Lavinium hoc, inquam, ſacer eſt lucus, magnus & opacus; juxtaque eum ædes Iunonis Argolicæ: in luco verò antrum eſt amplum ac profundum; quod draconis eſt cubile.* Heic Aelianum *Lavinium* nominaſſe, dubitare haud licet: quando à Latini filiâ *Laviniâ* denominatum, indeque *Albam* coloniam deductam fuiſſe, diſertè adſeverat. At *templum* hoc & *nemus Iunonis Argolicæ* fuiſſe idem, quod *Iunonis Sospitæ* alii vocant apud *Lanuvium* opidum, ad viam

Appiam; heicque *draconis* istud fuisse *antrum*, testis luculentissimus est Propertius lib. IIII eleg. VIII, his verbis:

Lanuvium annosi vetus est tutela draconis;
Heic, ubi Tartareæ non perit hora moræ:
Quà sacer abripitur cæco descensus hiatu;
Quà penetrant virgo. tale iter omne cavo,
Ieiuni serpentis honos quum pabula poscit
Annua; & ex imâ sibila torquet humo.
Talia demissæ pallent ad sacra puellæ;
Quum temerè angvineo creditur ore manus.
Ille sibi admotas à virgine corripit escas.
Virginis in palmis ipsa canistra tremunt.
Si fuerint castæ, redeunt in colla parentum:
Clamantque agricolæ, Fertilis annus erit.
Huc mea detorsis avecta est Cynthia mannis.
Causa fuit Iuno; sed mage causa Venus.
Appia dic, quæso, quantum te teste triumphum
Egerit, effusis per tua saxa rotis.

Quum opidum *Lanuvium* in colle situm sit, in latere huius collis sub ipso statum opido, fuisse *lucum Iunonis Sospitæ* cum antro ac templo, ex his perspicitur Silii verbis dicto lib. VIII: *Quos Castrum Phrygibusque gravis quondam Ardea misit;*
Quos, celso devexa jugo Iunonia sedes,
Lanuvium.

Ingentem quomdam in templo fuisse thesaurum, Iunoni sacratum, auctor est Appianus Bellor. civil. lib. V; ubi ita scribit de Cæsare Augusto: ὁ δὲ Καῖσαρ ἐκ τῶν ἱερῶν ἐδανείζετο χρήματα, σὺν χάριτι ἀποδώσων ὑπερχρόνῳ, ἀπό τε Ῥώμης ἐκ τοῦ Καπιτωλίου, καὶ ἀπὸ Λανουβίου καὶ Λαυρεντίου καὶ Νεμόρης καὶ Τίβυρος· ἐν αἷς μάλιστα πόλεσι καὶ νῦν εἰσὶ θησαυροὶ χρημάτων ἱερῶν δαψιλεῖς. Id est: *Cæsar è fanis pecunias accipiebat mutuo; promittens, se redditurum cum fœnore: è Capitolio, Antio, Lanuvio, Nemore, ac Tiburе. in quibus opidis hodiè quoque sunt thesauri copiosi sacræ pecuniæ.* Cæterùm opidum hoc conditum, vel saltem, pulsis inde primis cultoribus Siculis, habitatum fuisse à primis mox Latinis, id est, Aboriginibus atque Pelasgis, ex eo colligere datur, quòd *Iuno* ista *Sospita* Aeliano cognominatur *Argolica*. nam ab *Argo* ex Peloponneso profectus fuisse primos Pelasgos, qui primùm in Thessaliâ, mox verò in Asiæ proximis litoribus, ac tandem in Italiâ habitarunt, suprà lib. II cap. I & lib. III cap I ostensum est. Et prisci Latii fuisse opidum, non finitimorum Volscorum, testes sunt maximè Dionysius ac Livius Pliniusque secundùm hos Cicero. quorum hic in oratione pro L. Cornelio Balbo; *Itaque & ex Latio*, inquit, *multi & ex Tusculani & Lanuvini, & ex cæteris generibus gentes universæ in civitatem sunt receptæ; ut Sabinorum, Volscorum, Hernicorum.* Livius suprà dicto lib. VIII: *Æmilius ad Pedum exercitum duxit. Pedanos tuebatur Tiburs, Prænestinus, Veliternusque populus. venerant & ab Lanuvio Antioque auxilia.* Posteà: *Neque tamen nisi admodùm à paucis populis Pedani adjuti sunt. Tiburtes Prænestinique, quorum ager propior erat, Pedum pervenère. Aricinos Lanuvinosque & Veliternos, Antiatibus Volscis se conjungentes, ad Asturæ flumen Mœnius improvisò adortus fudit.* Mox: *Nec quievêre antè, quàm, expugnando aut in deditionem accipiendo singulas urbes, Latium omne subegêre.* Mox item: *Quod bello armisque in Latio agendum fuit, id jam deûm benignitate ac virtute militum an finem venit. cæsi ad Pedum Asturamque sunt exercitus hostium. opida Latina omnia, & Antium ex Volscis, aut vi capta aut recepta in deditionem, præsidiis tenentur vestris. Reliqua consultatio est, quoniam rebellando sæpiùs nos solicitant, quonam modò perpetuâ pace quietos obtineamus. Dii immortales ita vos potentes huius consilii fecerint, ut, sit Latium deinde, an non sit, in vestrâ manu posuerint.* Haud multo pòst: *Relatum de singulis populis: decretumque. Lanuvinis civitas data; sacraque sua reddita, cum eo, ut ædes lucusque Sospitæ Iunonis communis Lanuvinis populis municipibus cum populo Romano.* Refert hæc Livius in consulatu L. Furii Camilli & C. Mænii Nepotis; id est, anno urbis Romæ CCCCXVI. At ex Fastis consularibus ac triumphis ducum Romanorum, quorum fragmentum Romæ in Capitolio exstat, ita refert:

L. FV-

L·FVRIVS·SP·F·M·N·CAMILLVS·COS·DE·PEDANEIS·ET·TIBVRTIBVS·AN·CDXV·IIII·K·OCT
C·MAENIVS·P·F·P·N·COS·DE·ANTIATIBVS·LAVINEIS·VELITERNEIS·AN·CDXV·PRIDIE·K·OCT

Quamquàm ipse hoc marmor in Capitolio inspexerim, totumque perlegerim; tamen, Sigonii aliorumque diligentiæ fidens, non exscripsi. nec satis nunc memini, LAVINEIS, ut refert Sigonius, an LANVVINIEIS illic perscriptum sit. Sigonius certè ad fidem huius marmoris audacter apud Livium quoque præscripto loco pro *Lanuviniis* legit *Lavinios*. At *Lanuvinos* intellexisse scripsisseque Livium, ex Iunonis Sospitæ argumento clarè patet. Quòd si igitur sic habet prædictum marmor; sanè in nomine illic erratum est. In annorum collectione haud rarò ibidem à diligentiorum computatione variatum. Hinc etiam Plinius lib. XXXIIII cap. V; *Antiquior*, inquit, *columnarum celebratio; sicut C. Mænio; qui devicerat priscos Latinos: quibus ex fœdere tertias prædæ populi Romani præstabat: eodemque in consulatu in suggestu rostra devictis Antiatibus fixerat, anno Vrbis* CCCCXVI. Sed antiquissima *Lanuvinorum* memoria exstat apud Dionysium lib. V., in consulatu T. Lartii Flavi & Q. Clœlii Siculi, anno Vrbis Romæ CCLV; anno XII post reges exactos. ubi inter alios Latini nominis populos, qui apud lucum Ferentinæ concilio coacto bellum in Romanos decreverant, etiam Λανυῖνοι, Λαβινιάτῃ & Λαβικανοὶ, id est, *Lanuvini*, *Lavinates*, ac *Labicani*, connumerantur. quamquam *Lanuvinorum* vocabulum illic, ut plerorumque aliorum, corruptum est in Λαυνίων. *Municipium* factum esse *Lanuvium* in prædicto L. Furii Camilli & C. Mænii consulatu, apertè testatur Livius. unde etiam à Cicerone, & commentatoribus eius Asconio Pediano ac Mario Victorino, & item ab Sex. Aurel. Victore *municipium* vocatur, locis suprà memoratis. & Tacitus Annal. lib. III, *Sulpicius*, inquit, *Quirinius ortus apud municipium Lanuvium.* Sed & *coloniam* huc à Iulio Cæsare deductam, testatur Frontinus in libro de Coloniis: *Lanuvium*, inquit, *muro ducta colonia, deducta est à divo Iulio*. Mox: *Posteà imperator Hadrianus colonis suis agrum adsignari jussit*. Imò & ante Cæsarem colonia deducta fuit. Epitomator Livii lib. LXXX: *Marius Antium & Ariciam & Lanuvium colonias devastavit*. In vulgatis equidem exemplaribus est *Lavinium*. Verùm hoc opidum jam tum nullâ fuisse celebritate, superiori capite ostensum. & disertè Appianus Civil. bellor. lib. I: Μάριος ἤ ἔλαβε Ἄντιον καὶ Ἀρικίαν καὶ Λανούβιον. id est: *Marius cepit Antium & Ariciam Lanuviumque*. Colonia haud dubiè huc deducta erat paullo antè ab Syllâ; ut & Ariciam; de qua Frontinus in libro de Coloniis: *Aricia*, inquit, *opidum lege Syllanâ est munitum*. Hinc igitur censeo, Strabonem, ut suprà dixi, scripsisse, τὸ Λανούβιον, πόλις ἄπικος Ῥωμαίων· id est; *Lanuvium*, *Romanorum colonia*.

Cæterùm Lanuvini agri fuit SOLONIVS CAMPVS sive AGER; Ciceroni, Livio, Plutarcho, ac Festo celebratus. Cicero divination. lib. I: *Quid amores & deliciæ tuæ, Roscius? num aut ipse aut pro eo Lanuvium totum mentiebatur? qui quum esset in cunabulis educareturque in Solonio, qui est campus agri Lanuvini, noctu, lumine adposito, experrecta nutrix animadvertit puerum dormientem circumplicatum serpentis amplexu*. Et lib. II: *De ipso Roscio potest illud quidem esse falsum, ut circumligatus fuerit anguis. sed ut in cunis fuerit anguis, non tam est mirum: in Solonio præsertim; ubi apud focum angues nidulari solent*. Item ad Atticum lib. II epist. III: *Est res sanè magni consilii. nam aut fortiter resistendum est legi Agrariæ; in quo est quædam dimicatio, sed plena laudis: aut quiescendum; quod est non dissimile; atque ire in Solonium, aut Antium*. Livius lib. VIII: *Antiates in agrum Ostiensem, Ardeatem, Solonium, incursiones fecerunt*. Plutarchus in Mario, Τῶν δὲ περὶ αὐτὸν, ὡς πρῶτον ἐξέπιεζε τὸ πλοῖον, ἀναπαρέντων, σκότος ὄντος, εἰς τὸ ἐπαυλίων αὐτῷ Σολώνιον καταφυγὼν· καὶ τὸν μὲν υἱὸν ἔπεμψεν, ὡς τὸν Μάκιδ δ πενθερὸν χωρίον, ὑ μακρὰν ὄντων, τὰ ἀναγκαῖα λησόμενον· αὐτὸς δὲ καταβὰς εἰς Ὠστίαν, φίλε ἑνὸς Νυμηρίᾳ πλοῖον αὐτῷ παρασκευάσαντος, σὺν ἀναμείνας τὸν υἱὸν, ἀλλὰ γρήσιον ἔχων μετ' αὐτὸν τὸν πρόγονον, ἐξέπλευσεν. Ὁ δὲ νεανίας, ὡς ἦλθεν εἰς τὰ χωρία δ Μάκιδ, καὶ λαμβάνων τινὰς σκαλαζόμενος, ἡμέρας καταλαβούσης, ὑ παραπαίσας τοῦ πολέμου διέλαθεν. Hoc est: *Caterva eius, ut primùm elapsus est Vrbe, dissipatâ, primis tenebris recepit se in villam quamdam suam Solonium. Filium inde, ut viaticum sumeret, misit ad prædia Mucii, soceri eius, haud procul inde disita. ipse ad Ostiam descendit; ubi amicus eius Numerius paraverat ei navigium. nec exspectato filio, sed comite privigno Granio, navem solvit. Filius, ut in prædia Mucii vênit; dum sumit*

SOLONIVS CAMPVS.

aliquid

aliquid & componit, luce oppressus, non omnino fefellit hostes. Satis clarè ex hac historiâ patet, idem *Solonium* intellexisse Plutarchum, quod Cicero atque Livius, nam unâ nocte cuncta ista gesta sunt. unde propinquitas locorum colligitur. Pompeius Festus: *Pomonal est in agro Solonio, viâ Ostiensi, ad duodecimum lapidem, diverticulo à milliario octavo.* Ergo ex hac descriptione *Solonius* ager fuit is, qui inter Numicii Iuturnæque fonteis sive inter Sabellum Patricamque opida sternitur: in quo loca nunc vulgaribus vocabulis sunt *S. Abrocolo, Torre Maggiore, Carqueto.* Vnde id agro seu campo cognomen olim fuerit quæsitum, haud equidem dispicio. esse tamen derivativum vocabulum, vel inde liquet, quòd & Marii & Ciceronis in eo *villa* eodem vocabulo dicebatur SOLONIVM.

TELLENA, FICANA, *opida.*

Eodem hoc tractu, supra Lavinium Laurentumque & Ostiam fuêre antiquissimis temporibus duo opida, quorum alterum τελλήνη, TELLENE, sive TELLENA, seu plurali numero τελλῆναι, TELLENAE, alterum FICANA adpellabatur. Plinius lib. III cap. V: *Præterea fuêre in Latio clara opida, Satricum, Pometia, Scaptia, Pitulum, Politorium, Tellene, Tifata, Canina, Ficana, Crustumerium, Ameriola, Medullia, Corniculum, Antemnæ, Camerium, Collatia.* Strabo lib. V: Ἕρνικοι δὲ πλησίον ᾤκησαν τῷ τε Λαυϊνίῳ καὶ τῇ Ἄλβᾳ ἐν αὐτῇ τῇ Ῥώμῃ. οὐκ ἄπωθεν δὲ καὶ Αἰκανία καὶ Τελλῆναι καὶ Ἄντιον. Id est: *Hernici Lavinio erant & Albæ propinqui, ipsique Romæ. nec procul inde Aricia, Tellenæ, & Antium.* Quum falsum sit hoc de Hernicorum situ; ut qui ultra Aequos atque Latinos incoluerint opida *Ferentinum, Anagniam, Aletrium, Verulum*; de *Tellenarum* quoque situ haud satis tutò crediderimus Straboni. Fuisse prope *Ficanam*, ex Livii lib. I quodammodò colligere licet; ubi de regis Anci Marcii bellis agit: *Aventinum*, inquit, *novæ multitudini datum. additi eidem haud ita multo post, Tellenis Ficanâque captis, novi cives.* At de *Ficanâ* ita Pompeius Festus: *Puilia saxa esse ad portum, qui sit secundùm Tiberim, ait Fabius Pictor. quem locum putat Labeo dici, ubi fuerit Ficana, viâ Ostiensi, ad lapidem undecimum.* Ergo *Ficana* fuit duo millia passuum supra Ostiam; quam XIII millia ab urbe Româ abesse, superiori capite ostensum. Locus autem ubi *Ficana* fuerat, posteà PVILIA SAXA dictus: teste Fabio Pictore. Quum igitur Strabo *Tellenas* circa Lavinium, Antium & Ariciam statuat, Livius verò easdem & *Ficanam* conjungat; maximè credibile est, eodem duo hæc opida tractu fuisse: *Ficanam* ad viam Ostiensem; *Tellenas* inter hanc & Lanuvium sive Solonium campum. Ex præcipuis Latii fuisse opidis Tellenas, auctor est Dionysius lib. III: Μάρκιος ἡ Τελλήνα, inquit, πόλιν τῶν Λατίνων ἐπιφανῆ, καὶ τὴν αὐτὴν αἱρεῖ χρόνον, ὅτε τοῦ Ῥωμαίων ἀγῶνος τὴν νίκην ἔσχε, καὶ μετὰ τὴν ἐκ χειρὸς μάχην τοῦ Ῥωμαϊκοῦ στρατεύματος. τὰς τε ἀλόντας ἔδειν, ὧν εἶχον, ἀφελόμενος, εἰς Ῥώμην μεταγωγεῖς ὅτε τῆς πόλεως, καὶ εἰς κατασκευὴν οἰκιῶν τόπον ἀπεμέρισε. Μεδύλλιόν τε τρίτῃ χρόνον ὕστερον τοῖς Λατίνοις ἡμιολίῳ τῷ τρίτῳ κομίζει πάλιν ἐνιαυτῷ πολλαῖς καὶ μεγάλαις τοῦ Ῥωμαϊκοῦ μάχαις. Καὶ μετ' ὀλίγον τὴν Φικάναν αἱρεῖ πόλιν· ἐν τρίτῳ πρότερον ἐνιαυτῷ λαβὼν καθ' ὁμολογίας, ἣν οὖν ἐξ αὐτῆς ἀπειρίας εἰς Ῥώμην μεταγαγών, ἄλλο τι τῶν πόλεως ἔδειν κακώσας, ἀπικέστερον μᾶλλον ἢ φρονιμώτερον ἔδοξε βουλεύσασθαι. δοποίκους γὰρ ἀποστείλας εἰς αὐτὴν οἱ Λατῖνοι, καὶ τὴν χώραν αὐτῶν διανεμηθέντες, αὐτοὶ τὴν Φικάναν ἐκάρπωσαν· ὥστε ἐναγκασθῆναι πάλιν ὁ Μάρκιος τὸ δεύτερον ἐπὶ τὴν πόλιν στρατεῦσαι, καὶ μετὰ πολλῆς πραγματείας κύριος αὐτῆς καταστάς, ἐμπρῆσαί τε τὰς οἰκίας καὶ τὸ τεῖχη καθελεῖν. Hoc est: *Eodem tempore Marcius Tellenas quoque, nobile Latinorum opidum, vi cepit: acie primùm, mox oppugnatione victor. opidanos, nullâ bonorum portione mulctatos Romam transtulit: & locum, in quo domicilia struerent, adsignavit. Medulliam quoque, per triennium à Latinis detentam, quarto demum anno multis & acribus expugnatum prœliis recepit. Nec multo pòst Ficanam expugnavit. quam quum ante triennium per deditionem cepisset; &, cunctis opidanis Romam translatis, nullo alio detrimento adfecisset; mitius quàm prudentius consilium sequutus videbatur. quidpe Latini colonis eò missis, & agris eorum occupatis, ipsi fructus è Ficanâ percipiebant. quamobrem Marcius eam bello repetere coactus est: magnoque negotio subactâ domos incendere, ac mœnia diruere.* Omnia hæc de POLITORIO opido prædicat Livius dicto lib. I: *Tellenis*, inquit, *Ficanâque captis, Politorium rursùs bello repetitum: quod vacuum occupaverant prisci Latini. eaque causa diruendæ urbis eius fuit Romanis, ne hostium semper receptaculum esset.* Verùm eadem fuit Politorii, quæ Ficanæ fortuna. Dionysius tamen ante Ficanam Tellenasque Politorium bis captum dirutumque narrat continuò antè. Eodem cum Tellenis Ficanâque an fuerit tractu, planè incertum est.

At co-

At eodem tractu circa Tiberim fuit locus, à Pici regis uxore Canente dictus CANENS. Ovidius Transformat. lib. XIIII, postquàm de Pico, cuius regio ferebatur Laurentum opidum, narravit, qua ratione is, in Laurentinis silvis venationi intentus, à Circe in picum avem mutatus est, ita de uxore eius pergit:

Presserat occiduus Tartessia litora Phœbus,
Et frustra conjux oculis animoque Canentis
Exspectatus erat. famuli populusque per omneis
Discurrunt silvas, atque obvia lumina portant.
Nec satis est nymphæ flere & lacerare capillos,
Et dare plangorem. facit hæc tamen omnia: seque
Proripit; ac latos errat vesana per agros.
Sex illam noctes, totidem redeuntia Solis
Lumina, viderunt inopem somnique cibique,
Per juga, per valleis, quà sors ducebat euntem.
Vltimus adspexit fossam luctuque viâque
Tybris, & in gelidâ ponentem corpora ripâ.
Illic cum lacrymis ipsos modulata dolores,
Verba sono tenui mœrens fundebat: ut olim
Carmina jam moriens canit exsequialia Cygnus.
Luctibus extremùm tenueis liquefacta medullas,
Tabuit; inque leveis paullatim evanuit auras.
Fama tamen signata loco est. quem ritè Canentem
Nomine de nymphæ veteres dixêre coloni.

Quo situ locus is apud Tiberis lævam ripam fuerit, incertum est.

At ultra Lanuvium Ariciamque & Albanum montem versùs septemtriones, ab urbe autem Româ versùs orientem, erat TVSCVLVM *opidum*: Livio, Dionysio Halicarnassensi, Diodoro, Straboni, Valerio Maximo, Ptolemæo, Aemilio Probo, Stephani epitomatori, & aliis memoratum. Ptolemæus equidem, & item Dio lib. LVIII, Latinâ formatione vocabulum id habent Τύσκλον. at Straboni lib. V & Plutarcho in Cicerone est διασύλλαβον, Τῦσκλον· Dionysio verò & Stephani epitomatori simplici vocali Τύσκλον· quemadmodùm Picentium urbs *Æsculum* Græcis dicebatur Αἴσκλον· & Hispaniæ urbs *Castulo*, Κάστλων· item Romanorum virorum nomina *Catulus* & *Lentulus*, Κάτλος, Λέντλος, & id genus complura alia. Apud Stephani epitomatorem leguntur ista: Τῦσκλος, πόλις Ἰταλίας. λέγεται καὶ Τυσκλανόν. τὸ ἐθνικὸν Τυσκλανός. Id est: *Tusculum, Italiæ urbs. dicitur & Tusculanum. gentilitium inde est Tusculanus.* Vt infinitis aliis apud hunc auctorum locis, ita heic etiam mendum esse puto in voce Τυσκλανόν· pro qua rescripserim Τύσκλον. nam haud dubiè indicare Stephanus voluit, promiscuè id opidi nomen scribi, modò duabus, modò tribus syllabis. Cæterùm opidani inde Latinis auctoribus passim adpellantur TVSCVLANI. at poëtis gentilitium etiam *Tusculus* dicitur; ut infra videbimus. Situm opidi Dionysius maximè atque Strabo indicant. quorum hic ita tradit dicto lib. V: Ἔν ὄψει δ' εἰσὶ τοῖς ἐν Ῥώμῃ Τίβερα τε καὶ Πραίνεστος καὶ Τῦσκλον. id est: *In conspectu Romæ sunt, Tibur, Prænestè, Tusculum.* Paullo pòst: *Tibure atque Prænestè descriptis,* Ῥεῖ δὲ διὰ τῆς χώρας Οὐέρεσις ποταμός. πρὸς ἕω δὲ τῆς Ῥώμης εἰσὶν αἱ λεχθεῖσαι πόλεις. Ἐνδοτέρω δὲ τοῦ κατ' αὐτὰς ὀρεινῆς ἄλλη ῥαχις ἐστὶ, μεταξὺ αὐλῶνα καταλείπουσα, τὴν τε Ἀλγιδον, ὑψηλὴ μέχρι τοῦ Ἀλβανοῦ ὄρους. ἐπὶ ταύτης δὲ τὸ Τῦσκλον ἵδρυται, πόλις ἀφανὴς καὶ σκιασμένη· κεκόσμηται δὲ κύκλῳ φυτείαις καὶ οἰκοδομίαις, καὶ μάλιστα τοῖς ἐποπτεύουσιν ἐπὶ τὸ πεδίον Ῥώμην μέρος. τὸ γὰρ Τῦσκλον ἐνταῦθά ἐστι λόφος ὄρεως καὶ ἔνυδρος, κορυφὴν μὲν ἠρέμα πλατεῖαν, καὶ δεχομένην βασιλείων καταγωγὰς ἐκπεπεσάτας· συνεχὴς δ' ἐστὶ καὶ τοῦ Ἀλβανοῦ ὄρους ἐποπτεύοντος, τὴν αὐτὴν τοῦ πεδίου ἔχοντος καὶ καταγωγήν. Hoc est: *Per eam regionem Veresis amnis fertur. Dictæ autem urbes ab Româ ad ortum versùs sitæ sunt. Intra montium jugum, ad quod ea sunt conditæ, aliud est dorsum sublime, convallem relinquens, quæ est ad Algidum; ad Albanum usque montem adsurgens. Hoc in dorso Tusculum est positum; urbs minimè contemnendo adparatu. nam circumquaque exornata est plantis atque ædificiis; maximè, qua parte Romam prospicit. ibi namque Tusculum habet collem, terræ bonitate & aquarum copiâ præclarum: qui multis partibus sensim attollitur; regia ædificia, pulcherrimè exstructa sustinens. Huic continenter adjacent loca sub Albano monte; & naturâ & ornamentis ædificiorum eisdem prædita.*

prædita. Adeò hi colles, in quibus *Tusculum* situm, Albano monti adpropinquant atque cohærent, uti ἀποσπασμάτιόν τι ἐκ ὄρους, id est, *pars quædam avulsa Albani videri possint*. Ab ipso opido dicti fuêre TVSCVLANI *montes*, seu TVSCVLANI *colles*. Martialis lib. IIII epigram. LXIIII:

Albanos quoque Tusculosque colleis.

Algidum Aequorum opidum fuisse eo loco in hac valle inter Frascatium & Marinum opida, quo nunc publicum conspicitur diversorium *L'Osteria*, suprà lib. II cap. XVI ostensum est. hinc igitur Livius lib. III, Aequorum narrans expeditionem, *Per Labicanos agros in Tusculanos colleis transierunt*. Et mox: *Sequuti famam & vestigia Hernici Latinique, obvii fiunt descendentibus à Tusculano in Albanam vallem*. Et aliquanto pòst: *Lucretium, dum in Hernicis sedet, prædonum agmen fefellit, supra monteis Prænestinos ductum. inde demissum in campos, vastavêre agros Prænestinum Gabinumque. ex Gabino in Tusculanos flexêre colleis*. Campos intelligit, qui sunt inter Prænestinos Tusculanosque monteis. Vallem autem Albanam esse eam, per quam via Latina ferebat inter Tusculanos Albanosque monteis ad Algidum opidum, suprà ad explicationem Albani montis ostensum. At *Tusculani* isti *colles* Straboni dicuntur Τσκλανὸν ὄρος, TVSCVLANVS *mons*. Verba eius dicto anteà lib. V hæc sunt: Ἄρχεται δὲ ἡ Λαβίνη ὁδὸς ἀπὸ τῆς Ἀππίας, ἐν δεξιᾷ ἀπ' αὐτῆς ἀπολειπόμενον πλησίον Ῥώμης· εἶτα διὰ Τσκλανῶν ὄρους ὑπερβᾶσα, μεταξὺ Τσκλης πόλεως καὶ τοῦ Ἀλβανοῦ ὄρους, κάπειτ' ἤδη Ἄλγιδον πολίχνιον. Id est: *Incipit via Latina ab Appiâ, ad sinistram ab eâ prope Romam deflectens: transiensque super Tusculanum montem, inter Tusculum urbem & montem Albanum, tendit ad Algidum opidulum*. Ex his igitur omnibus clarè patet, eos fuisse *Tusculanos colleis*, in quibus nunc *opidum* vulgari vocabulo *Fraseáti* conspicitur. Eutropius lib. I: *Tarquinius Tusculum se contulit. quæ civitas non longè ab Vrbe abest*. Dionysius lib. X: Ἐπὶ πόλιν ἀφικνοῦνται Τυσκλαιῶν· ἥ ἐστι μὲν τῶν Λατίνων ἔθνους, ἀφέστηκε δὲ τῆς Ῥώμης οὐκ ἔλαττον σταδίων ἑκατόν. Id est: *Ad Tusculanorum opidum Latini nominis perveniunt: haud minus centum stadiis ab Româ disitum*. Iosephus Antiquitat. Iudaicar. lib. XVIII cap. VIII: Τιβέριός τε ὁπὸ τῆ Καπρέων εἰς Τσκλανὸν ἀφῆκε, ὅσον ἀπὸ σταδίων ἑκατὸν τῆς Ῥώμης. Hoc est: *Tiberius à Capreis venit Tusculanum, stadia circiter centum à Româ disitum*. Id est, millia XII & passus IO. Ergo circa ipsum opidum Frascatium fuit *Tusculum*. Sanè exstant hodiéque super *Frascatium* in eodem clivo ingentes murorum reliquiæ: quæ situ atque intervallo XII ab Româ millium, Tusculum heic fuisse, ut omnes docti arbitrantur viri, apertè indicant. De nomine opidi hæc tradit Pompeius Festus: *Tuscos quidam dictos aiunt à Tusco rege, Herculis filio. alii, quòd unicè studiosi sint sacrificiorum, ex Græco, velut* Θυοσκόοι. *unde Tusculum ab eâdem causâ sacrificiorum: vel, quòd aditum difficilem habeat*: id est, δύσκολον. Sanè grammaticum hoc est nugamentum; quando in leniter adsurgente situm est opidum clivo. Idem Festus de conditore opidi: *Mamiliorum familia progenita fuit à Mamiliâ, Telegoni filiâ: quam Tusculi procreaverat, quando id opidum ipse condidisset*. Eumdem conditorem alii etiam tradidêre auctores. Ovidius Fastor. lib. III:

TVSCVLANI *colles*.

Inter Aricinos Albanaque tempora constat,
Factaque Telegoni mœnia celsa manu.

Silius lib. XII: ubi Hannibal viâ Latinâ exercitum ducit à Capuâ ad Romam:

Iamque adeò est campos ingressus & arva Labici:
Linquens Telegoni pulsatos ariete muros.
Haud dignam inter tanta moram: nec amœna retentant
Algida, nec juxtà Iunonis tecta Gabinæ:
Præceps ad ripas immani turbine fertur,
Sulfureis gelidus quà serpit leniter undis
Ad genitorum Anio, labens sine murmure, Tybrim.

Statius Silvar. lib. I carm. III:

Cedant Telegoni, cedant Laurentia Turni
Iugera.

Propertius lib. II eleg. XXXII:

Nam quid Prænestis dubias, ô Cynthia, sorteis,
Quid petis Æaï mœnia Telegoni?

Silius lib. VII:

At Cato tum primâ ſparſus lanugine malas:
Quod peperêre decus Circæo Tuſcula dorſo
Mœnia, Laërtæ quondam regnata nepoti.

Propertius Aeæum cognominat Telegonum, ab inſulâ Aeæâ, quam mater eius *Circe* incolebat; ut ſuo loco oſtendetur: & indidem Silius *Circæum* adpellat *dorſum*, in quo *Tuſculum* ſitum. ipſum verò *Telegonum* vocat *nepotem Laërtæ*, quia ex Vlyſſe eum Circe genuiſſe ferebatur. Livius lib. 1, de Tarquinio Superbo loquens: *Octavio Mamilio Tuſculano (is longè princeps Latini nominis erat; ſi famæ credimus, ab Vlyſſe deâque Circe oriundus.) ei Mamilio filiam nuptum dat.* Dionyſius lib. IIII: Λογιζόμενος δὲ ὁ Ταρκυίνιος, ὅτι τῆς μὴ κατὰ νόμον λαβεῖν παῖς δυναστείας, ἀλλὰ βίᾳ τὴν ὅπλων κληζομένης, ἃ μόνον ἐπιχωρίᾳ δεῖ φυλακῆς, ἀλλὰ καὶ ξενικῆς, τὴν ἐπιφανέστατον ἐν τοῖς Λατίνων ἔθνεσι, καὶ πλεῖστον ἀπάντων δυνάμενον, ἐπῆγάγετο φίλον πιησάμενος, τῷ γάμῳ συζεύξας τὴν θυγατέρα, ὃς ἐκαλεῖτο Ὀκτάβιος Μαμίλιος· ἀνέφερε δὲ τὸ γένος εἰς Τηλέγονον, τὸν ἐξ Ὀδυσσέως καὶ Κίρκης· κατῴκει δὲ ἐν πόλει Τύσκλῳ· Hoc eſt: *Tarquinius autem reputans ſecum, vi, non jure, partam potentiam opus habere non ſolùm domeſtico, verùm etiam externo præſidio, nobiliſſimum Latinorum & potentiſſimum ſibi junxit neceſſitudine, datâ ei in matrimonium filiâ. is vocabatur Octavius Mamilius: genusque referebat ad Telegonum, Vlyſſis & Circes filium. habitabat autem Tuſculi.* Horatius Ἐπῳδῶν odâ 1:

Nec ut ſuperni villa candens Tuſculi
Circæa tangat mœnia.

Ad quæ vetus poëta commentator: *Tuſculi ſuperni; hoc eſt, in monte ſiti. Tuſculum autem opidum conditum fuit à Telegono, filio Vlyſſis & Circes.* Iterum Horatius Carm. lib. III odâ XXVIIII:

Ne ſemper udum Tibur & Aeſulæ
Declive contempleris arvum, &
Telegoni juga patricidæ.

Ad hæc commentator: *Tuſculum civitas eſt, in jugo montis conſtituta. hanc ſignificat nomine conditoris. à Telegono enim Circes filio, fundata eſt: qui per ignorantiam patrem ſuum Vlyſſem interemit.* Hyginus Μυθολογιῶν cap. CXXVII: *Telegonus, Vlyſſis & Circes filius, miſſus à matre, ut genitorem quæreret, tempeſtate in Ithacam eſt delatus: ibique, fame coactus, agros depopulari cœpit. cum quo Vlyſſes & Telemachus ignari arma contulerunt: Vlyſſes à Telegono filio eſt interfectus: quòd ei reſponſum fuerat, ut à filio caveret mortem. quem poſtquàm cognovit, qui eſſet; juſſu Minervæ cum Telemacho & Penelope in patriam redierunt; & in inſulam Aeæam ad Circen Vlyſſem mortuum deportarunt: ibique ſepulturæ tradiderunt. Eiusdem Minervæ monitu Telegonus Penelopen, Telemachus Circen, duxerunt uxores. Circe & Telemacho natus eſt Latinus; qui ex ſuo nomine Latinæ linguæ* [fortè *genti*] *nomen impoſuit. ex Penelope & Telegono natus eſt Italus; qui Italiam ex ſuo denominavit.* At ſuprà cap. 1 huius libri III oſtenſum, Heſiodum in fine Θεογονίας ipſius *Vlyſſis & Circes* filium facere *Latinum*: Cedrenum verò & Svidam *Telephi* filium, *Herculis* nepotem; Lycophronem *Tyrrhenum & Tarchonem* Herculis filios; apud Dionyſium Halicarnaſſenſem alios Tyrrhenum eiusdem Herculis, alios Telephi filium. capite verò III eiusdem lib. III Stephanus *Tarchonem* pronunciat *Telephi* filium. quæ cuncta nomina ad Pelaſgorum Tyrrhenorum gentem ſpectare, ibidem perſpectum eſt. ii quum XII in Etruriâ conſtituerint principatus totidemque urbeis, ex quarum numero *Agylla* quoque fuit; de hac ita tradit Servius ad Virgilii Aeneid. lib. VIII: *Hanc Agyllam quidam à Pelaſgis conditam dicunt: alii à Telegono; alii à Tyrrheno, Telephi filio.* Ex his haud obſcurè lucet, *Telegonum* quoque ex Pelaſgorum gente fuiſſe. Fuit autem non ex iſtâ Pelaſgorum parte, qui cognomine *Tyrrheni* in Etruriâ XII principatus conſtituerunt: ſed ex alterâ illâ eiusdem gentis parte, qui, cum Aboriginibus in Sabino agro ſive in primâ illâ *Italiâ* conjuncti, uno nomine *Latini* dicti fuerunt. unde multiplices iſtæ fabulæ natæ, quarum aliæ *Latinum Vlyſſis*, aliæ *Telemachi*, aliæ *Telephi filium* dixerunt; quædam etiam *Telegonum Itali patrem*. A primis igitur Latinis, id eſt, ab Aboriginibus atque Pelaſgis, tribus fermè ſæculis ante bellum Troianum, pulſis ex his locis Siculis, conditum fuit *Tuſculum*. Ovidius Faſtor. lib. IIII; ubi enarrat, quæ Græcorum coloniæ quas urbeis in Italiâ condiderint:

Et jam Telegoni, jam mœnia Tiburis udi
Stabant; Argolicæ quæ poſuêre manus.

Dubium est, una *Tiburis mœnia Argolicis* volueritne *posita* esse *manibus*, an etiam *mœnia Telegoni*. *Tibur* sanè ab Euandri comitibus fuisse conditum, mox infrà videbimus. Celebre semper fuisse opidum, ex Livii maximè historiis liquet. *Municipium* etiam aliquando factum est Romanorum. Aemilius Probus in M. Porcio Catone: *Cato ortus municipio Tusculo*. Festus Pompeius: *Municipium id genus hominum dicitur, qui, quum Romam venissent, neque cives Romani essent; participes tamen fuerunt omnium rerum ad munus fungendum unà cum Romanis civibus, præterquàm de suffragio ferendo, aut magistratu capiendo: sicut fuerunt, Fundani, Formiani, Cumani, Acerrani, Lanuvini, Tusculani: qui post aliquot annos cives Romani effecti sunt*. Cicero in oratione pro Cn. Plancio: *Tu es ex municipio antiquissimo Tusculano*. Munitàm opulentamque etiam posterioribus sæculis fuisse civitatem, patet ex Sigeberti historiis. is quidpe anno Christi CIↃ CV in epistolâ à Guarnero, principe Anconitano, ad Henricum imperatorem scriptâ, habet *comitem Tusculanensem*. & anno CIↃ CLXV, *Alexander*, inquit, *papa, Romanos habens suspectos, ad Tusculanos se contulit*. Et anno CIↃ CLXVIIII: *Nova iterum Romanis consurgit ruina, quia cum Tusculanis bellum civile ineuntes, panè usque ad internecionem Romani deleti sunt. Hac de causâ discordia magna inter Alexandrum papam & Romanos orta est. Alexander auxilia militum undiquaque contrahens, cum Tusculanis Romanos & imperatori adhærenteis debellat*. De cætero jam inde antiquis temporibus celebratum fuisse agrum montemque Tusculanum villis atque secessibus Romanorum, suprà ex Strabone intelleximus. Hinc Seneca de Beneficiis lib. IIII cap. XII: *Nemo, Tusculanum aut Tiburtinum emere paratus salubritatis causâ & æstivi secessus, quoto anno empturus sit disputat*. Statius Silvar. lib. IIII carm. IIII:

Hos Præneste sacrum, nemus hos glaciale Dianæ,
Algidus aut horrens aut Tusculà protegit umbra;
Tiburis hi lucos Anienaque frigora captant.

Martialis lib. IIII epigram. LXIIII:

Tulli jugera pauca Martialis
Longo Ianiculi jugo recumbunt.
Hinc septem dominos videre monteis,
Et totam licet æstimare Romam,
Albanos quoque Tusculosque colleis;
Et quodcumque jacet sub Vrbe frigus.

TVSCVLANVM Ciceronis.

Verùm omnium celeberrima heic fuit M. TVLLI CICERONIS VILLA TVSCVLANA; quod vulgò TVSCVLANVM CICERONIS dicebatur. Ipse in oratione pro domo suâ ad pontifices habitâ: *Nihil erat latum de me; non adesse eram jussus; non citatus fueram: eram etiam tuo judicio civis incolumis; quum domus in Palatio, villa in Tusculano, altera ad alterum consulem transferebatur*. Suprà memoratus Horatii commentator in dictam Ἐπῳδῶν oden primam: *Tusculi superni: hoc est, in monte siti. ad cuius latera superiora Cicero suam villam habebat Tusculanam*. Hoc si verum: sanè omnes falluntur, qui hactenus villæ huius locum vel in opido Frascatio, vel in cœnobio monstrarunt, cui vulgaris adpellatio *Santa Maria di Grotta ferrata*. nam utraque hæc loca infra antiqui Tusculi locum posita sunt. Sed, scripsisse hunc commentatorem, omnino ego censeo, *ad cuius latera inferiora*. quidpe si supra Tusculum, vel etiam si in Frascatii opidi loco fuit villa Ciceronis, aquâ Crabrâ rigari, quod testatur ipse Cicero, minimè potuit. Verba eius de Lege agrariâ ad populum oratione II hæc sunt: *Ego Tusculanis pro aquâ Crabrâ vectigal pendam, quia à municipio fundum accepi*. Et Familiar. lib. XVI epist. XVIII: *Tibi ἀποφήνῳ gaudeo profuisse. si verò etiam Tusculanum; dii boni, quanto illud mihi erit amabilius!* Paullo pòst: *De Crabrâ quid agatur, etsi nunc quidem etiam nimium est aquæ, tamen velim scire*. Oratione pro L. Cornelio Balbo: *Nos de aquâ nostrâ Tusculanâ M. Tugionem potiùs, quàm C. Aquilium, consulebamus*. Esse *Crabram* hanc *aquam* eum amnem, qui in valle Albanâ inter duo opida *Frascati* & *Rocca di Papa* supra prædictum cœnobium exortus, propter huius orientale latus versùs urbem Romam contendit, vulgari vocabulo *La Marana*, suprà lib. II cap. X ostensum est. Ex hoc igitur documento maximè claret, in ipsâ hac valle Albanâ fuisse *villam Ciceronis*; haud dubiè eo situ, ubi nunc est prædictum cœnobium, loco amœnissimo, & fontibus uberrimis, etiam præter aquam Crabram maximè irriguus. unde illud Ciceronis: *Etsi nunc quidem etiam nimium est aquæ*. Et antiquarum columna-

lumnarum aliorumque marmorum heic exstant ad cœnobium fragmenta. Cæterùm villa anteà L. Syllæ dictatoris fuit. Plinius lib. XXII cap. VI: *Scripsit & Sylla dictator, ab exercitu se quoque donatum apud Nolam, legatum bello Marsico. idque etiam in villâ suâ Tusculanâ, quæ fuit posteà Ciceronis, pinxit.* Idem Plinius lib. XVI cap. XLIIII ita tradit: *Est in suburbano Tusculani agri colle, qui Corne adpellatur, lucus antiquâ religione Dianæ sacratus à Latio, velut arte tonsili comâ fagei nemoris. in hoc arborem eximiam ætate nostrâ adamavit Passienus Crispus, bis consul, orator; Agrippinæ matrimonio & Nerone privigno clarior posteà; osculari complectique eam solitus; non modò cubare sub eâ, vinumque illi effundere. Vicina luco est ilex, & ipsa nobilis, XXXV pedum ambitu caudicis; X arbores mittens, singulas magnitudinis visendæ. silvamque sola facit.*

Lacvs præterea in Tusculano agro dictus fuit Regillvs. Memoratur Cicero- Regillvs
ni, Livio, Dionysio, Valer. Maximo, Plinio, Floro, Auctori de Viri Illustribus. lacus.
Cicero de Naturâ deorum lib. II: *Apud Regillum lacum bello Latinorum quum A. Posthumius dictator cum Octavio Mamilio Tusculano prælio dimicaret; in nostrâ acie Castor & Pollux ex equis pugnare visi sunt.* Et lib. III: *At enim præsenteis videmus deos; ut apud Regillum Posthumius.* Plinius lib. XXXIII cap. II: *A Posthumius dictator apud lacum Regillum castris Latinorum expugnatis, ei, cuius maximè operâ capta essent, hanc coronam ex prædâ dedit.* Valerius Maximus lib. I cap. VIII: *Quum apud lacum Regillum A. Posthumius dictator & Tusculanorum dux Mamilius Octavius magnis viribus inter se occurrerent; ac neutra acies aliquamdiu pedem referret; Castor & Pollux, Romanarum partium propugnatores visi, hostileis copias penitus fuderunt.* Auctor de Viris illustribus in A. Posthumio: *Tarquinius ejectus, ad Mamilium Tusculanum, generum suum, confugit. qui quum, Latio concitato, Romanos graviter urgeret, A. Posthumius, dictator dictus, apud Regilli lacum cum hostibus conflixit. ubi quum victoria nutaret; magister equitum equis frænos detrahi jussit; ut inrevocabili impetu ferrentur. ubi & aciem Latinorum fuderunt, & castra ceperunt. sed inter eos duo juvenes candidis equis insigni virtute adparuerunt: quos dictator quæsitos, ut dignos muneribus honoraret, non reperit.* Castorem & Pollucem *ratus, ædem communi titulo dedicavit.* Florus lib. I cap. XI: *Latini quoque Tarquinios adsciscebant, æmulatione & invidiâ. igitur omne Latium, Mamilio Tusculano duce, quasi in regis ultionem, tollit animos. Apud Regilli lacum dimicatur diu Marte vario; donec Posthumius ipse dictator signum in hosteis jaculatus est, uti peteretur cursu; Cossus equitum magister exuere frænos imperavit, quò acriùs incurrerent. Ea demum atrocitas fuit prælii, ut, interfuisse spectaculo deos, fama tradiderit, duos in candidis equis. Castorem atque Pollucem nemo dubitavit. itaque & imperator veneratus est: pactusque victoriam, templa promisit. & reddidit planè quasi commilitionibus deis stipendium.* Livius lib. II: *Tarquinius, spe omni reditus incisâ, exsulatum ad generum Mamilium Octavium Tusculum abiit.* Aliquanto post: *Supra belli Latini metum id quoque adcesserat, quòd XXX jam conjurasse populos, concitante Octavio Mamilio, satis constabat.* Haud multo pòst: *T. Aebutius deinde & C. Vetusius consules. His consulibus Fidena obsessa, Crustumeria capta, Præneste ab Latinis ad Romanos descivit. nec ultrà bellum Latinum, gliscens jam per aliquot annos, dilatum. A Posthumius dictator, T. Aebutius magister equitum, magnis copiis peditum equitumque profecti ad lacum Regillum, in agro Tusculano agmini hostium occurrerunt.* Et posteà: *Hoc modo ad lacum Regillum pugnatum est.* Et sub initium libri VI: *Novus quoque terror adcesserat, defectione Latinorum Hernicorumque: qui post pugnam ad lacum Regillum factam per annos propè centum numquàm ambiguâ fide in amicitiâ populi Romani fuerant.* Sed ex omnibus hisce tot auctorum locis de situ *lacus Regilli* planè nihil dispici potest. itaque Dionysium etiam audiamus. is lib. VI ita tradit: Δικτάτωρ ἀποδειχθεὶς ὁ νεώτερος Αὖλος Ποστούμιος ἱππάρχῳ τῷ αὑτοῦ ἐπιτάξας τὸν Αἰβούτιον Ἔλβαν. * * πυρίσκοις ἀσμένως τὴν πόλιν καὶ ἀπιόντας πρὸς τὸν πόλεμον, ἦσαν ἀγγέλλοντες οἱ σκοποὶ πυνθανομένοις Λατίνους ἐξεληλυθότας· καὶ αὐτοὺς ἔτι μὲν, δηλοῦντες ἐξ ἐφόδου λαβεῖν καταληφθῆναι πρὸς αὐτῶν χωρίον ἐχυρὸν Κορβιανὰ καλούμενον, ἐν ᾧ φρουρὰς εἶχον Ῥωμαίων ἐποικοδομίαν ὀλίγην. * * Ταῦτα μαθὼν ὁ Ποστούμιος, ἐξεβοήθει διὰ τάχους, πρὶν ἢ συμβαλεῖν τοὺς πολεμίους ἅπαντας· ἀγαγὼν δὲ ἐν νυκτὶ πρὸς αὐτοὺς τραπομένους πρείαν σωτήριον, ἀφανισθῆναι μὲν τὸ Λατίνων ἑξακισχιλιοστὸν ἀνδρῶν πλῆθος ἐποίησε καὶ τριακοσίους· ἑλεῖν δὲ χωρίον ἐχυρὸν καλούμενον Κορβιανὰ καὶ τὸ στρατόπεδον αὐτῶν ἅπαν, καὶ τὰς σκηνὰς καὶ τὰς ἁμάξας καὶ τὰ ὑποζύγια καὶ τὰ χρήματα καὶ κεφαλὰς τῶν πολεμίων, ἐν ὑψηλῷ λόφῳ καὶ δυσβάτῳ. Hoc est: *Aulus Posthumius dictator dictus est. isque magistrum equitum adsumpsit T. Aebutium Elvam. Iamque omnibus rebus ad bellum instructo speculatores nunciant, Latinos iter ingressos*

gressos cum toto exercitu. ac mox alii, primo eos impetu occupasse castellum Corbionem, à paucis custoditum præsidiariis. Exiguo pòst: *His cognitis, Posthumius celeriter occurrit hostibus, priusquàm in unum convenirent omnes. properatoque per noctem itinere, cum suis copiis venit prope Latinorum, ad lacum Regillum, loco munito posita ipse castra metatus est in edito arduoque tumulo.* Castellum Corbionem ultra *Algidum* Aequorum & *Lavicum* Latinorum opidum fuisse in confinio Aequorum, mox infrà ostendemus. Ergo Latinorum copiæ tunc, duce Octavio Mamilio, aut Latinâ, aut Lavicanâ, aut Prænestinâ viâ Romam versùs contenderunt. Latinam viam Albanam vallem inter Albanos Tusculanosque monteis ad Algidum tulisse, suprà intellectum. Lavicanam à portâ Esquilinâ inter Prænestinam viam & opidum, cui vulgare vocabulum *La Colonna*, tetendisse versùs opidum, quod vulgò dicitur *Zagoruolo*, mox infrà videbimus. Ad neutram horum lacus aliquis est. Ad Prænestinam verò, è regione dicti opidi, quod vulgò *La Colonna* vocatur, est is qui *tumulorum supercilio veluti amphitheatro* incluſus, vulgò cognominatur *Sanctæ Praxedis*; suprà memoratis lacubus Albano atque Aricino minor. nec alius circa Tusculum totâque hac regione est lacus. unde rectè viri docti hunc etiam ante me interpretati sunt *Regillum lacum*. Et sunt apud hunc, ex utroque viæ Lavicanæ latere, editiores tumuli, circa Columnam opidum: in quibus haud dubiè tunc Romani Latinique castra sibi invicem oppositêre.

Fortvnae Mvliebris templum.

Cæterùm ad quartum ab Vrbe lapidem viâ Latinâ fuit FORTVNAE MVLIEBRIS TEMPLVM, circa eum locum, in quo veterum aquæductum arcus in transversum sese invicem secant. sic quidpe Frontinus in libro de Aquæductibus: *Anio vetus citra quartum milliarium intra mo....* [deest aliquid] *.... viæ, quà à Latinâ in Lavicanam itur, arcus trajicit.* De templo autem ita Valerius Maximus lib. 1 cap. VIII: *Fortunæ etiam Muliebris simulacrum, quod est viâ Latinâ ad quartum milliarium, eo tempore cum æde suâ consecratum, quo Coriolanum ab excidio Vrbis, maternæ preces repulerunt, non semel, sed bis loquutum constitit, his pænè verbis: Ritè me matronæ vidistis; ritéque dedicastis.* Et Auctor de Viris illustribus, in Marcio Coriolano: *Ergo à tribuno plebis die dictâ, ad Volscos concessit: eosque, duce Attio Tullio, adversùs Romanos concitavit: & ad quartum ab Vrbe lapidem castra posuit. quumque nullis civium legationibus flecteretur: à Veturiâ matre & Volumniâ uxore, matronarum numero comitatis, motus, omisso bello, ut proditor occisus est. Ibi templum Fortunæ Muliebri constitutum est.* Eutropius lib. 1, de eodem Marcio: *Vsque ad quintum milliarium Vrbis adcessit: oppugnaturus etiam patriam suam, legatis, qui pacem petebant, repudiatis; nisi ad eum mater Veturia & uxor Volumnia ex Vrbe venissent: quarum flexu & deprecatione superatus removit exercitum.* Sic equidem Livius quoque ad *quintum milliarium castra* Coriolani refert lib. II, his verbis: *Circeios profectus, primùm colonos inde Romanos expulit; liberamque eam urbem Volscis tradidit: inde in Latinam viam transversis tramitibus transgressus, Satricum, Longulam, Pallusçam, Coriolos, novella hæc Romanis opida ademit. inde Lavinium recepit. tunc deinceps Corbionem, Vitelliam, Trebiam, Labicos, Pedum cepit. postremùm ad Vrbem à Pedo ducit: & ad Fossas Cluelias, quinque ab Vrbe millia passuum castris positis, populatur inde agrum Romanum.* Narrat hinc de legationibus & Veturiâ matre uxoreque Volumniâ. denique addit: *Monumento quoque quod esset, templum Fortunæ Muliebri ædificatum dedicatumque est.* Sed semel tantùm castra prope Vrbem admovisse Marcium, auctor est Livius. è diverso autem Dionysius lib. VIII tradit, primò ad Fossas Cloelias, dein post xxx dies ad *trigesimo paullo amplius stadio*, id est, *ad quartum milliarium*, viâ Tusculanâ castra eum locasse. tum prorsus alio, quàm Livius, ordine omnem illam Marcii expeditionem narrat. Γενόμενος δὲ, inquit, ἐν ἡμέραις τεσσαράκοντα πόλεων ἑπτὰ κύριος, ἦκεν ἐπὶ τὴν Ῥώμην, ἄγων πολὺ πλείω στρατιὰν τῆς πρότερον· καὶ σταδίους ὑποχωρῶν τῆς πόλεως ὀλίγῳ πλείους τῶν τεσσαράκοντα, ἔστησε πλησίον ἐπὶ Τυσκλανὸς φέρουσαν ὁδὸν καὶ στρατοπεδεύσεν. Id est: *Subactis intra* XXX *dies* VII *opidis, Romam petiit cum multo maiore, quàm anteà, exercitu: & trigesimo paullo amplius stadio apud viam Tusculanam castra posuit.* Via hæc Tusculana nulla alia erat quàm quæ Latina dicitur Valerio Maximo, à qua paullo infra Tusculanum Ciceronis finistrorsum deflectebant, qui ab urbe Româ Tusculum adscendebant.

Sed itinere *viarum Latinæ Lavicanæque* ita describuntur in Itinerariis antiquis:

Tabu-

Tabulæ;		Antonini:	
Româ, viâ Lavicanâ		*Lavicanâ, ab Vrbe*	
Ad Quintanas	XV.	*Ad Quintanas*	XV.
Ad Statuas	III.		
Ad Pictas	VII.	*Ad Pictas*	X.
Ad Birium	V.		
Compito Anagnino	X.	*Compitum*	XV.
Ferentinum	VIIII.	*Ferentino*	VIII.

Antonini:		Tabulæ:	
Latinâ, ab Vrbe		*Româ, viâ Latinâ*	
Ad Decimum	X.	.....	X.
Roboraria	III.	.....	..
Ad Pictas	XVII.		
Compitum	XV.	*Ad Birium*	V.
Intrat in Lavicanam.		*Compito Anagnino*	X.

De eisdem viis ita tradit Strabo lib. v: Ἄρχεται δ' ἡ Λαβίνη ὁδὸς ἀπὸ τῆς Ἀππίας, ἐν ἀριστερᾷ ἀπ' αὐτῆς ἐκβρεπομένη πλησίον Ῥώμης· εἶτα διὰ Τουσκλανῶν ὄρους ὑπερβαίνει, μεταξὺ Τούσκλου πόλεως καὶ Ἀλβανῶν ὄρους, κάτεισιν εἰς Ἄλγιδον πολίχνιον ἐπὶ Πικτίας πανδοκεῖα. εἶτα συμπίπτει ἡ Λαβικανὴ, ἀρχομένη μὲν ἀπὸ τῆς Ἐσκυλίνης πύλης, ἀφ' ἧς δὲ ἡ Πραινεστίνη· ἐν ἀριστερᾷ δ' ἀφεῖσα καὶ ταύτην καὶ τὸ πεδίον τὸ Ἐσκυλῖνον, παρήκουσα δὴ πλείους ἢ ρ' ἐκ σταδίων, καὶ πλησιάσασα τῷ παλαιῷ Λαβικῷ, κλισμαῖα κατασπασμένῳ, κειμένῳ δ' ἐφ' ὑψηλοῦ, τοῦτον μὲν καὶ τὸ Τούσκλον ἐν δεξιοῖς ἀπολείπει, τελευτᾷ δ' ἡ πρὸς τοὺς Πικτὰς εἰς τὴν Λαβίνων. διέχει δὲ τῆς Ῥώμης τὸ χωρίον τοῦτο σ' καὶ ι' σταδίους· ἐφ' ἑξῆς δ' ἐστὶ αὐτῆς ἡ Λατίνης εἰσὶ πόλεις Φερεντῖνον καὶ Φρουσίνων. Hoc est: *Incipit via Latina ab Appiâ, ad sinistram ab hac prope Romam deflectens; ac super montem Tusculanum transiens inter Tusculum opidum & montem Albanum, ad Algidum descendit opidulum & Pictas tabernas. incidit hinc Lavicana, incipiens à portâ Esquilinâ; unde & Prænestina: relinquens autem ad sinistram hanc simul viam & campum Esquilinum, procedit ad* CXX *stadia; & adpropinquans veteri Lavico (quod opidum, loco sublimi situm, nunc dirutum est) hoc & Tusculum ad dextram relinquit, & ad Pictas in Latinam desinit. is locus Româ abest stadia* CCX. *Exhinc in Latinâ viâ sunt urbes, Ferentinum & Frusino.* Stadia CCX faciunt millia passuum XXVI, cum duobus stadiis. hic igitur numerus haud multum discrepat ab illis XXV millibus, quæ præscripta Itineraria habent ab Vrbe ad Pictas. Stadia autem CXX, quæ Strabo ponit inter Romam & LABICVM *opidum*, millia sunt passuum XV unde patet, quàm immensum hoc nostro sæculo erraverint omnes illi, qui *Labicum* interpretati sunt id opidum, quod, XXX millia passuum à Româ in edito colle & ipsum situm, vulgò vocatur *Valmontone*, ad quod sanè via Latina quàm proximè ducit. Ego ex tractu viæ Lavicanæ simulque ex intervallo dictorum XV millium, item ex situ in edito colle, id opidum esse dispicio *Labicum*, quod vulgò hodiè vocatur *Zagaruolo*. in cuius agro hodiéque antiquitatum monimenta exstant. Cæterò nomen eius quod attinet: quum Græcorum β utramque latinorum literam *b* & *v* valeat, promiscuè per has scriptum id reperias apud diversos, vel interdum etiam in eisdem auctoribus. tum singulari id equidem numero juxtà cum Strabone profert Silius lib. XII Labicum, genere neutro, in his verbis: LABICVM *opidum.*

——— *Mox & vicinus Aquinas,*
Et quæ fumantem texêre giganta Fregellæ,
Agmine carpuntur volucri. fert concitus inde
Per juga celsa gradum, duris quà rupibus hæret
Bellator Frusino, & surgit, suspensa tumenti
Dorso, frugiferis Cerealis Anagnia glebis.
Iamque adeò est campos ingressus & arva Labici,
Linquens Telegoni pulsatos ariete muros,

Haud dignum inter tanta moram: nec amœna retentant
Algida; nec juxtà Iunonis tecta Gabinæ:
Præceps ad ripas immani turbine fertur,
Sulfureis gelidus quà serpit leniter undis,
Ad genitorem Anio, labens sine murmure, Tybrim.

Eadem sic refert Livius lib. XXVI: *Hannibal, infestiùs perpopulato agro Fregellano, propter interciſos ponteis, per Frusinatem Ferentinatemque & Anagninum agrum in Labicanum venit. inde Algido Tusculum petiit. nec receptus mœnibus, infra Tusculum dextrorsus Gabios descendit. inde in Pupiniam exercitu demisso, VIII millia passuum à Româ posuit castra.* Ex Labicano igitur agro per Algidum montem in Tusculanos pervenit colleis ad ipsum Tusculum. At eidem Silio, ut reliquis auctoribus Latinis omnibus, plurali etiam numero adpellatur opidum LABICI lib. VIII:

——— *Antemnaque, prisco*
Cruſtumio prior; atque habiles ad aratra Labici.

Virgilius Aeneid. lib. VII:

Auruncæque manus, Rutuli, veteresque Sicani,
Et Sactanæ acies, & picti scuta Labici.

Cicero oratione primâ de Lege Agrariâ ad populum contra Rullum: *Agros verò Vaticanum & Papinium cum suis opimis atque uberibus campis conferendos non putabunt. opidorum autem finitimorum illam copiam cum hac per risum ac per jocum contemnent. Labicos, Fidenas, Collatiam, ipsum Herculè Lanuvium, Ariciam, Tusculum, cum Calibus, Teano, Neapoli, Puteolis, Cumis, Pompeiis, Nucerià, comparabunt.* Opidani inde omnibus dicuntur LABICANI, sive LAVICANI. Martialis lib. I epigram. LXXXVIII:

Alcime, quem, raptum domino crescentibus annis,
Labicana levi cespite velat humus.

Cicero in oratione pro Cn. Plancio; ubi ita adfatur Laterensem, municipem Tusculanum: *Nisi fortè te Lavicana aut Bovillana aut Gabina vicinitas adjuvabat.* En, ut disertè, non minùs *Labicos*, quàm *Gabios* atque *Bovillas*, vicinum Tusculo ait esse opidum. id igitur longè rectiùs in opidum nunc *Zagarollum*, quàm in *Valmontonem*, congruit. Sic Livius quoque lib. III de Aequorum expeditione loquens; *Per Labicanos*, inquit, *agros in Tusculanos colleis transierunt.* Et lib. IIII: *Bellum inde ab Aequis reparari cœptum. & novos hosteis Lavicanos consilia cum veteribus jungere, haud incertis auctoribus Romam est allatum. Tusculanis est negotium datum, adverterent animos, ne quid novi tumultus à Lavicis oriretur.* Mox: *Nunciabant legati, Lavicanos arma cepisse; & cum Aequorum exercitu, depopulatos agrum Tusculanum, castra in Algido posuisse.* Aliquanto pòst: *Captis direptisque castris, quum prædam dictator militi concessisset; sequutique fugientem ex castris hostem equites renunciassent, omneis Lavicanos victos, magnam partem Aequorum Lavicos confugisse; postero die ad Lavicos ductus exercitus; opidumque coronâ circumdatum, scalis captum, atque direptum est.* Mox: *Senatus censuit, coloniam Lavicos deducendam. coloni ab Vrbe CIↃ IↃ missi, bina jugera acceperunt.* Factum hoc ab Româ conditâ anno CCCXXXVII. De eâdem re ita Diodorus lib. XIII: Κατὰ δὲ τὴν Ἰταλίαν Ῥωμαῖοι πρὸς Αἴκυας πόλεμον ἔχοντες, Λαβίκυας ἐξεπολιόρκησαν. Id est: *In Italiâ Romani cum Aequis bellum gerentes, Lavicos expugnarunt.* Vox heic vitiata vulgatis in exemplaribus quum legatur Λαβίνυς, interpretes eam verterunt *Lavinium*. Livius iterum lib. V: *Bello Aequorum ad Lavicos; qui Romanam ibi coloniam oppugnabant.* Et lib. VI: *De Præneſtinorum quoque defectione fama exorta: arguentibus eos Tusculanis, Gabinis, & Lavicanis.* Sic igitur ubique *Lavicani* Tusculanis simul & Gabinis conjunguntur. Prænestini quoque v tantùm millia passuum ultra *Lavicos* erant siti. Disertè autem Livius inter *Aequos* & *Lavicanos* distingvit; quia hi erant Latini nominis. hinc Dionysius etiam lib. VIII, de Marcio Coriolano loquens; Ἐντεῦθεν δὲ τὰ δωσαμενα ἀναλαβὼν, ἦγεν ἐπὶ τοὺς καλουμένους Λαβικανούς. ἐῶ δὲ ἐγὼ καὶ αὐτὴ ποτε Λατίνων ἡ πόλις, Ἀλβανῶν ἄποικος. Hoc est: *Hinc adversùm Lavicanos exercitum duxit. quæ urbs & ipsa Latini tunc erat nominis, Albanorum colonia.* Et Plutarchus in eodem Marcio Coriolano: Οὕτως ὁ Μάρκιος ἐπ' αὐτὰς ἦγε τὰς πόλεις τῶν Λατίνων, καὶ Τολερίνους καὶ Οὐϊκανοὺς [scribe, καὶ Λαβικανοὺς] καὶ Πεδανοὺς, ἔτι δὲ Βωλανοὺς, ἀντιστάντας αὐτῷ, καὶ κρατήσας ἔλαβεν. Id est: *Ita ipsa tandem Latinorum opida Marcius adortus est: cepitque per vim Tolerinos, Lavicanos, Pedanos, & Bolanos: qui se ei opposuerant.* De cætero quum *colo-*

niam

viam Romanorum jam antiquissimis illis temporibus huc deductam testetur Livius, fragmentum lapidis apud *Zagarollum* opidum hæc refert verba:

C AVRVNCEIVS ::::::::
COTTA
COLONIS · INCOLIS · HOSPIT .:::::
ADVENTORIBVS · SERVISQ....
EORVM
LAVATIONEM EX · SVA · PECVNIA
GRATVITAM · IN · PERPETVOM · DEDIT

Municipium quoque aliquando factum testis locupletissimus est Cicero in prædictâ oratione pro Cn. Plancio. *Nisi fortè*, inquit, *te Lavicana aut Bovilla aut Gabina vicinitas adjuvabat. quibus è municipiis vix jam, qui carnem Latinis petant, inveniunt.* Adeò scilicet opida hæc incolis jam tum defecerant. Sic etiam in suprà scriptâ oratione contra Rullum *Lavicos* cum *Fidenis* atque *Collatiâ*, exiguis & ipsis tum opidis comparat; inferioraque hæc facit Tusculo, Aricià, Lanuvio. Sed de *Lavicis* hactenus satis. Nunc reliqua illa loca, quæ in ipsis Lavicanâ Latinâque viis sita fuêre, dicantur.

Vetus Horatii commentator in epist. XVII libri primi ita scribit: *Ferentinum, municipium viæ Labicanæ, ad* XLVIII *lapidem.* Convenit igitur ei probè cum Antonini itinerario suprà scripto. Tabula verò XLVIIII habet millia passuum. & hodiéque rotundo numero L milliaria eo intervallo computantur. unde satis valido argumento colligere datur, minimè corruptos esse in utroque itinerario singulorum intervallorum numeros.

Locus igitur AD QVINTANAS ex XV millium numero sub ipsis Labicis versùs septemtriones in Lavicanâ viâ fuisse deprehenditur. Et παραπλησίζειν τῷ Λαβίκῳ, id est, *prope ad Lavicum accedere viam Lavicanam*, disertè tradit Strabo. neque enim aliàs inde cognominari potuisset. AD QVINTANAS. *Itin.*

Alter ille locus πρὸς τὰς Πικίνας πανδοκεῖα, id est, AD PICTAS TABERNAS, sive AD PICTA DIVERSORIA, in eâdem viâ Lavicanâ, X millia passuum ultra *Quintanas*, inter Præneste fuit & Valmontem, dextrorsùm in diverticulo; V ab hoc opido, VII amplius ab illo disitus. Apud Plutarchum in Syllâ, ubi is exercitum ab Nolâ, Campaniæ opido, ad urbem Romam ducit, ita in vulgatis exemplaribus legitur: Ὁ δὲ Σύλλας, θαρσήσας τῇ ὄψει, ἔτι τὴν Ῥώμην ἤγετο. Ἐπεὶ Πικίνας αὐτῷ πρεσβεῖαι ἐντυχόντες, καὶ δεομένης μὴ βαδίζειν ἐξ ἐφόδου· πάντα γὰρ ἔσεσθαι τὰ δίκαια τῆς βελῆς ψηφισαμένης· ὡμολόγησε μὲν αὐτοῖς καθιεὶς τὸ στράτευμα τὸ ἐπ' αὐτούς· καὶ διαμεῖναι ἐκέλευε χώρας τῷ στρατοπέδῳ τοῦ ἡγεμόνος· ὡς τοῦ πρεσβεῖς ἀπελθεῖν πρὸς ἀναπαύσας. ἐκείνων δ' ἀπελθόντων, αὖθις ἐκπέμψας Λεύκιον Βασίλλον καὶ Γάιον Μόμμιον, καταλαμβανεῖ τὴν πόλιν διὰ αὐτῶν. Ἐπὶ τὸ τεῖχος τὸ πρὸς τὴν λόφον τὸν Αἰσκυλῖνον· εἶτ' αὐτὸς ἀπάσῃ σπουδῇ σπεύδει. Id est: *Sylla igitur hoc ostento firmatus, Romam cum exercitu pergit. Apud Picinas quum occurrissent ei legati, orantes, ne infesta signa raptim ad Vrbem ferret: senatum enim ei satisfacturum: pollicitus quidem est, se ibi locaturum castra: imperavitque ducibus ea metari: ita, uti legati, fide ei habitâ, discederent. at illis digressis, confestim L. Pasillum & C. Mummium præmisit ad præoccupandum portam & murum apud Aesquilinum collem, moxque ipse citato sequutus est cursu.* Hoc pro mendosâ voce Πικίνας quin legendum sit Πικτὰς, *Pictas*, nemo dubitare potest: quando disertè memoratur *porta Esquilina*; quæ Lavicanam emittebat viam ad *Pictas tabernas* ferentem. Florus lib. III cap. XI: *Sed impatiens injuriæ statim Sylla legiones circumegit; dilatoque Mithridate, Esquilinâ Collinâque portâ geminum agmen Vrbi infudit.* Apud Appianum Civil. bellor. lib. I sic scriptum est: Καὶ Σύλλας μὲν τὰς Κλουλίας πύλας καὶ τὸ περ' αὐτὰς τεῖχος ἐνὶ τέλει σταδίων καταλάμβανε, Πομπήιος δὲ τὰς Κολλίνας ἑπέρᾳ πύλει. Quum nulla unquàm Romæ fuerit *Cluilia porta*, interpres Latinus eam vocem vertit in *Cœlimontanam portam*. at ex Plutarcho simulque ex Floro dispexisse poterat, scribendum esse, τὰς Αἰσκυλίνας πύλας, *Aesquilinam portam*. Totus igitur locus sic vertendus: *Sylla Aesquilinam portam & contiguum murum unâ legione occupavit: Pompeius alterâ Collinam portam.* Et sequitur pusillo pòst; Μάρκος δὲ καὶ Σκιπίων ἀπλῶ-

των περὶ τὸν Δαοχύλειον ἀγερὼν. quod vocabulum rectè interpres emendans in Αἰαχύλειον, ita locum Latinè reddidit: *Marius ei ad Esquilias cum Sulpicio occurrit.* At *Pictæ* fortè jam in priscorum Aequorum fuerint finibus.

Ad Statvas, *locus.* Cæterùm inter *Pictas* & *Quintanas* tertius ille fuit locus Ad Statvas; tria ab his, ab illis VII millia passuum distans.

Ad Bivivm, *locus.* Iam verò ille locus in Tabulâ *Ad Birium*, ad quem linea viæ Lavicanæ ab urbe Româ finitur, omninò ab ipso auctore scriptus fuit Ad Bivivm. est enim is locus, apud quem post *Pictas* Latinæ viæ jungebatur *Lavicana*. quam tamen conjunctionem disertè Strabo apud ipsas ponit *Pictas*. unde etiam Antoninus in utroque itinere, tam Latinæ, quàm Lavicanæ viæ recenset Pictas. quò magis miror, in Latinæ viæ itinere post *Compitum* demum Anagninum eam conjunctionem eum statuere. At ex intervallo V millium, quæ Tabula habet à *Pictis* ad *Bivium*; sive ex XXX millium spacio, quæ huc colliguntur ab urbe Româ; simulque ex situ in Latinâ viâ, quæ hodiéque frequentatur ab Algido, sive, ut nunc loco nomen est, ab *Osteria* versùs Ferentinum; *Valmontonem* opidum judico esse antiquum illud *Bivium*. quod cur primariæ urbis signo in Tabulâ referatur, planè me ignorare, lubens fateor. De reliquo, quum *Algidum* jam Aequorum fuerit opidulum; ut suprà lib. II cap. XVI demonstratum: haud dubium est, quin eiusdem gentis fuerit & *Bivium* hoc, XIIII millia passuum in eâdem viâ Latinâ ultra *Algidum* situm.

Ad Decimvm *locus.* Porrò in Latinâ viâ Antonino memoratus locus Ad Decimvm, (intellige lapidem seu milliare, fuit circa eum vicum, qui apud fauceis Albanæ vallis vulgò vocatur *Il Borghetto*.

Roborama, *locus.* Ab *Decimo* porrò ad III millia passuum in eâdem viâ Latinâ ponitur locus ab Antonino nomine Roboraria. is fuerit circa caput *aquæ Crabræ*: mille passus ultra Tusculi regionem: tria millia citra Algidum sive *Osteriam*. qui locus nunc vulgò vocatur *La Molara*.

Praeneste, *colonia & municipium.* Sed locis Latinæ Lavicanæque viæ explicatis, in Prænestinam nunc etiam transgrediamur viam. Ipsum Praeneste, quod vulgò nunc incolis dicitur Palestrina, Peleſtrina, Pileſtrina, & Pilastrina, non modò ex antiquissimis, sed etiam ex celeberrimis semper fuit Prisci Latii opidis. Memoratur Plauto, Ciceroni, Varroni, Virgilio, Propertio, Horatio, Livio, Dionysio, Velleio, Valerio Maximo, Straboni, Plinio, Statio, Iuvenali, Svetonio, Plutarcho, Appiano, Ptolemæo, Floro, Solino, Itinerariis, Servio, Martiano Capellæ, Festo, Stephani epitomatori, & aliis. Vocabulum eius declinatur in genitivo ac dativo tantùm; ut *Tridente, Tergeste, Ateste, Sabate, Soracte, Reate, Teate:* quæ cuncta in genitivo *tis*, in dativo *ti* habebant. Virgilius Aeneid. lib. VII:

Quique altum Præneste viri, quique arva Gabinæ
Iunonis, gelidumque Anienem, & roſida rivis
Hernica ſaxa colunt.

Silius lib. VIII: ——— *Sacrisque dicatum*
Fortunæ Præneſte jugis.

Horatius Carm. lib. III odâ IIII:

——— *Seu mihi frigidum*
Præneſte, ſeu Tibur ſupinum,
Seu liquidæ placuêre Baiæ.

Statius Silvar. lib. IIII carm. IIII:

Hos Præneſte ſacrum, Nemus hos glaciale Dianæ,
Algidus aut horrens, aut Tuſcula protegit umbra:

Et feminino genere, ut omnia opidorum licet effari nomina, Virgilius Aeneid. lib. VIII: *Qualis eram, quum primam aciem Præneſte ſub ipsâ*
Stravi,

Iuvenalis Satyrâ III:

Quis timet aut timuit gelidâ Præneſte ruinam.

Verùm Servius, in priorem illum Virgilii locum commentans; *Dicimus autem*, inquit, *& hoc Præneſte, & hæc Præneſtis.* Porrò Cicero ad Atticum lib. XII epist. II: *Ludi interea Præneſte.* Plinius lib. XXXVI cap. XXV: *Lithoſtrota pavimenta cœptavêre jam ſub Sullâ, parvulis certè cruſtis. Exſtat hodiéque, quod in Fortunæ delubro Præneſte*

neſte fecit. Svetonius in Auguſto, cap. LXXII: *Ex ſeceſſibus præcipuè frequentavit maritima, inſulasque Campaniæ; aut proxima Vrbi opida, Lanuvium, Præneſte, Tibur*. In libro de Illuſtribus grammaticis cap. XVII, de Verrio Flacco loquens: *Statuam habet Præneſte, in inferiore fori parte*. Cicero in Catilinariâ primâ: *Quid, quum te Præneſte occupaturum nocturno impetu eſſe confideres?* Livius lib. VI: *Gallos mox Præneſte veniſſe, auditum eſt*. Eutropius lib. II: *Campaniam depopulatus eſt: atque ad Præneſte venit*. Velleius Paterculus lib. II: *Oppugnationi Præneſtis ac Marii præfuerat Ofella Lucretius*. Propertius lib. II eleg. XXXII:

Nam quid Præneſtis dubias, ô Cynthia, ſorteis,
Quid petis Aeæi mœnia Telegoni?

At quemadmodùm *Soracte* Hetruriæ mons, & *Reate* Sabinorum opidum, ut ſuprà lib. II cap. III & VIIII intellectum, Græcis dicebantur Σώρακτος & Ῥίατος, ita *Præneſte* etiam Dionyſio, ac Straboni & Plutarcho, & Appiano Stephanique epitomatori dicitur Πραίνεστος. Strabonem mox videbimus. Plutarchus in Syllâ: Μάριος ἔφυγε εἰς Πραίνεστον· *Marius fugâ Præneſte contendit*. Alium Plutarchi locum ex Parallelis infrà producemus. Appianus Civil. bellor. lib. I: Ὧδε μὲν δὴ καὶ Πραίνεστος ἑάλω. *Sic equidem Præneſtus quoque capta eſt*. Dionyſius lib. IIII: Πόλις ἐστὶ Λατίνων γένους, ἣν ἐπὶ τὰ εἰς Πραίνεστον φέρουσα ὁδὸς κειμένη. Γαβίνη τοὔνομα ἐκάλουν. Id eſt: *Opidum erat Latinorum gentis, in viâ, quæ Præneſtum fert, nomine Gabii*. Stephani breviator: Πραίνεστος, πόλις Ἰταλίας. *Præneſtus, opidum Italiæ*. Apud Plautum in Captivis, ubi Ergaſilus paraſitus Hegioni per Latii novi urbeis jurat, ita legitur:

HEG. *Et captivum illum Aulidenſem?* ERG. Μὰ τὸν Ἀπόλλω. HEG. *Et ſervolum*
Meum Stalagmium; meum qui gnatum ſurripuit? ERG. Νὴ τὰν Σόραν.
HEG. *Iam diu?* ERG. Νὴ τὰν Πραινέſτω. HEG. *Venit?* ERG. Νὴ τὰν Συρίαν.
HEG. *Certon'?* ERG. Νὴ τὰν Φρυσινῶνα. HEG. *Videſis*. ERG. Νὴ τὸν Ἀλάτριον.
HEG. *Quid tu per barbaricas urbeis juras?*

Heic ſanè minimè inducor, uti credam, ipſum ſcripſiſſe Plautum, τὰν Πραινέſτω. ſed quum feminini generis articulus præmiſſus eſſet; grammaticos exſcriptores vocabulum genuinum Πραίνεστον corrigendum in illud cenſuiſſe. Quin iſtud etiam τὸν Ἀλάτριον vitioſum eſt; quum omnibus reliquis auctoribus, Latinis pariter atque Græcis, dicatur neutro genere τὸ Ἀλάτριον, ſive τὸ Ἀλήτριον. At ſi heic ipſe Plautus, ut quidam corrigunt, ſcripſit τὸ Ἀλάτριον, certè & τὸν Φρυσινῶνα ipſum ſcripſiſſe concedas, neceſſe erit; quando *Fruſino* generis erat maſculini; ut infrà videbimus. Verùm ego facilè crediderim, ubique ſcripſiſſe Plautum articulum feminini generis τὰν, quem referebat ad vocem πόλιν. Apud Ptolemæum quoque neſcio an rectè ſcriptum nunc ſit neutro genere τὸ Πραίνεστον. Cæterùm opidani paſſim auctoribus dicuntur Πραινεſτῖνοι, PRAENESTINI. qui haud dubiè & ipſi corrupto vocabulo apud Appianum dicto Civil. bellor. lib. I Πραινέſτιοι· quum apud Dionyſium lib. V ſint Πραινεſτωοὶ, ab exſcriptoribus poſterioris ævi uſitatiſſimo more, quo η valebat ι, ut innumera alia, ſic formati, loco Πραινεſτῖνοι. Stephani epitomator: Πραίνεστος, πόλις Ἰταλίας. ὁ πολίτης Πραινεſτῖνος. Id eſt: *Præneſtus, opidum Italiæ. opidanus inde dicitur Præneſtinus*. Sic Varro de Latinâ lingvâ lib. IIII: *A Præneſte Præneſtinus*. Sic & alii, quos mox citabo. De nominis origine ſic tradit Pompeius Feſtus: *Præneſte dicta eſt, quia is locus, quo condita eſt, montibus præſtet*. Sed hoc ille aliunde habuit. Servius ad ſuprà ſcriptum locum Virgilii Aeneid. lib. VII: *Altum Præneſte*. *Cato dicit, quia is locus montibus præſtet, Præneſte opido nomen dedit*. Sanè merè grammatica, non hiſtorica, eſt originatio. Stephani epitomator ita tradit: Πραίνεστος, πόλις Ἰταλίας, ἀπὸ Πραινέστου, τοῦ Λατίνου, τοῦ Ὀδυσσέως καὶ Κίρκης υἱοῦ. Id eſt: *Præneſtus, opidum Italiæ; à Præneſto, Latini, Vlyſſis & Circes filii, filio dictum*. Martianus Capella lib. VI: *Præneſte conditum ab Vlyſſis nepote Præneſte. licèt alii velint Cæculum conditorem: quem pignus adſerunt fuiſſe flammarum*. At illud antiquus in primis tradidit auctor Zenodotus Trœzenius: quem Dionyſius lib. II teſtatur Vmbricæ gentis hiſtoriam ſcripſiſſe. quamquàm Svidas etiam alium referat Zenodotum, *Epheſium* natione Alexandrinum; qui Romæ neſcio quibus temporibus vixerit. Solinus cap. VIII: *Præ-*

neſte

neste conditum est, ut Zenodotus refert, à Prænestè, Vlyssis nepote, Latini filio: aut, ut Prænestini sonant libri, à Cæculo: quem juxta igneis fortuitos invenerunt, ut fama est, Digitiorum sorores. De hoc *Cæculo* ita canit Virgilius dicto Aeneid. lib. VII:

Nec Prænestina fundator defuit urbis;
Vulcano genitum pecora inter agrestia regem,
Inventumque focis, omnis quem credidit ætas:
Cæculus.

Ad quæ ita commentatur Servius: *Prænestè locus est haud longè ab Vrbe; dictus ἀπὸ τῶν πέλνων, id est, ab ilicibus, quæ illic abundant. Ibi erant pontifices & dii Indigetes; sicut etiam Romæ. erant etiam duo fratres, qui Divi adpellabantur. Horum soror dum ad focum sederet, desiliens scintilla eius uterum percussit. inde dicitur concepisse. Posteà enixa puerum juxta templum Iovis abjecit. quem virgines, aquatum euntes, juxta ignem inventum sustulerunt; qui haud longè à fonte erat. unde Vulcani dictus est filius. Cæculus autem, ideò, quia oculis minoribus fuit. quam rem frequenter efficit fumus. Hic posteà collectâ multitudine, postquàm diu latrocinatus est; Prænestinam civitatem in montibus condidit. & quum ad ludos vicinos populeos invitasset, cæpit eos hortari, ut secum habitarent; & pro gloriâ jactare, se filium esse Vulcani. quod quum illi non cederent; invocato Vulcano, ut eum filium comprobaret, omnis illius multitudinis chorus est flammâ circumdatus. quo facto commoti, omnes simul habitaverunt; & Vulcani filium esse crediderunt. hinc est: Omnis quem credidit ætas.* Hæc igitur de *Cæculo* tradita est à quibusdam μυθολόγοις fabula. *Duo* tamen isti *fratres* non *Divi*, sed *Digitii*, ut habet Solinus, haud dubiè ab ipso scripti fuêre Servio. At apud Plutarchum in Parallelis tertius memoratur urbis Prænestinæ conditor. Τηλέγονον, inquit, ὁ δυσὶν ἢ Κίρκης, ὅτε ἀναζητῶν ἔτι πατρὸς πεμφθεὶς, ἔμαθε πόλιν κτίσαι, ἔνθα αὐ ἴδοι γεωργοὺς ἐστεφανωμένους, καὶ χορεύοντας. Γενόμενον δὲ κατὰ τύχην τότε τῆς Ἰταλίας, καὶ θεασάμενον ἀγρίκους πεντίνοις κλάδοις ἐστεφανωμένους, καὶ ὀρχήσεσθαι παρασκευαζομένους, ἔκλεσε πόλιν, ἀπὸ δὲ συνθήματος Πέντιγον ὀνομάσαι, ἣν Ῥωμαῖοι Πραίνεστον καλοῦσιν· ὡς ἱστορεῖ Ἀρίστοκλῆς ἐν τρίτῳ Ἰταλικῶν. Id est: *Telegonus, Vlyssis & Circes filius, missus ad indagandum patrem, monitus est, uti ibi urbem conderet, ubi serta gerentes agricolas saltare videret. quumque in quemdam Italiæ locum devenisset; offendit colonos ramis ilignis redimitos choréis vacare. itaque urbem ibi condidit; & ab rei argumento Prinistum nominavit: (quod vocabulum Romani detortum dicunt Prænestus:) ut Aristocles tradit in Italicar. rer. lib. III.* Hinc Plinius lib. III cap. V: *Prænestini: urbe quondam Stephane dictâ.* Vt innumeros passim alios, ita circa hanc etiam fœdum nobis tradidit errorem Stephanus: cuius epitomator, Τίβυρις, inquit, πόλις Ἰταλίας. αὕτη Πολυστέφανος ὠνομάζετο πρότερον. Id est: *Tiburis, opidum Italiæ. Hoc anteà Polystephanus vocabatur.* Sed hunc errorem ex Strabone hausisse videtur Stephanus, ociter perlecto. sic quidpe ille habet lib. V: Εἶθ' ἡ Πραίνεστος· ἔστι δὲ καὶ αὕτη κώμη τῆς Ῥώμης Τιβουρτίνης. * · * · Ἐν ὀψὲ δ' εἰσὶ τῆς ἐν Ῥώμῃ Τίβυρός τε καὶ Πραίνεστος ἡ Τῆσκλον. Τίβυρος μὲν, ἢ τοῦ Ἡρακλείου. * · * · Πραίνεστος δ' ἐστὶν, ὅπου τὸ τῆς Τύχης ἱερὸν θαυμάσιον χρησμῳδοῦσαν. Ἀμφότεραι δ' αἱ πόλεις αὗται τῇ αὐτῇ παρεμφερεῖ τυγχάνουσιν ὀρεινῇ· διέχουσι δ' ἀλλήλων ἔσον σταδίους ἑκατόν· τῆς δὲ Ῥώμης Πραίνεστος μὲν καὶ διπλάσιον, Τίβυρος δ' ἔλαττον. Φασὶ δ' Ἑλληνίδας ἀμφοτέρας· Πραίνεστον γοῦν Πολυστέφανον καλοῦσι πρότερον. Εὐρυνὴ μὲν οὖν ἑκατέρα· πολὺ δ' εὐρυνοτέρα Πραίνεστος. ἄκρον γὰρ ἔχει τὸ μὲν πόλεως ὑπερθὲν ὄρος ὑψηλὸν, ὅπισθεν δ' ὑποτείνουσα ὀρεινῆς αὐχένι διεζευγμένον, ὑπέραιρον καὶ δυσὶ σταδίοις τούτου πρὸς ὀρθίαν ἀναβαίνον. πρὸς δὲ τῇ εὐρυνοτάτῃ δι' ὑπορύξεως κρυπταῖς Δρυπίτρῃ) πανταχόθεν, μέχρι τῶν πεδίων· τὸ μὲν ὑπὸρ χάραν, πρὸς δὲ ἐξόδων λαθραίων. ὧν ἐν μιᾷ Μαρκος πολιορκούμενος ἀπέθανε. Ταῖς μὲν οὖν ἄλλαις πόλεσι πολεῖται τὰ ὑπερκεῖ πρὸς ἀσφάλειαν· Πραινεστίνοις δὲ συμφορὰ γέγονε μὴ τὰς Ῥωμαίων στάσις. καταφεύγουσι γὰρ ἐκεῖσε οἱ νεωτερίσαντες. ἐπολιορκήθησαν δ', πρὸς τῇ κακώσει τῆς πόλεως ἐν τῇ χώραν ἀπολλυμένων συμβαίνει· τὸ αἰτίας μεταφερομένης ὅτι σὺν ἀνάγκης. Hoc est: *Sequitur deinde Prænestus: de qua mox dicemus.* Paullo pòst: *in conspectu Romæ sunt Tibura, Prænestus, & Tusculum. Apud Tibura, Herculis est fanum.* Mox: *Prænestus autem est, apud quam templum est Fortunæ & sortes eius celebres. Vtraque urbs ad unum idemque montis jugum condita est. distantque inter se stadia C à Româ verò Prænestus alterum tantum: Tibura aliquanto propiora sunt. Græcanicam utramque tradunt esse urbem. Cæterum Prænestum olim adpellatam fuisse Polystephanum. Vtraque munita est loci naturâ. magis tamen Prænestus. nam arcis loco supra urbem adjacet mons excelsus, qui à tergo imminentis jugi continuitati angusto quodam transitu*

& quasi

& quasi cervice quadam avellitur; recto adscensu duobus altior stadiis. Accedit ad naturalem hanc munitionem, quòd undique urbs est cuniculis occultis perforata. quo alii aqua ducenda, alii clandestinis exitibus inserviunt. in quorum uno obsessus Marius junior interiit. Enimverò ut aliis urbibus in parte felicitatis copia rerum ponitur; ita contrà Prænestinis sua opulentia calamitosa fuit, ob Romanorum seditiones. nam qui res novas moliebantur, eò confugiebant. quibus expugnatis, cùm alia damna urbi injungebantur, tùm ager adimebatur; culpâ à sontibus in innoxios translatâ. De Mario ita habet Epitomator Livii lib. LXXXVIII: *C. Marius Prænestè obsessus à Lucretio Asellâ* [*Ofellam* vocat Velleius loco suprà scripto] *Syllanarum partium viro, quum per cuniculum captaret evadere, septus ab exercitu, mortem sibi consciv it in ipso cuniculo: quum sentiret, se evadere minimè posse, cum Pontio Telesino, fugæ comite, stricto utrimque gladio concurrit. quem quum occidisset, ipse saucius à servo impetravit, ut se occideret.* Cæterùm quum *Græcam* esse *urbem* antiquissimi auctores tradiderint: aliique etiam suprà ad Tusculum dictum *Telegonum*, alii verò *Prænestum*, Latini filium, origini eius admiscuerint; haud perinde dubiis hinc colligere licet argumentis, hanc quoque cum reliquis *Prisci Latii* opidis à primis Latinis, id est, à Pelasgis atque Aborigini-bus, duce Euandro, vel de novo conditam, vel, pulsis inde primis cultoribus Siculis, occupatam fuisse. quorum hoc haud obscurè innuit Virgilius. qui quamvis suprà dicto Aeneid. lib. VII in Turni acie fingat Prænestis conditorem Cæculum; tamen posteà lib. VIII Euandrum introducit, filium suum, quem in auxilium Aeneæ mittebat, sic adfantem:

O, mihi præteritos referat si Iupiter annos,
Qualis eram, quum primam aciem Præneste sub ipsâ
Stravi; scutorumque incendi victor acervos;
Et regem hac Herilum dextrâ sub Tartara misi:
Non ego nunc dulci amplexu divellerer usquàm,
Gnate, tuo.

Herilus iste fuisse videtur vel rex vel dux quidam Siculorum; qui, ingruentibus Latinis, *Præneste* tuebatur. Tanta igitur huius quoque urbis antiquitas est: ut quæ & ipsa CIↃ IↃ amplius annis ante Iesum natum condita. Hinc etiam inter alios Prisci Latii populos connumerata fuit. Livius lib. II: *Præneste ab Latinis ad Romanos desciv it.* Amplam tenuisse ditionem, patet ex eiusdem Livii lib. VI; ubi ita ait: *Octo præterea opida erant sub ditione Prænestinorum. ad ea circumlatum bellum. Coloniam* posteà factam Romanorum ex Ciceronis suprà dictâ Catilinariâ primâ patet. *Quid, quum te Præneste*, inquit, *occupaturum nocturno impetu esse consideres; sensistine, illam coloniam meo jussu, meis præsidiis, custodiis, vigiliisque esse munitam?* Hinc Frontinus in libro de Coloniis: *Præneste opidum. ager eius à III-viris pro parte in jugeribus est adsignatus.* Sed *municipium* etiam fuisse, testantur lapides antiqui; tum Florus atque Festus, quorum ille lib. III cap. XXI, quod est de bello civili Mariano: *Positis singulorum hominum ferè pœnis; municipia Italiæ splendidissima sub hasta venierunt: Spoletium, Interamnium, Præneste, Florentia.* Vt Florus inter *splendidissimas Italiæ* urbeis Prænestè computat, ita Appianus dicto Civil. bellor. lib. I inter *opulentissimas*; eamdem cum Floro historiam narrans de bello Mariano: Τὴν πόλιν, inquit, διήρπαζε, πολυχρήματον ἐν τοῖς μάλιστα τότε ἄστυ. ὧδε μὲν δὴ καὶ Πραίνεστος ἑάλω. Id est: *Vrbem diripuit; in primis tunc opulentam.* At nihil penè æquè celebre fuit Prænestè ac FORTVNAE PRIMIGENIAE in innumeris ferè lapidibus cognominatæ templum; inque eo sortes, & Digitiorum sororum cultus. unde Statius, suprà dicto Silvar. lib. IIII carm. IIII, sacrum dixit Prænestè; & Silius dicto lib. VIII;

——— *Sacrùque dicatum*
Fortunæ Præneste jugis.

Idem Statius Silvar. lib. I carm. III; ubi Manlii Vopisci celebratur villæ Tiburtinæ amœnitas:

Quòd ni templa darent aliàs Tirynthia sorteis,
Et Prænestinæ poterant migrare sorores.

Adeò vult amœnum esse *Tibur*, ut etiam *Prænestinæ* eò migrare possent *sortes*; ni jam anteà *aliæ* illic forent *sortes*, in templo *Herculis*: de quo posteà dicemus. Valerius Maximus lib. I cap. III: *Lutatius, qui primum Punicum bellum confecit, à senatu prohibitus*

FORTVNAE PRIMIGENIAE *apud* Prænestæ.

prohibitus est sorteis Fortunæ Prænestinæ adire. auspiciis enim patriis, non alienigenis, rempublicam administrari oportere judicabant. Verùm *sorteis* has earumque originem copiosè describit Cicero Divination. lib. II. *Sortes*, inquit, *restant, & Chaldæi: ut ad vates & somnia veniamus. dicendum igitur putas de Sortibus. Quid enim Sors est? Idem propemodùm, quod micare; quod talos jacere; quod tesseras. quibus temeritas & casus, non ratio nec consilium, valet. tota res est inventa fallaciis, aut ad quæstum, aut ad superstitionem, aut ad errorem. Atque, ut in haruspicinâ fecimus, sic videamus, clarissimarum sortium quæ tradatur inventio. Numerium Suffucium, Prænestinorum monumenta declarant, honestum hominem & nobilem, somnis crebris, ad extremum etiam minantibus, quum juberetur certo in loco silicem cædere, perterritum visis, irridentibus suis civibus, id agere cæpisse. itaque perfracto saxo, sorteis erupisse; in robore insculptas priscarum literarum notas. Is est hodiè locus septus religiosè, propter Iovis pueri; qui lactens cum Iunone in gremio Fortunæ sedens, mammam adpetens, castissimè colitur à matribus. Eodem tempore illo loco, ubi nunc Fortunæ sita ædes est, mel ex oleâ fluxisse dicunt: haruspicesque dixisse, summâ nobilitate illas sorteis futuras: eorumque jussu ex illâ oleâ arcam esse factam: eâque conditas sorteis: quæ hodiè Fortunæ monitu tolluntur. Quid igitur in his potest esse certi, quæ Fortunæ monitu pueri manu miscentur, atque ducuntur? Quomodò autem istæ positæ in illo loco? quis robur illud cecidit? dolavit? inscripsit? Nihil est, inquiunt, quod Deus efficere non possit. Vtinam sapienteis Stoicos effecisset; ne omnia superstitiosâ solicitudine & miseriâ crederent. Sed hoc quidem genus divinationis vita jam communis explosit. Fani pulchritudo & vetustas Prænestinarum etiam nunc sortium retinet nomen: atque id in vulgus. quis enim magistratus, aut quis vir illustrior, utitur sortibus? Cæteris verò in locis sortes planè refrixerunt.* Fuêre prætereà *Tiburi*; ut suprà dictum: fuêre item *Antii*, in æde itidem Fortunæ; ut infrà videbimus, in Volscorum expositione.

PRÆNESTINI *montes.*

Cæterùm montis jugum in cuius meridionali latere Prænestæ situm est, inter Anienis sinistram ripam & planiciem, per quam fert Labicana via ab urbe Româ versùs Terentinum, protenditur. Pars eius, quà Prænestinus erat ager, PRAENESTINI vocantur MONTES Livio suprà dicto lib. III. *Lucretium*, inquit, *dum in Hernicis sedet, prædonum agmen fefellit, supra monteis Prænestinos ductum. inde demissum in campos, vastavêre agros Prænestinum Gabinumque. ex Gabino in Tusculanos flexêre colleis.* Per campos intelligit prædictam planitiem, quæ inter Prænestinos Tusculanosque sternitur monteis.

GABII.

Porrò in viâ Prænestinâ inter Romam & Prænestæ fuit ipsum *opidum* GABII; quod totum jam dudum adeò interiit, uti hoc nostro sæculo de loco eius inter doctos viros disceptetur. Memoratur Varroni, Propertio, Virgilio, Ovidio, Diodoro, Livio, Dionysio, Valerio Maximo, Straboni, Lucano, Plutarcho, Appiano, Solino, Itinerariis, Eutropio, Stephani epitomatori, & aliis. Opidani inde dicuntur GABINI. Varro de Latinâ lingvâ lib. IIII: *Gabinus ab opido Gabiis.* Frontinus Strategemat. lib. I cap. I memorat *principes Gabiorum*; & lib. III cap. III *Gabios* atque *Gabinos*. Sic passim Livio & aliis omnibus, quos citatum imus, auctoribus semper opidum plurali numero Gabii, opidani Gabini dicuntur. eò magis miror, quum ipsi quoque Plinio lib. III cap. V sint *Gabini* opidani; eidem in lib. II cap. XCIII dici *Gabiensem agrum. Quædam verò*, inquit, *terræ ad ingressus tremunt. sicut in Gabiensi agro, non procul urbe Româ, jugera fermè ducenta equitantium cursu.* Situm opidi quod attinet; quidam hoc sæculo Gallicanum id interpretantur; quod ego veteres Laricos esse paullo antè ostendi: alii verò volunt esse proximum ei opidulum *Columnam*. utrosque vel unus satis coarguerit Livius lib. XXVI, his verbis: *Hannibal per Frusinatem Ferentinatemque & Anagninum agrum in Lavicanum venit. inde Algido Tusculum petiit. nec receptus mœnibus, infra Tusculum dextrorsus Gabios descendit. inde in Pupiniam exercitu demisso, octo millia passuum à Româ posuit castra. Algidum* fuisse in viâ Latinâ ultra Tusculum, ad vallem Albanam, ubi nunc diversorium publicum vulgari vocabulo dicitur *L'Osteria*, suprà hoc capite dictum, & lib. II cap. XVI abundè demonstratum est. Ab hoc igitur loco si Hannibal per Tusculum ad *Gallicanum* vel *Columnam* ivit, atque hinc tandem ad octavum ab Vrbe lapidem castra posuit; næ ille per inutileis ambages Romam petiit. Quamquàm nec descendere dici possunt ii, qui ab *Tusculo* rectâ viâ *Gallicanum* tendunt. At idem

Livius

Livius lib. v, de Gallis loquens, qui Romam ceperant: *Iustiore*, inquit, *altero deinde prælio ad octavum lapidem Gabinâ viâ, quo se ex fugâ contulerant, eiusdem ductu auspicioque Camilli vincuntur*. Libro autem VI sic ait: *Quin ipsi Galli si offerantur; illo loco se ita pugnaturos, ut Romæ pugnaverint in repetendâ patriâ; ut postero die ad Gabios*. Et lib. XXII; de eodem Camillo: *Descendit in equum: atque illo ipso die mediâ in Vrbe, & postero die circa Gabios cecidit Gallorum legiones*. An igitur *Gabii* VIII tantùm millia passuum à Româ abfuêre? Minimè. negat hoc ipse Livius, dicto lib. XXVI: ubi ait, à *Gabiis* tandem *in Pupiniam demisso exercitu, octo millia passuum à Româ posuisse castra Hannibalem*. Alios igitur etiam audiamus auctores. Appianus Civil. bellor. lib. V: Γάβιοι, πόλις ἐν μέσῳ Ῥώμης τε καὶ Πραινέστου. Id est: *Gabii, opidum in medio Romæ ac Prænestis*. Strabo lib. V: Γάβιοι, πόλις ἐν τῇ Πραινεστίνῃ ὁδῷ κειμένη, διέχουσα τὸ ἴσον ἀπὸ Ῥώμης τε καὶ Πραινέστου, περὶ ἑκατὸν σταδίους. Id est: *Gabii, opidum in Prænestinâ viâ, æquali à Româ pariter & Præneste distans intervallo*. Et paullo pòst, de *Tibure* ac *Præneste* loquens: Διέχουσι δ' ἀλλήλων ὅσον σταδίους ἑκατόν. τὴν δὲ Ῥώμης Περγίνες ὠνόμασται καὶ διαλάζιον, Τίβουρα δ' ἔλαττον. Hoc est: *Distant autem inter se stadia C. ab Româ autem Præneste alterum tantum abest: Tibur verò minus*. Dionysius lib. IIII: Πόλις λώ ἔστ Λατίνων ἠθους, Ἀλβανῶν ἀποικίσις, ἀπέχουσα τῆς Ῥώμης σταδίους ἑκατὸν, ὅπῃ τῆς εἰς Περγίνον φερούσης ὁδὸς κειμένη· Γαβίους τοὔνομα ἐκάλουν. Id est: *Opidum erat Latinorum gentis, Albanorum colonia, viâ Prænestinâ, C stadiis ab Româ disitâ: quam Gabios adpellabant*. Stadia centum efficiunt millia XII passus IO; stadia CC reddunt millia passuum XXV. At hic numerus aliquanto excedit intervallum inter Præneste & Romam. & aliter item computarunt Latini auctores. Eutropius lib. II, & Paullus Diaconus Historiæ miscellæ lib. II, de Pyrrho: *Campaniam depopulatus est; atque ad Præneste venit, milliario ab Vrbe octavo decimo*. Florus lib. I cap. XVIII: *Victor primo prælio Pyrrhus, totam trementem Campaniam, Lirim, Fregellasque populatus, propè captam Vrbem à Prænestinâ arce prospexit; & à vigesimo lapide oculos trepidæ civitatis fumo ac pulvere implevit*. Auctor de Viris illustribus, in Pyrrho: *Ad vigesimum lapidem ab Vrbe castra posuit*. Certè hodiéque XVIII, alii XX millia inter Præneste & Romam numerant. Ipse ego XX re verâ deprehendi. Strabo ait, dimidium eius spacii, quod est inter Præneste & Romam *Tibur* à *Præneste* distare. at hodiè inter hæc opida X numerantur millia. ergo rectè etiam inter Romam & Præneste XX censentur millia. Antiquiores tamen illos Romanos minutioribus milliaribus usos esse, patet cùm ex suprà scriptis Stabonis verbis, tùm ex Itinerariis, quæ ita habent:

Tabulæ:		Antonini:	
Româ, viâ Prænestinâ		*Prænestinâ, ab Vrbe*	
Gabios	XII.	*Gabios*	XV.
Præneste	XI.	*Præneste*	XI.

Apud Antoninum inter Romam & *Gabios* XII millia corrupta esse in XV, ex suprà dictis manifestum est. Ne autem suspiceris, deflexisse hanc viam Prænestinam inter Romam & Præneste ad sinistram dextramve à recto meatu; uti eâ ratione XXIII millia passuum impleverit, quæ nunc directo cursu XX tantùm contineat; certum est, plus XX millibus hoc intervallo computasse veteres Romanos; quando inter Tibur & Romam XX millia numeraverunt. testantur id eadem Itineraria; quæ sic habent:

Tabulæ:		Antonini:	
Româ, viâ Tiburtinâ		*Viâ Valeriâ, ab Vrbe*	
Ad Aquas Albulas	XVI.		
Tibori	....	*Tiburi*	XX.

Sunt hodiéque inter Albulas istas aquas & Tibur IIII justa Romanorum millia passuum; quæ in Tabulâ interierunt. Martialis lib. I epigram. III:

Itur ad Herculei gelidas quà Tiburis arceis,
Canaque sulfureis Albula fumat aquis;

Rura, nemusque sacrum, dilectaque jugera Musis,
Signat vicinâ quartus ab urbe lapis.

Et lib. IIII, epigram. LVII:

Dum nos blanda tenent lascivi stagna Lucrini,
Et quæ pumiceis fontibus antra calent;
Tu colis Argivi regnum Faustine coloni:
Quò te bis decimus ducit ab Vrbe lapis.
Herculeos colleis gelidâ vos vincite brumâ:
Nunc Tiburtinis cedite frigoribus.

At Strabo ait, Tibur propinquius esse Romæ, quàm Prænestе. & hodiéque ex medio urbis Romæ Tibur usque XVIII sunt milliaria; quum ad Prænestе sint XX. Vt igitur illo itinere duo ampliùs numerarunt prisci mortales millia passuum; sic hoc tria. Constat itaque jam claris documentis, Gabios medio fermè fuisse itinere inter Romam & Prænestе; uno exiguo milliari propiùs hoc opidum, quàm Romam. Est hodiè medio hoc itinere diversorium publicum in viâ Prænestinâ, quod vulgari lingvâ incolæ dicunt *L'Osteria del Finocchio*. juxta hoc, quà Tusculum versùs adscenditur, vestigia quædam cernuntur in lenissimè adsurgentibus tumulis veterum murorum ædificiorumque. hæc ego ex situ & itineris ductu antiquorum *Gabiorum* reliquias esse judico. & via inde versùs *Tusculum* silice stratæ exiguum quoddam deprehendi vestigium. Cæterùm originem opidi conditoresque quod attinet; suprà è Dionysio intelleximus, τ Α'λβανῶν fuisse ἀποικίζιν, id est, *Albanorum coloniam*. cui consentiens Virgilius Aeneid. lib. VI, Anchisen fingit apud inferos ita filio Aeneæ de Albanis regibus prædicentem:

Hi tibi Nomentum & Gabios urbemque Fidenam,
Hi Collatinos imponent montibus arceis,
Pomerios Castrumque Inui Bolamque Coramque.
Hæc tum nomina erunt: nunc sunt sine nomine terræ.

Ad quem locum ita Servius: *Hæ civitates sunt priscorum Latinorum ab Albanis regibus constitutæ.* Verùm Strabo, loco suprà citato, disertè testatur, æquè *Græcanicam* fuisse urbeis *Gabios*, ac *Tibur*. quod ne ipse quidem totum abnuerit Dionysius: qui lib. I de Romulo ac Remo, falsis illis Romanæ urbis conditoribus, ita scribit: Η'δωνικὰ δὲ τὰ ἐν τῷ γάλακτι τροφῆς ἀπολλάγη τὰ παιδία, δοθῆναί φασι πρὸς τ τρεφόντων εἰς Γαβίους, πόλιν ἀ μακρὰν ἀπὸ τ Παλαντίου κειμένην, ὡς Ε'κάδα παιδείαν ἐκμαθεῖν. Hoc est: *Amotos à nutricis uberibus pueros aiunt Gabios, opidum haud procul à Palantio disitum, à nutriciis deportatos fuisse; uti Græcis ibi disciplinis imbuerentur.* Plutarchus in Romulo: Τὰ δὲ βρέφη φασὶν, Α'μυλίου συφορβὸς, ἀνείλετο, λαθὼν ἅπαντας· ὡς δ' ἔνιοί φασι, εἰδότος τ Νομήτορος καὶ συγχορηγοῦντος τροφὰς κρύφα πρὸς τρέφεσι. τὰ γράμματα λέγουσι καὶ τἄλλα μανθάνειν οἱ παῖδες εἰς Γαβίους κομισθέντες, ὅσα χρὴ τοὺς ἐλευθέρους καὶ γενναίους. Id est: *Faustulus, Amulii subulcus, infanteis clam omnibus sustulit. Alii tamen veritati magis consona referunt: conscio Numitore, & alimenta suppeditante secretò nutritiis, pueros literis omnique liberali disciplinâ Gabiis institutos.* Complures hoc tradidêre auctores. sic quidpe habet Pompeius Festus: *Diocles Peparethius ait, repertos Accam Laurentiam, Faustuli uxorem, educasse. Plerique tamen, conscio & alimenta præbente Numitore, nutritos aiunt: quòd Ilia, ex Marte se peperisse eos, adseverabat: ac secretò literis omnique liberali disciplinâ Gabiis institutos atque excultos fuisse.* Hinc illud Stephani; quod sive ipse sive epitomator eius per summam imperitiam inter vocabula à litera T incipientia retulit: Ταβιοί, πόλις Ι'ταλίας, ἐν ᾗ οἱ περὶ Ρ'έμον ἐπαιδεύθησαν. Id est: *Tabii, opidum Italiæ, in qua Remus educatus* eruditusque fuit. At *Tibur* opidum ab Euandri sociis conditum fuisse, mox infrà patebit. Ab iisdem igitur Pelasgis atque Aboriginibus, id est, à primis Latinis, quorum regem fuisse Euandrum, suprà cap. I & II demonstratum est, aut conditos fuisse, aut, pulsis inde prioribus incolis Siculis, occupatos, certum est. Sed hoc disertè etiam, nescio quos sequutus auctores antiquos testatur Solinus cap. VIII. *Notum est*, inquit, *Gabios à Galatio & Bio, Siculis fratribus, constitutos.* Adeò validam potentemque antiquissimis illis temporibus fuisse urbem, uti Tarquinius Superbus, quum jam omne priscum Latium subegisset, vi hanc capere nequiret, tradunt Romæ historiæ. Livius lib. I: *Excepit deinde eum lentius spe bellum, quo Gabios, propinquam*

quam urbem, nequidquàm vi adortus. quum obsidendi quoque urbem spes pulso à mœnibus adempta esset; postremò, minimè arte Romanâ, fraude ac dolo adgressus est. nam, quum, velut posito bello, fundamentis templi jaciendis aliisque urbanis operibus intentum se esse simularet: Sextus, filius eius, qui minimus ex tribus erat, transfugit ex composito Gabios; patris in se sævitiam intolerabilem conquerens. Verùm quia sequentia paullo prolixiùs à Livio narrantur compendium totius historiæ è Valerio Maximo citabimus. is lib. VII cap. III, *Sextus*, inquit, *Tarquinius, Tarquinii filius, indignè ferens, quòd patris viribus expugnari Gabii nequirent; valentiorem armis excogitavit rationem, qua interceptum id opidum Romano imperio adiiceret. subitò namque se ad Gabinos contulit; tamquàm parentis sævitiam & verbera, quæ voluntate suâ perpessus erat, fugiens. at paullatim uniuscuiusque fictis & compositis blanditiis adliciendo benevolentiam, ut apud omneis plurimum posset, consequutus; familiarem suum ad patrem misit, indicaturum, quemadmodùm in suâ manu haberet universa; & quæsiturum, quidnam fieri vellet. Iuvenili calliditati senilis astutia respondit. siquidem re eximiâ delectatus Tarquinius; fidei autem nuncii parum credens; nihil respondit: sed seducto eo in hortum, maxima & altissima papaverum capita baculo decussit. Cognito adolescens silentio patris simul ac facto, causam altioris argumenti pervidit: nec ignoravit, præcipi sibi, ut excellentissimum quemque Gabinorum aut exsilio amoveret, aut morte consumeret. Ergo spoliatam bonis propugnatoribus civitatem tantùm non vinctis manibus ei tradidit.* Eamdem historiam Ovidius refert Fastor. lib. II: sed longè fusiùs Dionysius dicto lib. IIII. Iam inde sub Augusti imperio desertam fuisse plurimâ sui parte urbem, complures testantur auctores. Cicero in oratione pro Cn. Plancio: *Nisi fortè te Lavicana aut Bovillana aut Gabina vicinitas adjuvabat: quibus è municipiis vix jam, qui carnem Latinis petant, inveniuntur.* Horatius epist. XI libri primi:

Scis, Lebedus quàm sit Gabiis desertior atque
Fidenis vicus.

Propertius lib. IIII eleg. I:

Quidpe suburbanæ parvâ minus urbe Bovillæ;
Et, qui nunc nulli, maxima turba Gabii.

Dionysius dicto lib. IIII, in historiâ Tarquinii: Νῦν μὲν οὐκέτι σπουδάζεται πᾶσα, πολλὴ ὅσα μέρη παυδοκεῖον καὶ τὴν ὁδὸν. τότε δὲ πολυάνθρωπος, καὶ εἴ τις ἄλλη, μεγάλη. πυκνήρεις δ' αὐτῆς αὐτῆς τὸ μέγεθος καὶ ἀξίωσιν, ἐρείπια θεατρίδων οἰκιῶν πολλαχῆ, καὶ τείχους κύκλον· ἔτι γὰρ ἔστηκεν αὐτοῦ τὰ πολλά. Id est: *Nunc equidem haud tota urbs habitatur: sed ea tantùm pars, quæ ad viam frequentatur diversoriis. tunc verò populosa erat, &, si qua alia, ampla ac magna: sicuti conjecturam sumere licet è ruinis ædificiorum, passim exstantibus, & mœnium ambitu; quæ hodiéque supersunt maximâ sui parte.* Causam, cur vicina Romanæ urbi opida sic deserta fuerint, Lucanus bellis civilibus adscribit. Verba eius lib. VII hæc sunt de pugna Pharsalicâ:

Ergo utrimque pari concurrunt agmina motu
Irarum. metus hos, regni spes excitat illos.
Hæ facient dextræ, quidquid non expleat ætas
Vlla; nec humanum reparet genus omnibus annis;
Vt vacet à ferro, genteis Mars iste futuras
Obruet; & populos ævi venientis in orbem
Erepto natale feret, tunc omne Latinum
Fabula nomen erit. Gabios Veiosque Coramque
Pulvere vix tectæ poterunt monstrare ruinæ,
Albanosque Lareis Laurentinosque penateis:
Rus vacuum; quod non habitet, nisi, nocte coactâ,
Invitus quæstusque Numam jussisse senator.
Non ætas hæc carpsit edax, monumentaque rerum
Patria. destituit crimen civile. videmus
Tot vacuas urbeis.

Cæterùm Pelasgi Græci, quorum pars in Etruriâ consedit, pars, cum Aboriginibus conjuncti, Latini dicti sunt; ut in Etruriâ apud Falerios & Perusiam maximè, in Latio verò hoc nostro apud Lanuvium, *Iunonem Argivam*, sic heic etiam apud Gabios religiosissimè coluerunt. Virgilius Aeneid. lib. VII:

Quique altum Præneste viri, quique arva Gabinæ

Iunonis, gelidumque Anienem & roscida rivis
Hernica saxa colunt.

Et Virgilii religiosissimus ubique imitator Silius, lib. XII:

—— Nec amœna retentant
Algida; nec juxtà Iunonis tecta Gabinæ.

Restat, antequàm ab Gabiorum descriptione digrediamur, uti nomen eorum apud Diodorum, in vulgatis exemplaribus fœdè corruptum, à mendo purgetur. Locus is est fine lib. XIIII huiusmodi: Τῶν δ' ἀπηλλυθότων Γαλατῶν ἀπὸ Ῥώμης Οὐεάσκιον τὴν πόλιν, σύμμαχον ὄσαν Ῥωμαίων, πορθέντων, ἐπιθέμενος αὐτοῖς ὁ αὐτοκράτωρ, ἐ σὺν πλείοσι ἀπεκλείνας, τὴν ἀποσκεδὴς πάσης σκυλεύζειν. ἐν ᾗ καὶ τὸ χρυσίον, ὀφειλόμενον εἰς Ῥώμην, καὶ σχεδὸν ἅπαντα τὰ διηρπασμένα καὶ τὴν τῆ πόλεως ἅλωσιν. Hæc interpres Latinus sic vertit: *Galli, à Româ digressi, Veascium, urbem Romanis confœderatam, oppugnabant. in hos impressionem faciens dictator, plurimos occîdit, omnibusque impedimentis, inter quæ etiam aurum fuit, quod Romæ adpensum erat, & universa propè, quæ urbe captâ in prædam venerant, potitur.* Sed notandum, Diodorum non dicere, οἱ Γαλάται ἐπόρθουν· verùm τῶν Γαλατῶν ἀπηλλυθότων. ubi mendum orationis maximè adparet, quòd particula καὶ non interjecta sit; quæ incuriâ librarii, seu temporis injuriâ interiit, sive corrupta est. Certè Οὐεάσκιον, *Veascium opidum* nullibi aliàs reperitur toto Orbe terrarum, nedum prope Romam, aut in Italiâ. Itaque locum Diodori sic restituendum censeo: Τῶν δ' Γαλατῶν ἀπηλλυθότων ἀπὸ Ῥώμης, καὶ Γαβίας τὴν πόλιν, σύμμαχον ὄσαν Ῥωμαίων, πορθέντων, ἐπιθέμενος αὐτοῖς ὁ αὐτοκράτωρ, καὶ σὺν πλείοσι ἀπεκλείνας, τὴν ἀποσκεδὴς σκυλεύζειν. Quæ sic verto: *Quum Galli, ab urbe Româ digressi, Gabios, urbem Romanis sociam, oppugnarent; superveniens dictator, plurimos eorum occîdit; omnibusque impedimentis potitus est.* Confirmatur hæc correctio auctoritate Livii, qui suprà dicto lib. V, postquàm narravit, qua ratione Camillus Gallos in Vrbe captâ vicerit expulerit; *Iustiore*, inquit, *altero deinde prælio ad octavum lapidem, Gabinâ viâ, quo se ex fugâ contulerant, eiusdem ductu auspicioque Camilli vincuntur: ibi cædes omnia obtinuit; castra capiuntur; & ne nuncius quidem cladis relictus.* Postridiè, quum Vrbe expulsi erant, id factum esse ad Gabios, sive circa Gabios, lib. VI & XXII tradit; ut suprà citavimus. Sed de Gabiis satis.

TIBVR opidum.

TIBVR hinc, in initio suprà dicti montium jugi positum apùd Anienem amnem, vulgò nunc vocitatur incolis *Tivoli*; antiquum, si quod aliud, Latii veteris opidum. Memoratur Varroni, Virgilio, Ovidio, Propertio, Horatio, Livio, Straboni, Silio, Martiali, Statio, Svetonio, Appiano, Ptolemæo, Solino, Itinerariis, Martiano Capellæ, Procopio, Stephani epitomatori, & aliis. Opidani inde dicuntur TIBVRTES. Varro de Latinâ lingvâ lib. VII: *A Tibure Tiburs.* Et lib. VIII: *A Tibure Tiburtes.* Item Rusticar. rer. lib. I cap. VIII: *In agro Tiburti.* Cicero de Oratore lib. II: *In Tiburti fortè adsedimus ego & Marcus filius.* In oratione pro A. Cluentio: *In Tiburte quum fortè adsedissemus ego & Brutus filius; Tiburtem fundum requirebat.* Virgilius Aeneid. lib. VII:

Tela novant Atina potens Tiburque superbum.

Et aliquanto post:

Tum gemini fratres Tiburtia mœnia linquunt.

Ovidius Fastor. lib. VI:

Est illic mensis Iunonius: adspice Tibur

Et item posteà:

Exsilio mutant Vrbem; Tiburque recedunt.
Exsilium quodam tempore Tibur erat.

Horatius Carm. lib. I odâ VII: *—— Seu te fulgentia signis*
Castra tenent; seu densa tenebit
Tiburis umbra tui.

Svetonius in Augusto, cap. LXXII: *Ex secessibus præcipuè frequentavit maritima, insulasque Campaniæ; aut proxima Vrbi opida, Lanuvium, Præneste, Tibur.* Agellius lib. XVIIII cap. V: *In Tiburterus concesseramus.* Paullo pòst: *Promit è bibliothecâ Tiburti Aristotelis librum.* Sic alii etiam auctores, quos mox adducam. sic ipse item Livius lib. VII: *Revertentibus inde Tiburtes portas clausère. ea ultima fuit causa, cur bellum Tiburti populo indiceretur.* Aliquanto pòst: *Gallorum exercitus in Tiburtem agrum, atque inde, societate belli factâ, commeatuque benignè à Tiburtibus adjutus, mox in Campaniam transiit.* Atque ita eodem libro quàm frequentissimè. item lib. VIII: *Pedanos tuebatur*

batur Tiburs, Prænestinus, Veliternusque populus. Et paullo pòst: *Neque tamen nisi admodùm à paucis populis Pedani adjuti sunt. Tiburtes Prænestinique, quorum ager propior erat, Pedum pervenêre.* Eo magis miror, mox lib. VIIII dici eidem Livio TIBVRTINOS. *Legatos*, inquit, *Tibur miserunt, ut darent operam, ut hi homines Romanis restituerentur. Tiburtini benignè polliciti.* Verbo hoc etiam vocabulo usi sunt pro possessivo passim Romani. Seneca de Beneficiis lib. IIII cap. XII: *Nemo, Tusculanum aut Tiburtinum emere paratus salubritatis causâ & æstivi secessus, quoto anno empturus sit, disputat.* Svetonius in vitâ Horatii: *Vixit plurimùm in secessu ruris sui Sabini, aut Tiburtini. domusque eius ostenditur circa Tiburni lucum.* Martialis lib. IIII epigram. LVII:

Nunc Tiburtinis cedite frigoribus.

Lib. VII epigram. XXVII:

Sic Tiburtinæ crescat tibi silva Dianæ.

Et epig. LXXVIII: *Qui Tiburtinas pascere possit oves.*

Spartianus in Hadriano imperatore: *Tiburtinam villam mirè exadificavit.* Seneca Epist. CXVIII: *Vtrùm sit aureum poculum, an crystallinum, an myrrhinum, an Tiburtinus calix, an manus concava, nihil refert.* Sed & opidani Dionysio, ut mox videbimus, dicuntur Τιβυρτῖνοι, *Tiburtini*. Cæterùm opidi nomen apud Appianum Civil. bellor. lib. I legitur corruptum Τυρβητὸν· rectiùs autem & sine mendo posteà lib. III bis τὸ Τίβυρον, *Tiburum*. nam plerique Græcorum id plurali numero dixêre τὰ Τίβυρα, sive τὰ Τίβερα, *Tibura*. Stephani epitomator: Τίβυρις, πόλις Ἰταλίας· Ἀρτεμίδωρος τετάρτῳ Γεωγραφουμένων· Εἴσι δὲ καὶ μεσογείως ἡ Τίβυρα πόλις, Ἕλλωσι τῶν ἀρχαίων γενῆα, ἀπέχουσα ἀπὸ Ῥώμης σταδίους ἑκατὸν τεσσαράκοντα ἑπτά. Τὸ ἐθνικὸν Τιβυρτῖνος. Νικάνωρ δέ, ὁ Ἑρμείου, Τίβερα ταύτην καλεῖ, καὶ τὸ ἐθνικὸν Τιβερῖνος· ὃ καὶ ἀναλογώτερον· ἐν ᾗ Τιβερῖνιον πέμπουσι. Id est: *Tiburis, opidum Italiæ: Artemidorus Geographicorum lib. IIII: Est & in mediterraneo Tibyra urbs, Græcæ originis, distans ab Româ stadia CXLVII. Gentilitium inde Tibyrtinus. At Nicanor, Hermei filius, hanc Tibura vocat; & gentilitium Tiburinus: quod magis etiam analogiæ respondet. in eâ templum est Tiburinum.* Sic Dionysio quoque Halicarnassensi plurali numero est τὰ Τίβυρα, & Straboni τὰ Τίβερα. quorum utrumque rectè Latinè redditur *Tibura*. Posteriorìs ævi grammatici, hodiéque plerique, opidò quàm imperitè faciunt, dum in primâ syllabâ Græcam literam υ perscribunt, *Tybur*; ut & in fluminis nomine *Tyberis*, & quæ inde deducta fuêre *Tyberius*, *Tyberinus*. in quibus omnibus numquàm ipsi Græci nisi simplex ι scripsisse reperiuntur. Sed videamus Strabonem. Is lib. V, Ἡ Οὐαλερία ἣ ὁδὸς, inquit, ἀρχὴ ἀπὸ Τιβέρων. id est: *Valeria via incipit à Tiburis.* Et mox: Ἐν ὄψει δὲ ἐσὶ τοῖς ἐν Ῥώμῃ Τίβερά τε καὶ Πραίνεσ. Id est: *In conspectu Romæ sunt Tibura & Prænestus.* Sic & Dionysius lib. V: Ὁ πλησίος Ἀνίων ἐκ πόλεως Τιβύρων καθ' ὑψηλῆς πολύς ἐκχεῖται σκοπέλου. Hoc est: *Anio amnis ex Tiburis per altam rupem copiosus effunditur.* Apud Plutarchum in Quæstionibus Romanis legitur, ἐν τῇ Τιβέριδι. Cæterùm de origine urbis modò è Stephano audivimus, Græcam eam fuisse. cui Artemidori testimonio consentiens Strabo, loco proximè dicto, hæc addit: Φασὶ δὲ Ἕλλωίδας ἀμφοτέρας. id est: *Aiunt autem Græcanicam utramque esse urbem.* Hinc Horatius Carm. lib. II odâ VI: *Tibur Argéo positum colono.* Ovidius Fastor. lib. IIII; ubi recensèt, qui Græcorum populi quas colonias in Italiam deduxerint:

Et jam Telegoni, jam mœnia Tiburis udi
Stabant; Argolicæ quæ posuere manus.

Et Amor. lib. III eleg. V, de Aniene loquens:

Nec te pratereo, qui per cava saxa volutus
Tiburis Argéi spumifer arva rigas.

Virgilius Aeneid. lib. VII:

Tum gemini fratres Tiburtia mœnia linquunt,
Fratris Tiburti dictam cognomine gentem
Catillusque acerque Coras, Argiva juventus.

Ad hæcita Servius: *De Græciâ tres fratres venerunt ad Italiam, Catillus, Coras, Tiburs vel Tiburnus. hi simul omnes unam fecêre civitatem; & eam de fratris maioris nomine Tibur adpellaverunt. licèt & alias fecerint singuli. Nunc ergo dicit duos ad bella venisse, dimisso in civitate ad custodiam Tiburno, vel Tiburte.* Hoc nomen *Tiburni* nescio an habuerit ab Horatio; qui Carmin. lib. I odâ VII ita canit:

Me nec tam patiens Lacedæmon,
Nec tam Lariſſæ percuſſit campus opimæ,
Quam domus Albuneæ reſonantis,
Et præceps Anio, & Tiburni lucus, & uda
Mobilibus pomaria rivis.

Ad quem locum ita vetus commentator: *Munatium Plancum adloquitur, conſularem virum, Tiburtem origine. in cuius gratiam dicit, quum diverſis poëtis ſtudium ſit diverſas inſulas opidaque certorum numinum gratiâ celebrare carminibus; ſibi Tibur eſſe laudandum; cuius voluptate capiatur & amœnitate; nec non Albuneæ nymphæ, eiusdem vicini nemoris deæ. Tibur autem Tiburnus condidit: à quo nomen eſt civitati. hic fuit filius Catilli, filii Amphiarei.* Silius lib. VIII:

Hinc Tibur, Catille, tuum.

Statius Silvar. lib. I carm. III; quo Manlii Vopiſci celebrat *villam Tiburtinam:*

Heic tua Tiburteis Faunos chelys, & juvat ipſum
Alciden, dictumque lyrâ maiore Catillum.

Ipſe iterum Horatius eiusdem libri odâ XVIII:

Circa mite ſolum Tiburis, & mœnia Catili.

Ad hæc ſic commentator: *Supra oſtenſum eſt, Catilum & Coracen fratres eſſe Tiburni; cuius nomine Tibur conditum eſt.* Plinius lib. XVI cap. XLIIII: *Tiburtes originem multo ante urbem Romam habent. apud eos exſtant ilices tres, etiam Tiburto, conditore eorum, vetuſtiores: apud quas inauguratus traditur. Fuiſſe autem eum tradunt filium Amphiarai, qui apud Thebas obierit unâ ætate ante Iliacum bellum.* Quum *ætatis* ſpacium vario annorum numero veteribus Græcis pariter atque Latinis computatum fuerit: incertum eſt, quot annorum ætatem intellexerit Plinius. at Apollodorus lib. I Amphiaraum hunc, Oeclei filium, unum ex ducibus Argivis, qui bello Thebano interfuerint, tradit. At Argonautarum expeditio in idem ferè collocatur ab chronologis hiſtoricisque tempus, quo Euander Arcas in Italiam adveniſſe traditur. Hinc igitur Martianus Capella lib. VI: *Tibur Catillus condidit, præfectus claſſis Euandriæ.* Et Solinus cap. VIII: *Tibur, ſicut Cato facit teſtimonium, conditum à Catillo Arcade, præfecto claſſis Euandri: ſicut Sextius, ab Argivâ juventute. Catillus enim, Amphiarai filius, poſt prodigialem patris apud Thebas interitum, Oeclei avi juſſu, cum omni fœtu ver ſacrum miſſus, treis liberos in Italiâ procreavit, Tiburtum, Coram, Catillum. qui, depulſis ex opido Siciliæ veteribus Sicanis, à nomine Tiburti fratris, natu maximi, urbem vocarunt.* Nullos in Italiâ umquàm fuiſſe *Sicanos* populos; ſed *Siculos*, ex vetuſtiſſimâ illâ ac primâ *Siciliâ*, quæ poſteà *Italia* ac *Saturnia* & tandem *Latium* dicta, pulſos in inſulam *Sicaniam* profectos, promiſcuè heic ab Græcis primùm auctoribus, mox etiam à Latinis, Sicanos quoque adpellatos fuiſſe: atque hinc tandem poſteriores ſcriptores eodem vocabulo in Italicis adhuc rebus eos nominaſſe; ſuprà cap. I huius libri III, & item lib. I cap. I dictum eſt. Conſtat igitur jam ex præſcripti Sextii teſtimonio, ab iis hominibus, non equidem conditum, ſed occupatum denominatumque fuiſſe opidum *Tibur*, qui Siculos ex Latio ejecerunt. At hi fuêre, ut ſuprà cap. I & II oſtenſum, Aborigines atque Pelaſgi, uno nomine ſub Euandro rege Latini dicti. Vtramque autem gentem ex Peloponneſo ſive Arcadiâ profectam fuiſſe; ſeu, ut Dionyſius lib. I ait, ab *Argo Achaico*: unde tandem promiſcuè nunc *Arcades* nunc *Argivi* dicti fuêre; ſuprà lib. II cap. & lib. III cap. I ac II demonſtratum eſt. Hinc igitur Dionyſius præfato lib. I, ubi opida Sabini agri enarravit, quæ prima *Aborigines*, ab Siculo freto, ubi *Oenotri* dicebantur, huc profecti, tenuerunt; ver ſacrum eos emiſiſſe in conterminos agros tradit his verbis: Τέτῳ δὴ τῷ νόμῳ χρώμενοι καὶ τότε τῶν Ἀβοριγίνων λυπὲς, αὐθιγένταν ἀνδράσι τὴν χωρίων, θεῶν ὁτῳοῦν ἢ καθιερώσαντες ἐνιαυσίους γονὰς, ἀνδρωθέντας ἀποικίζουσι σφῶν παῖδας ἐκ τῆς σφετέρας· οἱ σφῶν Σικελὲς ἀγονίες καὶ φέρονίες διετέλουν, ἐπειδὴ πλῶ ἑαυτῶν ἐξέλιπον. Ὡς δ' ἄπαξ ἔτοι χωρίων λυπῶν τῆς πολεμίας ἐκράτησαν, ἐκ δ' ἀλίφαλες ἤδη καὶ οἱ λοιποὶ Ἀβοριγῖνες, οἱ δεύτεροι γῆς, τῆς κατὰ σφᾶς ἕκαστοι ἐπεχείρουν τοῖς ὁμόροις. καὶ πόλις ἔκλυσαν ἄλλας τε λυπὰς, ἐ τὰς μέχρι τῶνδε οἰκεμένας, Λατίνας τε καὶ Τολλωῖς, καὶ Φικυλλῆς, καὶ Τιβερῖνες· παρ' οἷς ἔτι καὶ εἰς τόδε χρόνε μέρ@λι τὸ πόλεως ὀνομάζε) Σικελιών. Id eſt: *Ex hoc more tunc quoque Aboriginum quidam, regione ſuâ viris florente, numini cuipiam ſacratis unius anni fœtibus; hos, ut primùm virilem ætatem attigiſſent, colonos miſerunt extra regionem ſuam: qui Siculorum res agere ac ferre*

non

non desierunt, ex quo patriam terram reliquerunt. Vt verò hi semel partem aliquam agrorum ex hostico adepti sunt, tutiùs jam & reliqui Aborigines, agrorum inopes, adgrediebantur suos quisque conterminos. condideruntque, præter alias urbeis, hæc, quæ hodiè quoque incoluntur, Antemnateis, Tellenenseis, Ficulenseis, atque Tiburtinos: apud quos in hoc usque tempus pars quædam urbis dicitur Sicilio. Narrat hinc, quo pacto Pelasgi tunc in Italiam advenerint, & in Sabinorum agrum ad Aborigines sese contulerint: à quibus in partem agrorum recepti, communibus posteà opibus bellum cum ipsis contra Siculos gesserunt, donec tota hac inter Narem & mare Inferum orâ eos expulerint. Euandrum tunc Pelasgorum fuisse ducem; nomenque *Latinorum* suis simul Pelasgis simulque Aboriginibus post obitum horum regis imposuisse, dicto cap. I & II huius libri III ostensum est. Hinc igitur conditor Tiburis *Catillus* fertur *præfectus* fuisse *classis Euandri*; natione, secundùm alios Arcas, secundùm alios Argivus. Summa itaque huius quoque urbis est antiquitas: ut quæ jam inde ante Pelasgorum in Italiam adventum, id est, annis circiter CIↃ IↃ XIII ante Iesum Christum natum, ab Siculis habitata fuit. Totius urbis an tunc nomen fuerit SICILIO, incertum est. quamquàm ego suspicer, præscripto loco Solinum scripsisse, *depulsis ex opido Sicilio veteribus Sicanis.* cæteroquin enim addidisse debebat, quam heic intellexerit *Siciliam* Sextius. Novi cultores *Latini* an aliquid novi operis antiquo opido unà cum novo *Tiburis* nomine addiderint, haud facilè dixerim. id tamen conjeceris ex eo, quòd condidisse id Aborigines Dionysius tradit. Ad utramque Anienis ripam opidum positum fuisse, patet ex eiusdem Dionysii hisce verbis; ὁ Ἀνίηνὸς ἐκ πόλεως Τιβύρων ἐκχέεται· id est; *Anio amnis ex urbe Tiburis effunditur.* Item ex istis Horatii Carmin. lib. IIII odâ III:

—— *Qua Tibur aquæ fertile perfluunt.*

Maiorem tamen urbis partem ab sinistrâ fuisse ripâ, ex eo colligitur, quòd, Sabinis agros inter Narem Anienemque tenentibus, urbs ea Latio semper adcensita fuit. Dionysius lib. V, inter alios Latii populos, qui ad lucum Ferentinæ sub Albano monte in concilium de bello pro Tarquiniis ejectis contra Romanos gerendo deliberaturi coiverant, καὶ Τιβουρτίνους, *Tiburtinos*, quoque nominat. & Cicero in oratione pro L. Cornelio Balbo, *Cum Latinis omnibus*, inquit, *fœdus ictum Sp. Cassio, Posthumio Cominio consulibus, quis ignorat? quod quidem nuper in columnâ æneâ meminimus post Rostra inciſum & perscriptum fuisse. Quomodò igitur L. Cassinus Tiburs, damnato Cœlio, quomodò ex eâdem civitate T. Coponius, damnato C. Massone, civis Romanus est factus.* Consules unà Romæ fuêre Sp. Cassius Viscellinus iterum & Posthumius Cominius Auruncus iterum anno urbis CCLXI. Hinc item Catullus Carm. XLV:

O funde noster, seu Sabine, seu Tiburs,
(Nam, te esse Tiburtem, autumant, quibus non est
Cordi Catullum lædere. at, quibus cordi est,
Quovis Sabinum pignore esse contendunt.)
Sed seu Sabine, sive verius Tiburs;
Fui libenter in tuâ suburbanâ
Villâ; malamque pectore expuli tussim.

Scilicet, quia agris Tiburtis altera pars ab dextrâ erat Anienis ripâ, in Sabinis; illic verò villam suam habuit Catullus: Sabinam eam esse alii contendebant; ipse verò Tiburtem maluit dici, quia Tiburtes erant Latii populi. Sic Svetonius quoque suprà scripto loco in vitâ Horatii inter Tiburtem & Sabinum agrum disertè distinxit. Strabo item, longè post Sabini agri expositionem, inter Latinas urbeis refert *Tibur*; atque unà cum eo Ptolemæus. Vnus igitur vehementer erravit Plinius, inter Sabinos populos computans & *Tiburtes*, lib. III cap. XII. Splendidam atque potentem antiquissimis etiam temporibus eam fuisse urbem, ostendit Virgilius Aeneid. lib. VII, his verbis:

Quinque adeò magnæ positis incudibus urbes
Tela novant; Atina potens, Tiburque superbum,
Ardea, Crustumerique, & turrigeræ Antemnæ.

Sed potentia eius inde maximè adparet, quòd (si historiis Romanis credimus) florentem jam populum Romanum, ac bello felicissimum, sibi desumpserit hostem: quod Livius tradit lib. VII; ubi etiam, aliquot sub ditione eius fuisse opida, testatur

EMPVLVM *opidum.* his verbis: EMPVLVM *eo anno ex Tiburtibus captum.* Factum hoc C. Sulpicio Petico tertiùm & M. Valerio Poplicolâ consulibus, anno urbis Romæ cccc xcviiii. Sequentibus consulibus hæc ibidem narrat Livius: *Duo bella eo anno prosperè gesta: cum Tiburtibusque ad deditionem pugnatum.* SASSVLA *ex his urbs capta. cæteraque opida eamdem fortunam habuissent, ni universa gens, positis armis, in fidem consuli venisset. Triumphatum de Tiburtibus.* Quibus locis ea opida fuerint, incertum est. Posterioribus etiam temporibus, sub Romanis imperatoribus, quum jamdudum Aequorum quoque gens in Latii Novi nomen transisset; in hanc usque ditio Tiburtium protensa fuit; si Tacito, gravissimo scriptori, credimus. is quidpe Annal. lib. xiiii sic habet: *Igitur, quasi jam depulso Nerone, quis nam diligeretur, inquirebant. & omnium ore Rubellius Plautus celebrabatur; cui nobilitas per matrem ex Iuliâ familiâ. auxit rumorem pari vanitate orta interpretatio fulguris. nam, quia discumbentis Neronis apud Simbruina stagna* [deest fortè, *in villâ*] *cui Sublaqueum nomen est, ictæ dapes mensaque disjecta erat; idque finibus Tiburtum acciderat; unde paterna Plauto origo; hunc illum numine deûm destinari credebant.* Ad dextram Anienis ripam xx millia passuum villam istam, quæ posteà opidum evasit, sitam esse, suprà lib. ii cap. xvi ostensum est. *Municipium* fuisse *Tibur*, complures lapidum inscriptiones, quæ heic exstant, testantur. & Plinius lib. xiiii cap. iii, *Municipii uvam*, inquit, *Pompeii nomine adpellant; quamvis Clusinis copiosiorem. municipii & Tiburtes adpellavêre; quamvis oleaginam nuper invenerint à similitudine olivæ.* De cætero nobilitata maximè urbs fuit templo HERCVLIS, compluribus auctoribus memorato: quod apud Stephani epitomatorem suprà scripto loco corrupto vocabulo legitur Τιβυρνίων πόλις, pro Τιβυρτῖνον, id est, *Tiburinum fanum.* namque ait, Nicanorem gentilitium fecisse Τιβυρτῖνος, *Tiburinus.* Strabo dicto lib. v: Τίβυρα, ἢ τὸ Ἡρακλεῖον. *Tibura; ubi Herculis est fanum.* Propertius lib. ii eleg. xxxii:

HERCVLIS *Tiburtini templum.*

Curve te ni Herculeum deportant esseda Tibur.

Silius lib. iiii:

Quosque sub Herculeis taciturno flumine muris
Pomifera arva creant, Anienicolæque Catilli.

Statius Silvar. lib. i carm. iii; quo Manlii Vopisci villæ Tiburtinæ celebrat amœnitatem:

Quòd in templa darent alias Tirynthia sorteis,
Et Prænestinæ poterant migrare sorores.

Tirynthius passim poëtis vocatur *Hercules*, ab Argiæ opido *Tirynthe*; ubi nutritus fertur. Porrò Statius paullo pòst:

Heic tua Tiburteis Faunos chelys, & juvat ipsum
Alciden, dictumque lyrâ maiore Catillum.

Et Silvar. lib. iii carm. i, de Hercule Surrentino:

Nec mihi plus Nemee priscumque habitabitur Argos,
Nec Tiburna domus, Solisque cubilia Gades.

Quatuor nominavit loca, in quibus omnium celeberrimus erat cultus *Herculis*; *Nemeam, Argos, Tibur*, & *Gades*: cum quibus locis heic comparat ædem *Herculis Surrentini.* Iuvenalis Sat. xiiii:

Ædificator erat Centronius: & modò curvo
Litore Caietæ, summâ nunc Tiburis arce,
Nunc Prænestinis in montibus, alta parabat
Culmina villarum Græcis longéque petitis
Marmoribus; vincens Fortunæ atque Herculis ædem.

Fortunæ ædem Præneste, Herculis Tibure. Martialis lib. i epigram. xiii:

Itur ad Herculei gelidas quà Tiburis arceis.

Lib. iiii epigram. lxiiii:

Tibur in Herculeum migravit nigra Lycoris:
Omnia dum fieri candida credit ibi.

Lib. vii epigram. xii:

Dum Tiburtinis albescere collibus audit
Antiqui dentis fusca Lycoris ebur;
Venit in Herculeos colleis. Quid Tiburis alti
Aura valet? parvo tempore nigra redit.

Sveto-

Svetonius in Augusto, cap. LXXII: *Ex secessibus præcipuè frequentavit maritima insulasque Campaniæ; aut proxima urbi opida, Lanuvium, Præneste, Tibur: ubi etiam in porticibus Herculis templi persæpè jus dixit.* Et in Caligulâ cap. VIII: *Cn. Lentulus Gætulicus Tiburi genitum scribit.* Mox: *Gætulicum refellit Plinius, quasi mentitum per adulationem; ut ad laudes juvenis glorioſique principis aliquid etiam ex urbe Herculi sacrâ sumeret.* Haud postremæ structuræ magnitudinisque fuisse hoc templum, ex tantâ celebritate maximè colligo. Agellius lib. XVIIII cap. V: *Promit è bibliotheca Tiburti, quæ tunc in Herculis templo satis commodè instructa libris erat, Aristotelis librum.* Et lib. VIIII cap. XIIII: *Meminimus & in Tiburti bibliothecâ invenire nos in eodem Claudii libro scriptum utrumque.* Thesaurum quoque huius templi adnotavit Appianus Civil. bellor. lib. V; ubi sic de Cæsare Augusto scribit: Καῖσαρ ὃ ἐκ τῶν ἱερῶν ἐδανείζετο τὰ χρήματα, ἀπὸ τῆς Ῥώμης ἐκ τῆς Καπιτωλίας, καὶ ἀπὸ Ἀντίου καὶ Λανουβίου καὶ Νεμόρης καὶ Τίβυρος· ἐν αἷς μάλιστα πόλεσι καὶ νῦν εἰσι θησαυροὶ χρημάτων ἱερῶν δανειζόμενοι. Hoc est: *Cæsar è fanis pecunias mutuò accipiebat; nempe, ab Capitolio Romanæ urbis, ab Antio, Lanuvio, Nemore, Tiburc. in quibus civitatibus nunc etiam sunt thesauri grandes sacrarum pecuniarum.* Sanè minùs scitè conjicere videntur ii, qui id Herculis fuisse templum arbitrantur, quod hodiéque in sinistrâ Anienis ripâ, apud ipsam amnis catarractam, in rupe conspicitur rotundâ formâ, columnis compluribus pervetusti operis sustentum. huius quidpe magnitudo tantæ celebritati minimè respondet. Alii Albuneæ deæ hoc putant fuisse fanum. verùm hi etiam quàm longè aberrent, suprà lib. II cap. X perspectum est. Ego verò TIBVRNI DEI AEDEM fuisse crediderim; Statii maximè inductus verbis, quæ Silvar. lib. I carm. III, quo MANLII VOPISCI describitur VILLA TIBVRTINA, sunt huiusmodi:

Cernere facundi Tibur glaciale Vopisci,
Si quis & inserto geminos Aniene penateis,
Aut potuit sociæ commercia noscere ripæ.
——— *Nemora alta citatis*
Incubuêre vadis: fallax responsat imago
Frondibus; & longas eadem fugit umbra per undas.
Ipse Anien, (miranda fides) infrâque superque
Saxeus, hæc tumidam rabiem spumosaque ponit
Murmura; ceu placidi veritus turbare Vopisci
Pieriosque dies & aventeis carmina somnos.
Litus utrumque domi: nec te mitissimus amnis
Dividit: alternas servant prætoria ripas.
Non externa sibi fluviumve obstare queruntur.
Heic æterna quies; nullis heic jura procellis:
Nusquàm fervor aquis. datur heic transmittere visus,
Et voces, & pænè manus. Venerabile dicam
Lucorum senium? te, qua vada fluminis infrà
Cernis? an, ad silvas quæ respicis aula tacenteis?
An, quæ gramineâ suscepta crepidine fumant
Balnea, & impositum ripis algentibus ignem?
Quaque, vaporiferis junctus fornacibus, amnis
Ridet anhelanteis vicino flumine nymphas.
Quid referam alternas gemino super adgere mensas,
Albenteisque lacus, altosque in gurgite fonteis?
Teque, per obliquum penitus quæ laberis amnem,
Marcia, & audaci transcurris flumina plumbo?
Illis ipse antris Anienus fonte relicto,
Nocte sub arcanâ glaucos exutus amictus,
Huc illuc fragili prosternit pectora musco,
Aut ingens in stagna cadit, vitreasque natatu
Plaudit aquas. illâ recubat Tiburnus in umbrâ.
Illic sulfureos cupit Albula mergere crineis.

Hanc Manlii Vopisci villam supra Tibur fuisse & alii hactenus opinantur, & ipse

ego

ego duobus maximè colligo argumentis, quæ hac in descriptione Statii deprehendo. primum hisce inclusum est verbis:

Ipse Anien, (miranda fides) infráque superque
Saxeus, heic tumidam rabiem spumosáque ponit
Murmura.
Heic aterna quies: nullis heic jura procellis:
Nusquàm fervor aquis.

Hæc sanè descriptio nulli alii Anienis parti convenit, quàm quæ protinus supra opidum gramineis depressisque ac planis latiusque patentibus ripis includitur. Supra hunc locum totus amnis alveus versùs fonteis *saxeus* est; flumenque cum murmure, nonnumquàm etiam cum fragore dejicit. infrà verò mox sequitur catarracta illa amnis seu præcipitium ingens, quod suprà lib. 11 cap. x in Anienis descriptione indicavimus. Infra catarractam hanc per apertos planosque jam campos fertur amnis in Tiberim usque. Alterum documentum est in *aquâ Marciâ:* quæ ex Marsis, ut suprà lib. 11 cap. x intellectum, & Fucino lacu in urbem Romam deducta, infra Tibur Anienem non ampliùs prosequebatur: sed supra opidum in campos descendebat, qui inter Anienem & Tusculanos monteis interjecti sunt. Huic igitur Vopisci villæ, suprà Tibur sitæ, propinquum fuisse TIBVRNI DEI LVCVM & FANVM, patet ex eo, quòd Statius ait, *Tiburnum recubare in illâ umbrâ, sive in illo antro*, ex quo *Marcia aqua* in *plumbeos* tubos, *obliquum Anienem transcursura*, profluebat. à quo antro Albuneam deam satis apertè removet hoc versu:

Illic sulfureos cupit Albula mergere crineis.

Item his verbis:

An quæ gramineâ suscepta crepidine fumant
Balnea, & impositum ripis algentibus ignem?
Quáque vaporiferis junctus fornacibus amnis
Ridet anhelanteis vicino flumine nymphas.

Disertè distingvit inter Anienem amnem atque vicinum flumen nymphasque in eo. id verò nullum aliud hoc tractu, quam Albula; apud quod Albunea colebatur nympha; ut suprà lib. 11 cap. x in descriptione Anienis ostensum. Cæterùm illi, qui vulgatum illud in quibusdam Statii exemplaribus, *Illâ recubat Tiberinus in umbrâ*, contra aliorum exemplarium, quæ *Tiburnus* habent, contraque aliorum auctorum fidem retinere malunt, an satis levem hanc opinionem suam contra multorum doctorum virorum sententiam sine ullâ probabili adductâ ratione tueri possint, ipsi viderint. Cuncta sanè Horatii exemplaria constantem hanc habent scripturam Carm. lib. 1 odâ VII:

Me nec tam patiens Lacedæmon,
Nec tam Larissæ percussit campus opimæ,
Quàm domus Albuneæ resonantis,
Et præceps Anio, & Tiburni lucus, & uda
Mobilibus pomaria rivis.

Et apud Svetonium in vitâ Horatii ita vulgata referunt exemplaria: *Vixit plurimùm in secessu ruris sui Sabini, aut Tiburtini. domusque eius ostenditur circa Tiburtini luculum.* Heic, quis dubitet, quin corrigenda sit ex ipso Horatio vox *Tiburtini* in *Tiburini luculum?* quid enim erat *Tiburtini luculus?* Quid igitur jam obstat, quo minus ritè rectéque legas apud Statium quoque *Tiburnus*, quàm *Tiberinus?* Quid enim hic deus, qui Tiberis amnis numen ferebatur, magis pertinebat ad urbem *Tibur*, quàm *Tiburnus?* quem eumdem & *Tiburtum* esse voluerunt suprà scripti Virgilii Horatiique commentatores, urbis conditorem. qua tamen in re adsentiri grammaticis istis minimè possum: nedum doctis huius ævi quibusdam viris; qui ex illis docent, ubique apud omneis auctores pro *Tiburto*, vitioso vocabulo, rescribendum esse *Tiburnum*. quidpe nec ipse quidem antiquus ille grammaticus Servius *Tiburti* vocabulum apud Virgilium, ut mendosum, rejicit; sed tantùm ex similitudine conjicit, eumdem esse & *Tiburnum:* nec ipse Virgilius *Tiburtum* suum facit deum aut genium; qualis habebatur *Tiburnus*; sed juxtà cum Sextio Plinioque hominem eum profitetur, *Argivum juvenem*, unà cum fratribus *Catillo* & *Corâ*. Nec dubium est, quin

quin ab *Tiburis* opidi nomine confictum sit ab incolentibus numinis vocabulum *Tiburnus*; ab incolentium verò *Tiburtium* adpellatione conditoris nomen *Tiburtus*.

De cætero quanta aliarum etiam villarum circa Tibur fuerit celebritas, ostendunt frequentes earum reliquiæ; præsertim ab eâ parte, quâ itur Tusculum sive Frascatium versùs. ubi inter alias maximè celebrantur reliquiæ VILLAE HADRIANI *imperatoris:* de quâ ita tradit Aelius Spartianus in vitâ eius: *In villâ Tiburtinâ profluvio sanguinis pænè ad exitum venit.* Et posteà: *Tiburtinam villam maximè exædificavit: ut in eâ & provinciarum & locorum celeberrima nomina inscriberet: velut, Lycæum, Academiam, Prytaneum, Canopum, Pœcilem, Tempe, vocaret. &, ut nihil prætermitteret, etiam Inferos finxit.* Meminit huius *villæ* sive *palatii* Trebellius quoque Pollio; in XXX tyrannis de Zenobiâ sic scribens: *Ferturque vixisse cum liberis matronæ jam more Romanæ; datâ sibi possessione in Tiburti; quæ hodiéque* ZENOBIA *dicitur; non longè ab Hadriani palatio, atque ab eo loco, cui nomen est* CONCHE.

Porrò hoc tractu inter Tibur ac Prænestе & Tusculum urbemque Romam fuit *opidum* PEDVM: quod memoratur Livio & Stephani epitomatori veterique Horatii commentatori. sed Stephani epitomatori est πέδα, PEDA. Opidani inde dicuntur Πεδωνοὶ, PEDANI. Stephani breviator: πέδα, πόλις Αὐζονική. τὸ ἐθνικὸν Πεδανός. Id est: *Peda, opidum Ausonicum. gentilitium inde Pedanus.* Ex antiquissimo aliquo hæc habuit Stephanus auctore; qui vetustissimo illo usus est vocabulo *Ausoniæ* pro Italiæ nomine. Porrò Plinius lib. III cap. V, in recensione opidorum veteris Latii, quæ sine vestigiis interiisse tradit: *Olliculani, Octulani, Pedani, Pollustini, Querqueculani.* Livius lib. II, de Cn. Marcio Coriolano: *Circeios profectus, primùm colonos inde Romános expulit; liberamque eam urbem Volscis tradidit. inde in Latinam viam transversis tramitibus transgressus, Satricum, Longulam, Pollustiam, Coriolos, novella hæc Romanis opida ademit. inde Lavinium recepit. tunc deinceps Corbionem, Vitelliam, Trebiam, Labicos, Pedum, cepit. postremùm ad urbem à Pedo ducit; & ad Fossas Glœlias, quinque ab Vrbe millia passuum castra posuit.* Sic & Dionysius atque Plutarchus, licèt expeditionem hanc Marcii ab Circeiis ad urbem Romam usque alio itineris opidorumque ordine referant; tamen in eo ambo cum Livio consentiunt, quòd ab Labicis ad Pedum exercitum duxerit. Dionysius lib. VIII: Ἐντεῦθεν ἦγε τὴν δύναμιν ἀπὸ Λαβίκων ἤδη δὲ καὶ καλουμένους Λαβικανούς. * * * ἐπὶ Λαβικανοὺς ἦγε καὶ ταύτην ὁ Μάρκιος τὴν πόλιν ἐξανδραποδίσατο. Ἀναστήσας δὲ τὴν δύναμιν ἐκεῖθεν, ἐπὶ τὴν Πεδανῶν πόλιν ἀφίκνειτο. ἐνταῦθα δὲ καὶ αὐτὴν τῶν Λατίνων ἦγεν. Id est: *Hinc Labicos exercitum ducit.* Mox: *Hoc quoque opido recepto, captivos sub hastâ vendidit Marcius. Hinc cum copiis ad Pedanorum opidum proficiscitur: quod & ipsum Latini erat nominis.* Plutarchus in eodem Marcio Coriolano: Οὕτως ὁ Μάρκιος ἐπ' αὐτὰς τὰς πόλεις τῶν Λατίνων ἦγεν· καὶ Τολερίνους δὲ Λαβικανοὺς καὶ Πεδανοὺς δὲ ἔτι Βωλανοὺς, αἰσχύνας ἀπὸ, καὶ κρατῶν εἷλεν. Hoc est: *Ita ipsa tandem opida Latinorum Marcius adortus, Tolerinos, Lavicanos, Pedanos, atque Bolanos, quum mœnia defenderent, vi cepit.* Adparet ex Livii maximè verbis, Pedum opidum Lavicis fuisse propinquum, nec perinde longè à Româ disitum. Inter Lavicos fuisse situm & Prænestе Tiburque, patet ex eiusdem Livii lib. VIII; ubi ita scriptum est: *Consules T. Aemilius Mamercinus & Q. Publius Philo Latinos, ob iram agri amissi rebellantes, in campis Fenectanis* [nulli hi usquàm aliàs memorantur *Fenectani*. ego rescripserim *Pedanis*] *fuderunt, castrisque exuerunt. ibi Publio, cuius ductu auspicioque res gestæ erant, in deditionem accipiente Latinos populos, quorum ibi juventus cæsa erat; Aemilius ad Pedum exercitum duxit. Pedanos tuebatur Tiburs, Prænestinus, Veliternusque populus. venerant & ab Lanuvio Antioque auxilia.* Paullo pòst: *Anno insequenti, L. Furio Camillo, & C. Mænio, consulibus, quo insigniùs omissa res Aemilio, superioris anni consuli, exprobraretur, Pedum armis virisque & omni vi expugnandum ac delendum, senatus fremit. coactique novi consules omnibus eam rem præverti, proficiscuntur.* Mox: *Neque tamen nisi admodùm à paucis populis Pedani adjuti sunt. Tiburtes Prænestinique, quorum ager propior erat, Pedum pervenère. Aricinos Lanuvinosque & Veliternos, Antiatibus Volscis se conjungenteis, ad Astura flumen Mænius improvisò adortus fudit. Camillus ad Pedum cum Tiburtibus, maximè valido exercitu, maiore mole, quamquàm æquè prospero eventu pugnat. tumultum maximè repentina inter prælium eruptio opidanorum fecit. in quos parte exercitus conversâ, Camillus non compulit solùm eos intra mœnia, sed eodem etiam die, quum ipsos auxiliaque eorum perculisset, opidum scalis cepit.* Hinc fragmentum

Fasto-

Fastorum consularium & triumphorum à ducibus Romanis actorum, quod Romæ in Capitolio visitur:

L·FVRIVS·SP·F·M·N·CAMILLVS·COS·DE·PEDANEIS·ET·TIBVRTIBVS·AN·CDXV.

Porrò Livius lib. VII: *Gallos mox Prænestè venisse, atque inde circa Pedum consedisse, auditum est.* Aliquanto pòst: *Dictator centum equites nocte super castra [hostium] in monteis evadere ac silvis se occultare jubet. ipse, ubi illuxit, in radicibus montium extendere aciem cæpit sedulò; ut adversùs monteis consisteret hostis.* Mox: *Primò credere duces Gallorum, non descensuros in æquum Romanos: deinde, ubi digressos repentè viderunt; & ipsi avidi certaminis in prælium ruunt.* Posteà: *Dictator iis, qui in monte erant, signum, quòd convenerat, dedit. Vbi inde quoque novus clamor ortus, & tendere obliquo monte ad castra Gallorum visi sunt; tum metu, ne excluderentur, omissa pugna est: cursuque effuso ad castra ferebantur. ubi quum occurrisset eis M. Valerius, magister equitum; qui, profligato dextro cornu, obequitabat hostium munimentis; ad monteis silvasque vertunt fugam. plurimique ibi à fallaci equitum specie excepti sunt. & eorum, quos pavor pertulerat in silvas, atrox cædes post sedatum prælium fuit.* Adde jam huc & Horatii vererem commentatorem ad hæc poëtæ verba Epistolar. lib. I epist. IIII:

Albi, nostrorum sermonum candide judex,
Quid nunc te dicam facere in regione Pedanâ?
Scribere, quod Cæsi Parmensis opuscula vincat?
An tacitum silvas inter reptare salubreis?

Ad quæ ita commentator: *Pedana regio inter Tibur & Prænestè fuit; ab opido Pedo; quod non longè fuit ab Vrbe: sed modò non est.* Patet ex his omnibus, fuisse Pedum opidum, ut dixi, inter Lavicos, Prænestè, Tibur, atque Romam; propè Prænestinam viam, versus Prænestinos Tiburtinosque monteis. cui sanè descriptioni nullus æquè locus convenit, atque opidum nunc vulgari vocabulo *Gallicano*, ab sinistro dictæ viæ latere, XVII circiter millia passuum à Româ, IIII à Prænestè dissitum.

Cæterùm eodem tractu, haud procul Pedo, fuit & SCAPTIA *opidum*; Plinio ac Festo memoratum. unde apud Dionysium lib. V inter alios Latii populos, quorum pleraque nomina corrupta sunt, Σκαπτίωιοι quoque leguntur; qui haud dubiè antè fuerant Σκαπτιοὶ, ut ibidem Πεγινεστίωοί· ut ab ipso Dionysio Σκαπτῖνοι, SCAPTINI, ut Πεγινεστῖνοι, scripti. Plinius dicto lib. III cap. V; ubi antiqui Latii enumerat populos, qui jam tum *sine vestigiis interierant: Scaptia, Pitulum, Politorium, Tellene.* Pompeius Festus: *Scaptia tribus à nomine urbis Scaptiæ adpellata; quam Pedani incolebant.* Fuerit igitur fortè circa vicum, qui apud Veresim amnem (hunc à Gallicano opido in Anienem defluere, suprà lib. II cap. X docui) vulgò dicitur *Paserano*. Apud Svetonium in Augusto cap. XL sic scriptum est: *Comitiorum quoque pristinum jus reduxit: ac multiplici pœnâ coërcito ambitu, Fabianis & Scaptensibus, tribulibus suis, die comitiorum, ne quid à quoquam candidato desiderarent, singula millia nummûm à se dividebat.* Nemini hactenus dubium fuit, quin eadem heic intelligeretur tribus, quæ Scaptia communi opidi nomine dicitur Festo. ego verò suspicor, ipsum scripsisse Svetonium, *Scaptiensibus:* quod sanè longè ἀναλογώτερον.

Intra Scaptiam & Pedum, intraque Gabios fuit PVPINIVS sive PVPINIENSIS AGER; vulgariter feminino genere adpellatus PVPINIA. Memoratur Varroni, Ciceroni, Livio, Columellæ, Valerio Maximo. Festus: *Papiria tribus à Papirio adpellata est; vel à nomine agri, qui circa Tusculum est. Huic Pupinia tribus ita conjuncta fuit, ut de finibus aliquando susceperit bellum.* Paullo pòst: *Pupinia tribus ab agri nomine dicta, qui Pupinius adpellatur circa Tusculum urbem.* Facilè ego suspicer, supervacuum heic esse atque ab improbè curioso sciolo insertum vocabulum *Tusculum*; & intellexisse Festum urbem Romam. Livius lib. VIII: *Tranquillas res jam Etruscis turbavit repentina defectio Vmbrorum. ii, concitatâ omni juventute suâ, & magnâ parte Etruscorum ad rebellionem compulsâ, tantum exercitum fecerant, ut, relicto post se in Etruriâ Decio, ad oppugnandam inde Romam ituros, jactarent. quod inceptum eorum ubi ad Decium consulem perlatum est; ad Vrbem ex Etruriâ magnis itineribus pergit; & in agro Pupiniensi, ad famam intentus hostium, consedit.* Nempe Vmbri ex suâ Vmbriâ, quæ ab sinistrâ erat Tiberis ripâ, transgresso Sabinorum agro & flumine Aniene, ad Vr-

ad Vrbem erant ducturi. itaque Decius quoque consul, traducto ex Etruriâ exercitu, ad alteram Vrbis partem consedit. Idem Livius lib. XXVI: *Hannibal infestiùs perpopulato agro Fregellano propter interciſos ponteis, per Fruſinatem Ferentinatemque & Anagninum agrum in Lavicanum venit. inde Algido Tuſculum petiit. nec receptus mœnibus infra Tuſculum dextrorſus Gabios deſcendit. inde in Pupiniam exercitu demiſſo, VIII millia paſſuum à Româ poſuit caſtra. Quo propiùs hoſtis adcedebat, eo maior cædes fiebat fugientium; præcedentibus Numidis. pluresque omnium generum atque ætatum capiebantur. In hoc tumultu Fulvius Flaccus portâ Capenâ cum exercitu Romam ingreſſus, mediâ urbe per Carinas Eſquilias contendit. inde egreſſus, inter Eſquilinam Collinamque portam poſuit caſtra. Inter hæc Hannibal ad Anienem fluvium, III millia paſſuum ab urbe caſtra admovit.* Fuiſſe portam *Collinam* eam, quæ Salariam viam emittebat trans Anienem in Sabinos; quæque nunc vulgò dicitur *La portà Salaria*, vulgò notum eſt. ad mille fermè paſſus ab hac verſus orientem hibernum fuiſſe Eſquilinam portam, ſuprà cap. II in deſcriptione urbis Romæ intelleximus. Ab hac igitur urbis parte inter Anienem Crabramque aquam & Gabios circa Prænestinam ac Lavicanam Latinamque vias fuit Pupinienſis iſte ager, ab urbe ad VIII millia paſſuum ut minimùm extenſus. Proximè urbem fuiſſe, ex eo colligitur, quòd Decius conſul, Vmbros ex Vmbriâ Salariâ viâ adventanteis excepturus, urbemque defenſurus, in eo caſtra poſuit. Huc jam adde naturam ſoli; quæ hodiéque hoc terræ tractu durat. Varro Ruſticar. rer. lib. I cap. VIII; ubi de terrâ macrâ loquitur: *Vt in Pupiniâ, neque arbores prolixas, neque viteis feraceis, neque ſtramenta videre craſſa poſſis, neque ficum mariſcam: & arbores pleraſque ac prata retorrida & muſcoſa.* Columella Ruſticar. rer. lib. I cap. IIII, de M. Atilio Regulo loquens: *Pupiniæ, peſtilentis ſimul & exilis agri, cultorem fuiſſe eum loquuntur hiſtoriæ.* Valerius Maximus lib. IIII cap. IIII: *Atilius Regulus, primi Punici belli gloria cladesque maxima, quum in Africâ inſolentiſſimæ Carthaginis opes crebris victoriis contunderet, ac prorogatum ſibi ob benè geſtas res in proximum annum imperium cognoſſet; conſulibus ſcripſit; Villicum in agello, quem VII jugerum in Pupiniâ habebat, mortuum eſſe; occaſionemque nactum mercenarium, amoto inde ruſtico inſtrumento, diceſſiſſe. ideóque petere ut ſibi ſucceſſor mitteretur: ne, deſerto agro, non eſſet, unde uxor ac liberi ſui alerentur. Quæ poſtquàm ſenatus à conſulibus accepit; & agrum Atilii illicò colendum locari, & alimenta conjugi eius ac liberis præberi, resque, quas amiſerat, redimi publicè juſſit.* Eamdem Pupiniæ ſterilitatem & ipſe innuit poſteà cap. VIII. *Liberalitatis*, inquit, *duo ſunt maximè probabiles fontes; verum judicium, & honeſta benevolentia. nam quum ab his oritur, tunc demum ei ratio conſtet. dono autem ipſi gratiam magnitudo quidem ſua, ſed efficaciorem aliquanto opportunitas conciliat. accedit enim pretio rei inæſtimabile momentum occaſionis: quâ Q. Fabium Max. tot ante ſæcula ob parvam pecuniæ ſummam erogatam, ad hoc usque tempus laudabilem fecit. Captivos ab Hannibale, interpoſitâ pactione nummorum, receperat. quî quum à ſenatu non præſtarentur, miſſo in Vrbem filio, fundum, quem unicum poſſidebat, vendidit; eiusque pretium Hannibali protinus numeravit. Si ad calculos revocetur, parvum; utpote VII jugeribus, & hæc in Pupiniâ addictis redactum: ſi animo erogantis, omni pecuniâ maius.* Non conſtare ſibi hanc orationem, quivis facilè animadverterit. Quid enim hoc; *Si animo erogantis revocetur?* Alia exemplaria habent, *ſi animum prærogantis:* æquè vitioſè. Debere eſſe, *erogantis*, præcedens vox *erogatam* indicat. placet itaque doctiſſima magni amici noſtri Iani Rutgerſii correctio, quæ Variar. lect. lib. I cap. XVIII eſt huiusmodi: *Eiusque pretium protinus Hannibali numeravit; ſi ad calculos revocetur, parvum: utpote VII jugeribus, & hoc in Pupiniâ, addictis redactum: ſi ad animum populo Romano erogantis, omni pecuniâ maius.* Rationem, cur legat, *populo Romano*, addit, ut in cæteris omnibus, ſagaciſſimam: nempe, ſcribi ſolitas eſſe eas voces ſingulis literis P. R. vel p. r. Cæterùm Cicero quoque eamdem Pupiniæ ſterilitatem innuit in orat. I contra Rullum de Lege Agrariâ. *Agros*, inquit, *Vaticanum & Pupiniam cum ſuis opimis atque uberibus campis conferendos non putabunt.*

At in ipſis montibus inter Tibur atque Prænestе fuit *opidum* AESVLA, ſive AESOLA, Horatio memoratum. unde opidani ſunt Plinio lib. III cap. V inter eos populos, qui jam tum ſine veſtigiis interierant, AESOLANI, ſive AESVLANI. Horatius Carm. lib. III odâ XXVIIII:

——— Eripe te moræ :
Ne semper udum Tibur & Æsulæ
Declive contempleris arvum, &
Telegoni juga parricidæ.
Fastidiosam desere copiam, &
Molem propinquam nubibus arduis :
Omitte mirari beatæ
Fumum & opes strepitumque Romæ.

Satis clarè ex his liquet, fuisse & ipsam *Æsulam* unà cum *Tibure* ac *Tusculo* Romæ propinquam. Vetus poëtæ commentator: *Vdum Tibur propter aquarum copiam. Æsula: nomen urbis alterius in latere montis constitutæ.* In eius haud dubiè montis latere, in quo & Tibur etiam & Præneste erant. nam inter Tibur & Tusculum nulli alii sunt montes; nisi colles, in quibus Zagarollum & Columna sunt opida. Apud Velleium Paterculum hæc leguntur: *Initio primi belli Punici Firmum & Castrum colonis occupata; & post annum Aefernia; postque* XXII *annos Æsulum & Alsium: Fregellæque post biennium: proximoque anno, Torquato Sempronioque consulibus, Brundusium.* Corruptum heic esse genuinum annorum numerum XVI, vel XVII, in XXII; Alsium deductam fuisse L. Cæcilio Metello iterum & M. Fabio Buteone consulibus, anno urbis Romæ 1VI, suprà lib. II cap. II docui. Eo tempore in suprà dictum quoque opidum Aesulam sive Aesulan deductam fuisse coloniam, minimè ego crediderim; quandò hoc opidum adeò obscurum, uti uni tantùm Horatio memoretur. quo & ipso tempore admodùm tenue uti fuerit oportet, quando Plinius, cuius opus LXXX haud ampliùs annis Horatio posterius est, inter eos populos recenset Aesulanos, qui tum *sine vestigiis interierant.* Fæsulas in Etruriâ & Asculum in Piceno fuisse quidem colonias Romanas, suprà lib. II cap. III & XI intellectum. verùm, quibus temporibus deductæ fuerint, nusquàm hactenus dispexi. suspicari itaque libet magis, quàm argumentari, alterutram earum coloniarum heic memorasse Velleium.

HORTONA *opidum.*

Porrò ultra Algidum, montem & opidum Aequorum, circa Lavicos & Præneste, in confinio Aequorum agri fuit *opidum* HORTONA; quod Livio atque Dionysio memoratur. Livius lib. III: *Sequuntur consules, Q. Minucius, M. Horatius Pulvillus. cuius initio anni quum foris otium esset, domi seditiones iidem tribuni, eadem lex faciebat. ulteriúsque ventum foret, ni, velut deditâ operâ, nocturno impetu Aequorum Corbione amissum præsidium, nunciatum esset. Senatum consules vocant. jubentur subitarium scribere exercitum, & in Algidum ducere.* Et paullo pòst: *Horatius, quum jam Aequi, Corbione interfecto præsidio, Hortanam etiam cepissent, in Algido pugnat: multos mortaleis occîdit: fugat hostem non ex Algido modò, sed à Corbione Hortanâque.* De eâdem re Dionysius ita lib. X: Αἰκανοί τε, οἱ νεωστὶ καθοπλεμηθέντες, ἐν τοῖς ὅπλοις αὖθις ἦσαν. καὶ οἱ μὲν ἀκμαιότατοι αὐτῶν νυκτὸς ἐλάσαντες ἐπὶ Κορβιῶνα πόλιν, τήν τε φρουρὸν ἐν αὐτῇ, κοιμωμένοις ἐρήμοις, κατέσφαξαν· οἱ δὲ λοιποὶ μεγάλῃ ῥύμῃ ἐφεπόμενοι ἐπὶ πόλιν Βιρτῶνα καὶ Λαβίνιαν ἔθνους, ἐξ ἐφόδου προσλαμβάνουσι). Id est: *Aequi etiam, nuper devicti, arma resumpserunt. & misso per noctem juventutis robore; Corbionis præsidium sopitum adgressi interfecerunt. cæteri magno numero egressi, Virtonem, Latinæ gentis opidum, primo impetu ceperunt.* Apud utrumque auctorem haud dubiè nomen hoc opidi Latini corruptum est. sic quidpe apud Livium anteà legitur lib. II: *Cæsô Fabius & Sp. Furius consules fiunt. Artonam, Latinam urbem, Aequi oppugnabant.* De eâdem re Dionysius fine libri VIII: Αἰκανοὶ μὲν εἰς τὴν Λατίνων χώραν ἐμβαλόντες, ἀπήλασαν αὐθρόποδα, καὶ βοσκήματα πολλὰ, ληστικῇ ἐφόδῳ χρησάμενοι. καὶ ἐπιδὴ τὰ πρῶτα αὐτοῖς καλῶς ἐχώρησε, καὶ θέντες ὀλίγων τὰ λοιπὰ ἐφαίνετο, φρόνημα ἐπαρθέντες ἀλογίστῳ, ληστικῷ μὲν οὐκέτι στρατείαν οὐκ ἔγνωσαν πιεῖσαι, δυνάμει δὲ βαρείᾳ ἐλάσαντες ἐπὶ πόλιν Ὀρὰς, καὶ κρατοῦσιν αἱρεῖσιν. Id est: *Aequi, factâ in Latinorum agros inruptione, abegerunt magnam vim mancipiorum atque pecorum repentino latrocinio. quumque viderent, primos conatus feliciter sibi successisse; rati, neminem deinceps obsiturum; eò progressi sunt audaciæ, uti non jam prædatoriâ manu, sed justo exercitu opidum Horos invaderent, & vi caperent.* Heic equidem simulque suprà lib. X, interpretes Latini, alii *Ortonam*, alii *Artonam*, ex Livio restituerunt. nec dubitavit hactenus quisquam, quin unum idemque intellexerit utrobique opidum uterque auctor. & ipsa quoque Livii exemplaria utroque in libro variant; alia *Artonam*, alia *Ortonam*, nonnulla *Hortanam* referentia. At quia in plerisque prima syllaba

est *Hor;*

est *Hor*; ut etiam apud Dionysium dicto lib. VIII: & apud hunc etiam lib. X in secundâ syllabâ disertim ω omnino statuendum est, genuinum vocabulum fuisse HORTONA; Græcâ formatione ὁ Ἄρτων· ut Ancona, Verona, Cremona, Dertona, Græcis dicebantur Ἀγκὼν, Οὐηρὼν, Κρεμὼν, Δερτών. Apud Livium, præscripto loco, quum incuriâ imperiti exscriptoris in primâ syllabâ interisset *o*, *Hortona*: alius id corrigendum censuit in *Artona*. De cætero, *Corbionem* opidum situm fuisse ultra Algidum, sinistrorsum versùs Prænestе, circa Lavicanam viam, suprà lib. II cap. XVI in Aequis ostensum est. eodem igitur tractu circa Prænestе & Lavicos fuit & Hortona.

Eodem circa Aequorum confinia tractu fuit TOLERIA quoque sive TOLERIVM, Latinorum *opidum*. Memoratur Dionysio, Livio, ac Stephani breviatori. Opidani inde sunt Plinio lib. III cap. V TOLERIENSES: Dionysio autem & Plutarcho ac Stephano, Τολερῖνοι, TOLERINI. Breviator Stephani: Τολέριον, πόλις Ἰταλίας. τὸ ἐθνικὸν Τολερῖνος. Id est: *Tolerium, opidum Italiæ. unde gentilitium Tolerinus*. Livius lib. II, de Cn. Marcio Coriolano: *Circeios profectus, primùm colonos inde Romanos expulit; liberamque eam urbem Volscis tradidit. inde in Latinam viam transversis tramitibus transgressus, Satricum, Longulam, Pollustiam, Coriolos, novella hæc Romanis opida ademit. inde Lavinium recepit. tunc deinceps Corbionem, Vitelliam, Trebiam, Lavicos, Pedum, cepit. postremò ad Vrbem à Pedo duxit; & ad Fossas Cluilias, V ab Vrbe millia passuum, castra posuit*. Nemo sanè dubitaverit, quin corruptum heic sit vocabulum *Trebiam*; quando nullum eo nomine circa hæc loca fuit opidum; Dionysius verò & Plutarchus in eâdem Marcii expeditione habent *Toleriam*, circa Lavicos. quorum hic in vitâ Marcii, οὕτως, inquit, ὁ Μάρκιος ἐπ' αὐτὰς ἁπάσας πόλεις τῶν Λατίνων ἦλθε· καὶ Τολερίνους, καὶ Λαβικανοὺς, καὶ Πεδανούς, ἔτι δὲ καὶ Βωλανούς, αἱρησάμενος αὐτῶν, καὶ κρατήσας ἔλεγεν. Id est: *Ita ipsa Latinorum opida Marcius adortus, Tolerinos, Lavicanos, Pedanos, atque Bolanos, qui sese defendebant, vi cepit*. Diversum ab utroque ordinem huius expeditionis refert Dionysius lib. VIII; à *Circeiis* ad *Toleriam*, *Bolas*, *Lavicos*, *Pedum*, *Corbionem*, *Coriolos*, *Bovillas*, *Laviniam*, ac tandem ad *Fossas Clœlias* ductum. Καὶ ὁ Μάρκιος, inquit, ἤδη ἐπὶ Δημητρίου, ἦκεν ἄγων τὴν δύναμιν ἐπὶ Κιρκαίαν πόλιν. * — * · Καὶ αὐτίκα ἐπὶ Τολερίνους ἐλαύνει καὶ Λατίνων ἄλλας ἔθνους. * — * · Ἐπὶδὴ τὰ σώματα καὶ τὰ χρήματα πάντα ἐξεκενώμισε, τὴν πόλιν ἔρημον καταλιπὼν, ἀπῆγε τὴν δύναμιν ἐπὶ Βωλανῶν πόλιν. * — * · Ἐντεῦθεν δὴ τὴν δύναμιν αἰσθόμενος, ἦλθεν ἐπὶ τοὺς καλουμένους Λαβικανούς. Hoc est: *Marcius itaque haud ampliùs cunctatus, Circæum opidum petiit*. Posteà: *Protinusque Tolerinos, Latinæ gentis populum, adortus est*. Haud multo pòst: *Exportatis tum opibus tum hominibus universis, vacuum reliquit opidum; copiasque ad Bolanorum duxit opidum*. Aliquanto pòst: *Hinc exercitum adversùs Lavicanos movit*. Opida Bolas & Vitelliam Aequis adseruimus lib. II cap. XVI. Quocumque igitur ordine expeditionem suam egerit Marcius, patet ex omnibus tribus istis auctoribus, Toleriam opidum fuisse inter Lavicos & proximos Aequorum fineis. Cæterò apud Macrobium Saturnalior. lib. III cap. VIIII, quod est de carmine, quo evocari solebant dii tutelares, & urbes devoveri, ita scriptum est: *In antiquitatibus autem hæc opida invêni devota; Tonios, Fregellas, Gabios, Veios, Fidenas, intra Italiam*. Sanè quum Tonios hosce nemo alius agnoscat auctor, corruptum id quoque esse vocabulum, vehementer suspicor. utrùm autem *Talerios*, an verò *Volsinios* scripserit Macrobius, an quid aliud, haud temerè dixerim.

Atque hæc ferè sunt loca atque opida primi illius inter Anienem & mare *Prisci Latii*, antiquis auctoribus memorata; quorum situs, aut regio indicari potuit. Iam inde verò sub regibus Romanorum titulum *Prisci Latii* ad Circæum usque montem & Tarracinam opidum prolatum fuisse, suprà sub finem capitis I huius libri III ostensum est. In hoc igitur antiquo Latio à Tiberi & Româ ad Circæum usque Plinio lib. III cap. V recensentur populi permultorum opidorum, quæ neque aliis memorantur auctoribus, neque quibus sitibus fuerint investigari possunt: utique, quum jam eius ætate sine vestigiis interierint. unde minus certum est, an ea vocabula sunt incorrupta, nec ne. sunt autem ista: *Bitulum, Tifata, Amiternum; Acienses, Abolani, Bubetani, Cusuetani, Foretii, Hortenses, Manates, Macrales, Mutucamenses, Munienses, Numinienses, Olliculani, Octulani, Querquetulani, Sisolenses, Tutienses, Vimitellarii, Velienses, Venetulani*. De his, & quibusdam aliis,

quorum nonnullos hactenus explicuimus, alios verò infrà in Volscis indicabimus, sic tandem concludit: *Ita ex antiquo Latio* LIII *populi interière sine vestigiis.* Vni ex istis *Bubetani* Dionysio quoque memorantur lib. v. Olliculanorum verò opidum OLLICVLVM nescio an Floro quoque, & ex Floro Orosio Iornandique, dictum sit. sic quidpe apud Florum est lib. I cap. VII: *Postremus omnium fuit regum Tarquinius, cui cognomen Superbo ex moribus datum.* Mox: *Sic valida opida in Latio capta sunt, Ardea, Ocriculum, Gabii, Suessa Pometia.* Eadem verba, ut pleraque Flori alia, in suum librum de Regnorum successione transcripsit Iornandes. Orosius lib. II cap. IIII: *Opida valida in Latio per eum capta, Ardea, Ocricolum, Sinuessa Pometia.* Iornandes haud multo pòst, sub primis consulibus ita habet: *Nec secus Latini, Mamilio Tusculano duce, apud Regilli lacum expugnantur, vincuntur, atque subjiciuntur. Ocriculum atque Corniculum, Soraque & Algidum, eorum urbes captæ, proviniaque effecta.* De Bovillis, pudet, sed triumphavêre Romani. Heic saltem constabit, corruptum esse vocabulum *Ocriculum.* sic quidpe apud ipsum est Florum lib. I cap. XI: *Hactenus pro libertate: mox de finibus cum eisdem Latinis adsiduè & sine intermissione pugnatum est. Sora (quis credat?) & Algidum terrori fuerunt: Satricum atque Corniculum provinciæ. de Verulis & Bovillis, pudet, sed triumphavimus.* Quia verò Ocriculi nomine una sola urbs in totâ Italiâ memoratur in omni antiquitate, quæ fuit Vmbrorum, hodiéque vulgò dicitur *Otricoli;* minimè dubitandum est, quin & priori loco apud Iornandem simulque apud Orosium & ipsum Florum vocabulum id sit corruptum. nec ulla alia vox propiùs adcedit, quàm præ. dictum *Olliculum.*

OLLICVLVM opidum.

De cætero sunt Plinio dicto lib. III cap. V *Sicani* quoque inter eos antiqui Latii populos, qui sine vestigiis tunc interierant. hos etiam aut corrupto esse vocabulo censeo; aut certè iidem intelligendi, qui Virgilio poëtæ sic nominantur pro Siculis, antiquissimis Latii incolis; ut suprà dictum.

CAP. V.

De RVTVLIS.

PRimis igitur illis Priscis Latinis ad mare contermini fuêre ab ortu Solis hiberni RVTVLI; exiguum terræ angulum incolentes: ut qui hinc Lanuvinorum Latinorum & Laurentium, illinc Antiatium Volscorum, intus verò Coriolanorum Volscorum finibus claudebantur. Hos eiusdem generis cum Latinis, & quasi eorum partem fecit Virgilius cum imitatore suo Silio. Virgilius Aeneid. lib. VII, de Laviniâ, Latini filiâ:

Multi illam magno è Latio totâque petebant
Ausoniâ. petit ante alios pulcherrimus omneis
Turnus; avis atavisque potens. quem regia conjux
Adjungi generum miro properabat amore.
Sed variis portenta deûm terroribus obstant.

Exiguo pòst, Fauni oraculum eâ de re citans:

——— Subita ex alto vox reddita luco est
Ne pete connubiis natam sociare Latinis,
O mea progenies: thalamis neu crede paratis.
Externi veniunt generi.

Et posteà ipse Latinus ita respondet Ilioneo, Aeneæ legato:

Est mihi nata, viro quam gentis jungere nostræ
Non patrio ex adyto sortes, non plurima cælo
Monstra sinunt. generos externis adfore ab oris.

Aeneid. lib. XI ita Latinus rex in concilio concionatur:

Est antiquus ager, Tusco, mihi, proximus amni,
Longus in occasum, fineis super usque Sicanos:
Aurunci Rutulique serunt.
Hac omnis regio & celsi plaga pinea montis

Cedat

Cedat amicitiæ Teucrorum; & fœderis æquas
Dicamus leges; sociosque in regna vocemus.
Considant, si tantus amor, & mœnia condant.

Lib. VIII sic fatur apud Euandrum Aeneas:

Gens eadem, quæ te, crudeli Daunia bello
Insequitur.

Gens hæc *Daunia* erant *Rutuli*, sic adpellati à Dauno, Turni patre; ut mox videbimus. unde ipse Euander eodem libro infra ita Aeneæ respondet:

Nobis ad belli auxilium pro nomine tanto
Exiguæ vires, hinc Tusco claudimur amni:
Hinc Rutulus premit, & murum circumsonat armis.

At eodem libro anteà sic Tiberinus deus adfatur Aeneam in somnis:

Arcades his oris; genus à Pallante profectum;
Qui regem Euandrum comites, qui signa secuti,
Delegêre locum, & posuêre in montibus urbem
Pallantis proavi de nomine Pallantéum.
Hi bellum adsiduè ducunt cum gente Latinâ.

Sic lib. VIII & XI frequentissimè Turni cum Aeneâ Troianisque dimicantis exercitum promiscuè nunc *Latinos* nunc *Rutulos* adpellat poëta. & lib. XII Latinus sic Turno:

Sunt tibi regna patris Dauni, sunt oppida capta
Multa manu.
Quid consanguinei Rutuli, quid cætera dicet
Italia; ad mortem si te (fors dicta refutet)
Prodiderim.

Hinc, quum *Saguntus*, Hispaniæ urbs, ab Rutulorum urbe Ardeâ orta diceretur; religiosissimus ille Virgilii imitator Silius Saguntinos adpellavit *Rutulos* lib. I, Romanos verò *consangvineos eorum*. Verba eius lib. I, ubi Saguntinorum legati Romam versùs navigant, hæc sunt:

Intereà Rutulis longinqua per æquora vectis
Herculei ponto cœpere exsistere colles,
Et nebulosa jugis attollere saxa Monœci.

Et paullo pòst:

Hinc consangvineæ subeunt jam mœnia Romæ.

Et aliquando Laurenteis agros facit Rutulos in dictâ legatorum oratione, his versibus:

Vos per culta diu Rutulæ primordia gentis
Laurentemque larem, & genitricis pignora Troiæ,
Conservate pios. ———
——— Vetus incola Dauni
Testor vos fonteis & stagna arcana Numici.

Sic item lib. VIII:

Faunigenæ socio bella invasêre Sicano,
Sacra manus, Rutuli, servant qui Daunia regna,
Laurentique domo gaudent & fonte Numici.

Hinc passim per omne opus ipsos Romanos vocat Rutulos. Lib. III; ubi bellum civile innuit in Africâ inter Cæsarem & Scipionem gestum

Et Zama, & uberior Rutulorum sangvine Thapsus.

Ipse Cæsar auctor est in libro de Africano bello, se & obsedisse Scipionis præsidium Thapsi, & prælia ante opidum conseruisse. Silius porrò lib. V:

Occumbit Bogus; infaustum qui primus ad amnem
Ticini rapidam in Rutulos contorserat hastam.

Lib. VIIII, de prœlio Cannensi:

Sternuntur tellure & miles & arma tubæque,
Atque omnis retro flatu occursante refertur
Lancea, & interdum Rutulis cadit irritus ictus.
Atque idem flatus Pœnorum tela secundat.

Lib. X: *Atque ea dum Rutulis turbatâ mente geruntur,*
Lustrabat campos, & sævæ tristia dextræ

Facta recenſebat, pertractans vulnera viſu
Hannibal,

Lib. XIII, de Claudio Romano, quem Taurea Campanus ad ſingularem pugnam provocaverat:

At non idem animus Rutulo. Mox:
Nec Rutulus levior cedentis perdere terga.

Lib. XV, ubi Fabius Tarentum urbem recuperat:

Namque ut compertum, qui Punica ſigna regebat,
Femineâ exuri flammâ, tacitusque quietæ,
Exin virtuti placuit dolus, ire ſorori:
Nam caſtris erat in Rutulis germanus amatæ:
Cogitur & magnis muliebria vincere corda
Pollicitis, ſi recluſas transmittere portas
Concedat Libycus rector. votique potitus
Evicto Fabius Pæno, circumdata telis
Incuſtoditâ penetravit mœnia noctæ.

Et eodem libro poſteà Haſdrubal ſic ſuos milites cohortatur:

Per decora extremo vobis quæſita ſub axe,
Per fratris laudes oro, veniſſe probemus
Germanum Hannibalis. Latio fortuna laborat
Adverſis documenta dare, atque oſtendere, quantus
Verterit in Rutulos domitor telluris Iberæ,
Svetus ad Herculeas miles bellare columnas.

Et aliquanto pòſt:

Iamque inclinabant acies: cunctisque pavorem
Gallorum induerat pavor: & fortuna ruebat
Sidonia, ad Rutulos Victoria verterat alas.

Lib. XVI Numidarum dux Maſaniſſa ita adloquitur Scipionem, Romani exercitus ducem:

Cæleſtum monita & ſacræ reſponſa parentis,
Diſque tua, ô Rutulûm rector, gratiſſima virtus,
Avulſum Tyriis huc me duxêre volentem.

Et fine eiusdem libri, ubi Scipio in ſenatu Romano ſvadet, Carthaginem ex Italiâ transferendum eſſe bellum:

Tum verò pulſet noſtras iterum improbus hoſtis
Ariete Sidonio turreis, ſi templa ſuorum
Non antè audierit Rutulis crepitantia flammis.

Denique quum Turni, Rutulorum regis, pater, ut ſuprà intellectum, eſſet Daunus; Daunios quoque adpellavit Romanos lib. V, ubi vincuntur ab Hannibale ad Traſymenum lacum:

Donec pulſa vagos curſus ad litora vertit
Mentis inops, ſtagnisque latebat Daunia pubes.

Virgilius Aeneid. lib. XII, ubi pugnam inter Aeneam Turnumque improbant Rutuli, & ipſe quidem hos adpellat Lanrenteis; ſed, contrarius jam ſupra ſcriptis locis, diſertè inter eos atque *Latinos* diſtingvit, hoc verſu:

Ipſi Laurentes mutati, ipſique Latini.

At quî hoc facere potuerit Virgilius, nondum ego perſpicio; ſiquidem *Laurentum* ipſe ubique *Latini* regis facit regiam. Diſtingvit tamen & poſteà inter Rutulos & Latinos, hoc verſu:

Parcite jam Rutuli, & vos tela inhibete Latini.

Et lib. VII; ubi Turnus Troianis ſimulque Latinis minatur bellum:

Se ſatis ambobus Teucrisque venire Latinisque.

Suprà ſcripto lib. XI diſertiſſimis verbis teſtantem introducit Latinum, Rutulos ſibi eſſe ſubjectos; eosque cum Auruncis ſe velle dare Aeneæ. nihilo minus tamen poſteà lib. XII apertè idem Latinus rex teſtatur, ſeparatum habere Turnum ab ſuâ ditione regnum. verba eius hæc ſunt:

Sunt tibi regna patris Dauni, ſunt oppida capta
Multa manu.

Hinc

Hinc illa etiam Amatæ reginæ oratio ad Latinum lib. VII:

Quid tua sancta fides, quid cura antiqua tuorum,
Et consanguineo toties data dextera Turno?
Si gener externâ petitur de gente Latinis;
Idque sedet; Faunique premunt te jussa parentis:
Omnem equidem, sceptris, terram, quæ libera nostris
Diffidet, externam reor; & sic dicere divos.
Et Turno, si prima domus repetatur origo,
Inachus Acrisiusque patres, mediæque Mycenæ.

Sed heic tamen unum *Turnum* solummodò, non verò *Rutulorum* gentem, à Latinorum nomine eximere videtur. Dionysius lib. I, antiquissimos sequutus auctores, tradit, postquàm fœdus inter Latinum, & Aeneam ictum fuisset, conjunctis copiis Latini imperio subactos fuisse Rutulos: paullo pòst autem rursus defeciisse, Turno auctore atque duce. Σωθέμβροις ἢ πῶπα, inquit, κοινῇ στρατεύειν ὅπλα τοὺς πόλεις τῶν Ῥουτόλων. δι' ὀλίγου δὲ ἐκεῖ πάντα χρεωσάμβροι, παρῆσαν ὅπλα τὸ πλῆσμα τὸ Τρωϊκὸν ἡμιτέλεσον, ἐμιᾷ προθυμίᾳ πάντες χρώμβροι ταχίζουσιν αὐτό. ὄνομα δὲ τῷ πλήσματι Αἰνείας ἔθηκε Λαβίνιον, ἀπὸ τῆς Λαβίνης θυγατρὸς, ἣν Λαυίναν εἶναί φασι τέκνομα. * — * — * · Αἰνείας ἢ καθιερώσας ἱεροῖς τε καὶ τοῖς ἄλλοις κόσμοις ἐπιτελέσαντος τὴν πόλιν, τῷ μὲν ἕκτῃ ἐνιαυτῷ, τρίτῳ δὲ ἀπὸ τῆς ἐξόδου Τρώων ἐβασίλευσε μόνον. τῷ δὲ πρώτῳ πλουτήσαντι Λατίνῳ, καὶ τὴν ἐκείνου βασιλείαν ἐπιλαμβανόντι, καὶ τὴν κηδείας εἰκότως τῆς πρὸς αὐτὸν, ἐπικλήσας τῆς Λαυίνας ἡμῶν μὲν τὸ Λατίνου ἡγεμόνος, καὶ ἕνεκα πρὸς ἀσυγχύτους πολέμου καὶ στρατηλίας ἕνεκα. ἀπέσπευσαν χαρᾶ αὐθις ἀπὸ τοῦ Λατίνου Ῥουτόλοι, λαβόντες ἡγεμόνα τὸν αὐτομόλων ἄνδρα, τὸν Λατίνου γυναικὸς Ἀμάτης ἀνεψιὸν, ὄνομα Τυρνόν. ὁ δὲ ἀνὴρ ἄτοπον ὅπλα τῷ γάμῳ τὸν κηδεστὴν μεμφόμενον, ὅτι παρελθὼν τὸ συγγενὲς ὀθνείοις ἐκήδωσε, τὸν τε Ἀμάτης παροξυνάσης, καὶ ἄλλων τινῶν συλλαμβανόντων, ἄγων τὴν δύναμιν ἧς αὐτὸς ἦρχε, πρόσθησε τοῖς Ῥουτόλοις. πολέμου δὲ ἐκ τῶν ἐγκλημάτων τάχιστα ἡγουμένου, καὶ μάχης ἰσχυρᾶς, Λατίνου μὲν ἀποθνήσκει καὶ Τυρνὸς καὶ τῶν ἄλλων συχνοί· κράτησε δ' ὅμως οἱ σὺν Αἰνείᾳ. ἐκ δὲ τότε τὴν τοῦ τῷ κηδεστῇ ἡγουμένου δέχεται Αἰνείας Φαλαμβανέ. Hoc est: *Hæc pacti, communibus copiis expeditionem in Rutulos faciunt. brevique, captis universis eorum opidis, revertuntur ad semiperfectum Troianorum opidum; & pari id alacritate muniunt. nomen ei Aeneas indidit Lavinium, à Lavinâ, Latini filiâ.* Posteà: *Caterùm Aeneas, postquàm templis aliisque ornamentis id opidum satis instruxit; sequenti quidem anno, hoc est post discessum suum tertio, Troianorum tantùm rex fuit. quarto autem anno, defuncto Latino, etiam huius regno potitus est; tùm adfinitatis jure; quòd post Latini obitum ad solam Lavinam universa pervenisset hereditas: tùm, quòd belli adversùs finitimos dux esset designatus. quidpe Rutuli denuò à Latino defecerant; ductu cuiusdam transfugæ. is erat Turnus, consobrinus Amatæ, Latini conjugis. qui propter Lavinæ nuptias elocantem Latinum incusans, quòd, præteritis cognatis, exterum sibi adscivisset generum; Amatâ quoque instigante, & aliis quibusdam faventibus: cum militum manu, cui præerat, ad Rutulos transierat. Ex his igitur causis redintegrato bello, & commisso acri prælio, Latinus cecidit atque Turnus, cum multis aliis. at Aneas & victoriam consequutus est & regnum soceri.* Sex. Aurelius Victor, in libro de Origine gentis Romanæ, & ipse historiæ huius Romanos citat auctores. *Itaque cæptum*, inquit, *à Troianis muniri locum: quem Aeneas ex nomine uxoris suæ, Latini regis filiæ, quæ jam antè desponsata Turno Herdonio fuerat, Lavinium cognominavit. At verò Amatam, Latini regis uxorem, quum indignè ferret, Laviniam, repudiato Turno consobrino suo, Troiano advenæ collatam; Turnum ad arma concitavisse, eumque mox, coacto Rutulorum exercitu, tetendisse in agrum Laurentem; & adversùs eum Latinum pariter cum Aeneâ progressum, inter prælientes circumventum occisumque. Nec tamen, amisso socero, Aeneas Rutulis obsistere desiit. namque & Turnum interemit; &, hostibus fusis fugatisque, victor, Lavinium se cum suis recepit: consensuque omnium Latinorum rex declaratus est: ut scribit Lucatius lib. III.* Livius lib. I, postquàm de adventu Aeneæ ad Italiam, deque opido ibi condito, cui *Lavinium* nomen ab regis Latini filiâ, uxore suâ imposuisse dicitur, narravit; *Bello*, inquit, *deinde Aborigines Troianique simul petiti. Turnus, rex Rutulorum, cui parta Lavinia ante adventum Aeneæ fuerat, prælatum sibi advenam ægrè patiens, simul Aeneæ Latinoque bellum intulerat. Neutra acies læta ex eo certamine abiit. victi Rutuli. victores Aborigines Troianique ducem Latinum amisère. Inde Turnus Rutulique, diffisi rebus, ad florentes Etruscorum opes Mezentiumque, eorum regem, confugiunt.* Occubuisse in ultimo hoc bello Aeneam, filiumque eius

Ascanium in regno ei successisse, Livius juxtà cum Dionysio & Sex. Aurelio Victore tradit. at nemo eorum ostendit, quid porrò inter Latinos Rutulosque factum: in pacem & unum imperium coierintne; an verò diversæ semper atque inter se discretæ gentes manserint. quamquàm Livius lib. IIII etiam *Rutulorum* ut alienæ ab Latinis Romanisque gentis meminit, in consulatu M. Fabii Vibulani & Posthumi Aebutii Helvæ Cornicinis; id est, anno urbis Romæ CCCXIII; ut mox infrà in descriptione urbis *Ardeæ* videbimus. Ex hactenus igitur allatis auctorum testimoniis omnino statuendum est, fuisse Rutulos gentem à Latinorum genere, quod Græcæ fuisse originis suprà ostensum est, planè diversam atque discretam; donec & ipsi, simul cum Volscis, Ausonibus, Hernicis, & Aequis, bello superati, sub unum Latii nomen redacti fuêre. Hinc Plinius lib. III cap. V: *Latium antiquum à Tiberi Circeios usque observatum est, millium passuum* L *longitudine. tam tenues primordio imperii fuêre radices. Colonis sæpè mutatis, tenuêre alii aliis temporibus; Aborigines, Pelasgi, Arcades, Siculi, Aurunci, Rutuli. & ultra Circeios, Volsci, Osci, Ausones. unde nomen Latii processit ad Lirim amnem.* Et Strabo lib. V: Οἱ δ' οὖν Λατῖνοι καταρχὰς μὲν ἦσαν ὀλίγοι, καὶ οἱ πλείους ἀπειθοῦντες Ῥωμύλῳ· ὕστερον δὲ καταπλαγέντες τὴν ἀρετὴν αὐτοῦ καὶ τὴν Ῥωμύλου καὶ τῶν μετ' ἐκεῖνον βασιλέων, ὑπήκοοι πάντες ὑπῆλθον. καταλυθέντων δὲ τῶν Λικίων καὶ τῶν Οὐολσκῶν καὶ Ἐρνίκων, ἔτι πρότερον Ῥουτύλων τε καὶ Ἀουρουγκίνων, ἡ τούτων χώρα Λατίνη προσηγορεύθη). Hoc est: *Latini ab initio erant pauci: ac plerique Romanis non obtemperabant. successu tamen temporis virtute Romuli & eorum, qui post eum regnavêre, perculsi, universi in imperium eorum cesserunt. Domitis porrò Aequis, Volscis, Hernicis, & ante hos etiam Rutulis atque Aboriginibus; omnis horum ager Latium adpellatus fuit.* Livius circa finem libri primi, in rebus Tarquinii Superbi, postremi Romanorum regis: *Reditum inde Romam. ubi adversùs Rutulos bellum summâ vi parabatur.* Ardeam Rutuli habebant; gens, ut in eâ regione atque in eâ ætate, divitiis præpollens. eaque ipsa causa belli fuit: quòd rex Romanus tum ipse ditari, exhaustus magnificentiâ publicorum operum, tum prædâ delinire popularium animos studebat. Dionysius lib. V; ubi omne illud antiquum Latium pro reducendis Tarquiniis contra Romanos conspirabat: Ῥοῦτλοι μὲν Λατίνοις μὲν ἐπικουρίαν πέμπειν οὐ πικρῶς ἀπέχοντο. Ῥωμαίοις δὲ, αὖ βουληθῶσι καταλύσασθαι τὴν ἔχθραν, ἀμοιβὴν σφῶν μετριωτέρους παρέξειν Λατίνους ἔφασαν, καὶ τὰς συμβάσεις αὐτοῖς ἀμείνους. Id est: *Rutuli Latinis auxilium diserte polliciti sunt. at Romanis tamen promittebant, si ponere inimicitias vellent; se suâ intercessione Latinos ipsis reddituros aequiores, pacemque conciliaturos.* Zonaras Annal. lib. II, de M. Furio Camillo, in exsilium abeunte: Ἐκεῖνος μὲν οὖν πρὸς Ῥουτύλους μετῆλθε. id est: *Ille ad Rutulos se contulit.* Livius lib. V: *Proficiscenteis Gallos ab Vrbe ad Romanam experiendam virtutem fortuna ipsa Ardeam, ubi Camillus exsulabat, duxit.* Cæterùm de genere atque origine Rutulorum nihil apud auctores dispicio. Turni patrisque eius Dauni genus, quod quidam, ut suprà intellexímus, ex Græciâ deduxerunt, id fortè ad *urbis* modò *Ardeæ*, non verò gentis, in qua ea condita, conditores referendum est. Fines agrorum admodùm, ut suprà dixi, fuêre angusti, intra Numicium amnem, Lanuvium, ac Coriolos, & Antium, opida concluſi.

ARDEA. Oram igitur maritimam sic describit Plinius lib. III cap. V: *Opidum Laurentum, Lucus Iovis Indigetis, amnis Numicius: Ardea, à Danaë, Persei matre, condita: dein quondam Aphrodisium: Antium colonia.* Mela lib. II cap. IIII, adverso incedens litore: *Antium, Aphrodisium, Ardea, Laurentum.* Sic equidem istis duobus geographis ARDEA *opidum* in orâ maritimâ commemoratur: haud satis propriè: quum nomen id vicus etiam nunc retineat in mediterraneo, circiter V millia passuum à mari recedens. unde meritò inter mediterranea Latii opida à Ptolemæo recensetur. nec ponitur Itinerariis antiquis in itinere inter Ostiam & Antium. Hinc etiam Strabo lib. V: Ἄρδεα κατοικία Ῥουτύλων, ἄνω ὁ σταδίους ὀκτὼ θαλάττης. Id est: *Ardea, Rutulorum domicilium,* LXX *à mari stadia recedens.* Id est, *millia passuum* VIIII, *duobus stadiis minùs.* Nescio, an in tantum aberraverit Strabo, aut scriptum ab eo fuerit ν σταδίους, L *stadia:* id est, *millia* VI *cum passibus* CCL. Haud multo anteà ita scripsit: Ἀσκάνιος Ἄλβαν ἔκτισε ἐν τῷ Ἀλβανῷ ὄρει, διέχοντα τῆς Ῥώμης ποσὸν, ὅσον καὶ ἡ Ἄρδεα. Hoc est: *Ascanius Albam condidit in monte Albano: qui tanto à Româ abest intervallo, quanto Ardea.* Hoc tandem satis rectè; si à Româ ad summum usque Albani montis verticem mensuram agas; non verò ad locum Albæ; quæ in imis fermè radicibus sita fuit. in summum verticem millia passuum sunt circiter XX. unde idem Strabo paullo antè:

Σταδίους

στάδιοι δ', ἀπὸ δὲ τῆς Ἀρδέας εἰς τὴν Ῥώμην ρξ'. id est: *Stadia sunt ab Ardeâ Romam usque* CLX. hoc est, *millia passuum* XX. Hoc sanè rectiùs, quàm quod Eutropius lib. I. de Tarquinio Superbo loquens: *Posteà Ardeam oppugnans, in octavodecimo milliario ab Vrbe positam civitatem, imperium perdidit.* De cætero, conditricem huius opidi facit Plinius, ut paullo antè intelleximus, Danaën, Persei matrem. unde epitomator eius Solinus cap. VIII: *Quis ignorat, conditam à Danaë Ardeam.* & Martianus Capella lib. VI: *Hoc loco possem etiam urbium percurrere conditores: ut, à Iano Ianiculum, à Saturno Latium, à Danaë Ardeam, ab Hercule Herculanium.* Item Virgilius Aeneid. lib. VII:

Protinus hinc fuscis tristis dea tollitur alis
Audacis Rutuli ad muros. quam dicitur urbem
Acrisionéis Danaë fundasse colonis,
Præcipiti delata Noto locus Ardea quondam
Dictus avis. & nunc magnum manet Ardea nomen.

Fabulam de ave *ardeâ* Ovidius quoque habet in Transformationum lib. XIIII: ubi fingit, Ardeam urbem, ab Aeneâ captam atque incensam, in avem eius nominis fuisse conversam. Verba eius hæc sunt:

——— Tandemque Venus victricia nati
Arma videt; Turnusque cadit: cadit Ardea, Turno
Sospite dicta potens. quam postquàm barbarus ensis
Abstulit, & tepidâ patuerunt tecta favillâ;
Congerie è mediâ tum primùm cognita præpes
Subvolat, & cineres plausis everberat alis
Et sonus & macies & pallor, & omnia, captam
Quæ deceant urbem, nomen quoque mansit in illâ
Vrbis: & ipsa suis deplangitur Ardea pennis.

Servius ad præscriptum locum Virgilii: *Hyginus in Italicis urbibus ab augurio avis Ardeam dictam vult.* Ipse Virgilius ibidem paullo antè:

Et Turno, si prima domus repetatur origo,
Inachus Acrisiusque patres, mediæque Mycenæ.

Ad hæc Servius: *Danaë, Acrisii, regis Argivorum, filia, postquàm est à Iove vitiata; pater eam intra aream inclusam præcipitavit in mare. quæ delata ad Italiam, inventa est à piscatore cum Perseo, quem illic enixa fuerat; & oblata regi Pilumno: qui eam sibi fecit uxorem: cum qua etiam Ardeam condidit: à quibus Turnum vult originem ducere.* Virgilius Aeneid. lib. VIII:

—— Luco tum fortè parentis
Pilumni Turnus sacratâ valle sedebat.

Ad hæc Servius: *Pilumnus & Pithumnus fratres fuerunt, & dii. horum Pithumnus usum stercorandorum invenit agrorum; unde & Sterquilinius dictus est: Pilumnus verò pinsendi frumenti: unde & à pistoribus colitur ab ipso etiam pilum dictum est. Quidam Pilumnum & Pithumnum Castorem & Pollucem accipiunt. nonnulli laudum deos.* Varro conjugaleis deos suspicatur. Nonius Marcellus cap. XII: *Pilumnus & Picumnus dii præsides auspiciis conjugalibus deputantur. Varro de Vitâ populi Romani lib. II: Natus si erat vitalis, sublatus ab ostetrice statuebatur in terrâ; ut auspicaretur rectus esse: ac diis conjugalibus Pilumno & Picumno in ædibus lectus sternebatur.* Virgilius Aeneid. lib. X:

Indignum est, Italos Troiam circumdare flammis
Nascentem, & patriâ Turnum consistere terrâ;
Cui Pilumnus avus, cui diva Venilia mater.

Ad hæc Servius: *Varro Pilumnum & Picumnum infantium deos esse ait eisque pro puerperâ lectum in atrio sterni, dum exploretur an utilis* [omnino scribendum, ut est apud Nonium, *vitalis*] *sit, qui natus est. Piso, Pilumnum dictum, quia pellat mala infantiæ. Sed Pilumnus idem Stercutus: ut quidam dicunt: qui propter pilum inventum, quo fruges confici solent, ita adpellatus est. Si ergo proavus Latini est; non* [*est*] *Turni avus, nam Stercuti Picus, Pici Faunus, Fauni Latinus est filius.* Atqui & omnes alii & simul ipse Virgilius patrem Pici facit Saturnum. Aeneid. lib. VII:

——— Fauno Picus pater. isque parentem
Te, Saturne, refert: tu sanguinis ultimus auctor.

Hinc

Hinc Macrobius Saturnalior. lib. VII: *Cyrenenſes etiam, quum rem divinam ei faciunt, ficis recentibus coronantur; placentasque mutuò miſſitant; mellis & fructuum repertorem Saturnum æſtimantes. Hunc Romani etiam Stercutum vocant: quòd primus ſtercore fecunditatem agris paraverit.* Ergo *Pilumnus* iſte nihil ad *Turnum* pertinebat. totaque hæc res de *Danaës* ac *Perſei* ad Italiam adpulſu fabulosè conficta eſt. Hinc longè aliam de iis conſcripsêre hiſtoriam alii fabulatores. Hyginus Μυθολογικῶν cap. LXIII: *Danaë, Acriſii & Aganippes filia. huic fuit fatum, ut, quod peperiſſet, Acriſium interficeret. quòd timens Acriſius, eam in muro lapideo præcluſit. Iovis autem, in imbrem aureum converſus, cum Danaë concubuit: ex quo compreſſu natus eſt Perſeus. quam pater obſtuprum incluſam in arcâ cum Perſeo in mare dejecit. Ea voluntate Iovis delata eſt in inſulam Seriphum. quam piſcator Dictys quum inveniſſet; effractâ, vidit mulierem cum infante. quos adregem Polydectem perduxit. qui eam in conjugio habuit: & Perſeum educavit in templo Minervæ. quod quum Acriſius reſciſſet, eos ad Polydectem morari; repetitum eos profectus eſt. quò quum veniſſet; Polydectes pro eis deprecatus eſt. Perſeus Acriſio, avo ſuo, fidem dedit, ſe eum numquàm interfecturum. qui quum tempeſtate retineretur, Polydectes moritur. cui quum funebreis ludos facerent; Perſeus diſco miſſo, quem ventus diſtulit in caput Acriſii, eum interfecit. ita, quod voluntate ſua noluit, deorum factum eſt. Sepulto autem eo, Argos profectus eſt; regnaque avita poſſedit.* Eamdem ferè fabulam de Danaë ac Perſeo narrat & Apollodorus de Diis lib. II. Ex opinione igitur eorum, à quibus eam hiſtoriam habuêre Apollodorus Hyginusque, numquàm in Italiam pervênit Danaë. De *Venilia* item, quam Turni matrem facit Virgilius, ita ſcribit ibidem Servius: *Hanc Veniliam quidam Salaciam accipiunt, Neptuni uxorem. Salaciam à ſalo; Venilia, quòd veniam det exigentibus.* Alii igitur alium conditorem Ardeæ prodidere. Dionyſius lib. I: Ξεναγόρας ἢ ὁ συγγραφεὺς ἱστορεῖ, Ὀδυσσέως καὶ Κίρκης υἱὸς γεγενέσθαι τρεῖς, Ῥῶμον, Ἀντίαν, Ἀρδέαν· οἰκίσαντας δὲ τρεῖς πόλεις, ἀφ' ἑαυτῶν θέσθαι τοῖς κτίσμασι τὰς ὀνομασίας. Id eſt: *Xenagoras hiſtoricus tradit, Vlyſſis & Circes treis fuiſſe filios, Romum, Antiam, atque Ardeam. hos conditis tribus urbibus à ſe impoſuiſſe nomina.* Stephani epitomator: Ἀρδέα καπικία, ἡ Ἰταλίας. Στράβων πέμπτῃ. ἐκλήθη δὲ ἀπὸ ἑνὸς τῶν παίδων Ὀδυσσέως καὶ Κίρκης. αὕτη Τροία ἐλέγετο· ὡς Χάραξ. Id eſt; *Ardea, opidum Italiæ: teſte Strabone lib. V. Nomen accepit ab uno filiorum Vlyſſis atque Circes. Hæc Troia vocabatur; ut auctor eſt Charax.* Eum locum, in quem primum egreſſus ferebatur Aeneas, in opidi modum communitum, adpellatum fuiſſe Troiam, ſuprà cap. II huius libri III intelleximus. at egreſſum fuiſſe Aeneam, alii tradidêre, ad oſtium Tiberis amnis; alii, haud procul Laurento; ubi Lavinium opidum condidiſſe fertur. De *Ardeâ* itaque, miror, unde id habuerit Charax. Sed ſumma huius opidi antiquitas ſatis inde perſpicitur, quòd originem eius fabulis illis antiquiſſimis de Danaë atque Circe involverunt ſcriptores Græcorum vetuſtiſsimi. unde & illud Strabonis dicto lib. V: Ἀβοριγῖνες τε, οἱ περὶ τὴν Ῥώμην, καὶ Ῥάτυλοι, οἱ τὴν ἀρχαίαν Ἀρδέαν ἔχοντες. Hoc eſt: *Aborigines, qui circa Romam incolebant; & Rutuli, qui antiquam tenebant Ardeam.* Nec equidem ego dubitaverim, quin Græca aliqua colonia, Rutulorum litori claſſe adpulſa, opidum hoc condiderit. quo autem tempore, quove duce id factum ſit, minimè diſpicio. nec temerè adfirmaverim, Aborigines atque Pelaſgos, id eſt, Latinos, ſubactâ armis Rutulorum gente, coloniam huc deduxiſſe ſui generis, id eſt, *Argivam*. Cæterùm opidani inde dicuntur Græcis auctoribus Ἀρδεάται, Latinis ARDEATES. Livio autem lib. IIII & Columellæ lib. III cap. VIIII item Senecæ epiſt. CV dicitur ARDEATINVS *ager:* & Livio ibidem *Ardeatinum fœdus:* auctori autem Vitæ Pomponii Attici *Ardeatinum prædium*. Coloniam Romanos huc deduxiſſe anno urbis ſuæ CCCXIII, M. Fabio Vibulano & Poſthumo Aebutio Cornicine conſulibus, auctor eſt Livius dicto lib. IIII. *Fabius*, inquit, *& Aebutius conſules ſenatus conſultum fecerunt, ut, quoniam civitas Ardeatium inteſtino tumultu redacta ad paucos eſſet, coloni eò præſidii causâ adversùs Volſcos ſcriberentur. Conſenſerant autem, ut, multo maiore parte Rutulorum colonorum, quàm Romanorum, ſcriptâ, nec ager ullus divideretur, niſi is, qui interceptus judicio infami erat; nec ulli priùs Romano ibi, quàm omnibus Rutulis diviſus eſſet, gleba ulla agri adſignaretur. Triumviri ad coloniam Ardeam deducendam creati, Agrippa Menenius T. Clœlius Siculus, M. Aebutius Helva.* Annus hic fuit primus Olympiadis LXXXV. At auctor ἀνώνυμος Olympiadum quinquennio pòſt eam deductionem

ductionem refert. Ὀλυμπιάδος, inquit, πέμπτῃ καὶ β' Ῥωμαῖοι εἰς Ἀρδέαν ἀποίκους ἀπέστειλαν. Id est: *Olympiadis* LXXXVI *anno* II *Romani Ardeam colonos miserunt*. Hinc Livius lib. XXVII & XXVIIII inter XII colonias, quæ bello Hannibalico consulibus negaverunt esse, unde milites pecuniamque darent, Ardeam quoque connumerat. Sed & ipsa quondam coloniam in Hispaniam usque misit, quæ illic *Saguntum* dicta est. Livius lib. XXI: *Saguntum summâ vi oppugnabatur. civitas ea longè opulentissima ultra Iberum fuit. oriundi à Zacyntho insulâ dicuntur: mistique etiam ab Ardeâ Rutulorum quidam generis*. Apud Silium lib. I legati Saguntinorum ita Romanis supplicant in senatu:

Vos per culta diu Rutulæ primordia gentis
Laurentemque larem & genetricis pignora Troiæ
Conservate pios, qui permutare coacti
Acrisionéis Tirynthia culmina muris.
——— *Vetus incola Dauni*
Testor vos fonteis & stagna arcana Numici:
Quum felix nimium demitteret Ardea pubem
Sacra domumque ferens & avi penetralia Turni
Vltra Pyrenen Laurentia numina vexit.

Cæterùm de agro Ardeatino hæc adnotavit Strabo dicto lib. V: Ἅπασα δὲ ἡ Λατίνη ἐστὶν εὐδαίμων καὶ πμφόρος, πλὴν ὀλίγων χωρίων, τῶν κατὰ τὴν παραλίαν, ὅσοι ἕλειοί εἰσι καὶ νοσεροί, οἷα τὸ Ἀρδεατῶν καὶ μεταξὺ Ἀντίου καὶ Λαουϊνίου, μέχρι Πομετίνης. Hoc est: *Omne Latium felix est, & omnium rerum ferax; exceptis paucis quibusdam locis maritimis, quæ palustria sunt atque morbosa; qualis est Ardeatium ager, & quod est inter Antium & Lavinium, usque ad Pometinum campum*. Hinc illud Senecæ Epist. CV: *Quæ observanda tibi sunt, ut tutior vivas, dicam. Tu tamen sic audias, censeo, ista præcepta, quomodò si tibi præciperem, qua ratione bonam valetudinem in Ardeatino tuereris*. Et item istud Martialis lib. IIII epigram. LX:

Ardea solstitio Castranaque rura petantur,
Quique Cleonæo sidere fervet ager;
Quum Tiburtinas damnet Curiatius auras,
Inter laudatas ad Styga missus aquas,
Nullo fata loco possis excludere. quum mors
Venerit, in medio Tibure Sardinia est.

Quum Curiatius iste, gravi morbo adflictus, convalescere Tibure nequiret, cœlum atque aërem accusabat Tiburtinum. At poëta ait, non id vitio Tiburtinæ auræ, sed fato Curiatii fieri; quod videretur jam mortem illi immittere. quæ quum venerit, nihil interesse, utrùm in saluberrimo versetur Tiburtino agro, an verò in pestilentissimi cœli Sardiniâ. Itaque dignum esse, uti in morbosum Ardeatinum Castranumque mittatur agrum, qui tam indignè de saluberrimâ Tiburtinâ aurâ queratur.

AQVAE Ardeatinæ; *qui* & FONTES SVLPHVRATI, & TVRNI *lacus*.

Cæterùm aquæ medicatæ visuntur prope Ardeam frigidorum fontium, quæ haud dubiè vulgò dicebantur olim AQVAE ARDEATINAE; Vitruvio autem lib. VIII cap. III sunt FONTES SVLPHVRATI. *Sunt etiam*, inquit, *odore & sapore non bono frigidi fontes, qui, ab inferioribus locis penitus orti, per loca ardentia transeunt; & ab his per longum spacium terræ percurrentes, refrigerati perveniunt supra terram, sapore, odore, coloreque corrupto; ut in Tiburtinâ viâ flumen Albula; & in Ardeatino fontes frigidi eodem sapore, qui Sulphurati dicuntur*. Fontes hi exiguum efficiunt lacum; qui videtur cognominatur fuisse TVRNI LACVS. Columella Rusticar. rer. lib. X:

Et Turni lacus, & pomosi Tiburis arva.

APHRODISIVM, *seu* TEMPLVM VENERIS.

Inter Ardeam & Antium, cuius promontorium apud Neptunium opidum vulgò vocatur *Capo d'Anzo*, APHRODISIVM illud, id est, VENERIS TEMPLVM, Melæ atque Plinio in litore memoratum, in eodem fuisse puto Rutulorum agro: sic quidpe Strabo dicto lib. V: Ἀρδέα, κατοικία Ῥουτέλων. ἔστι δὲ καὶ ταύτῃ πλησίον Ἀφροδίσιον, ὅπερ πανηγυρίζουσι Λατῖνοι. Id est: *Ardea, Rutulorum domicilium. prope hanc est etiam Aphrodisium; ad quod Latini solennem agitant conventum*. Plinius lib. III cap. V: *Opidum Laurentum, Lucus Iovis Indigetis, amnis Numicius; Ardea: dein quondam Aphrodisium: Antium*. Mela lib. II cap. IIII, adverso incedens litore: *Antium, Aphrodisium, Ardea, Laurentum*. Sed Aphrodisium hoc jam Plinii ætate non exstitisse, disertè patet ex

tet ex voce quondam. Fuerat fortè circa S. Anastasiæ fanum, quod vocant; IIII circiter millia ab Ardeâ.

Fuit prætereà hoc tractu CASTRVM INVI *opidum*; Virgilio, Ovidio, Silioque memoratum. à quo Martiali loco proximè scripto opidani dicuntur CASTRANI. Apud Virgilium Aeneid. lib. VI Anchises Aeneam filium apud inferos de futuris Albanis regibus ita docet:

Hi tibi Nomentum & Gabios urbemque Fidenam,
Hi Collatinas imponent montibus arceis;
Pometios Castrumque Inui Bolamque Coramque.
Hæc tum nomina erunt. nunc sunt sine nomine terræ.

Ad hæc ita Servius: *Castrumque Inui. Vna est in Italia civitas: Castrum novum dicitur. de hac autem ait Castrum Inui, id est, Panos, qui illic colitur. Inuus enim Latinè adpellatur, [qui] Græce* Πάν· *item* Ἐφιάλτης *Græcè, Latinè Incubus. idem Faunus; idem Fatuus, Fatuellus. Dicitur autem Inuus, ab eundo passim cum omnibus animalibus. unde & Incubus dicitur.* Haud ampliùs exstitisse Servii tempestate hoc Castrum Inui in Rutulis, seu Novo Latio, ex eo patet, quòd unam tunc in Italiâ civitatem ait fuisse, nomine Castrum novum. quam per summum errorem putavit esse idem opidum, quod Virgilio heic Castrum Inui dicitur: quum istud Castrum novum, apud quod idem colebatur deus Pan, seu aliis nominibus, Silvanus, Inuus, Faunus, Iucubus, unde illi fons erroris, in Tusco fuerit litore, haud procul Centumcellis, quæ nunc vulgò *Città vecchia* vocatur; ut suprà lib. II cap. II abundè ostensum. nam Albanis regibus nihil rei vel imperii esse potuit tam procul ab Albâ suâ Longâ, in Etruriâ. satis verò disertè Castrum Inui Virgilius inter alia Latii opida computat. unde etiam perpetuus ille Virgilii imitator Silius, & ipse disertissimis verbis in hoc circa Numicium amnem & Ardeam litore id ponit lib. VIII, his versibus:

Sacra manus Rutuli, servant qui Daunia regna,
Laurentique domo gaudent, & fonte Numici:
Quos Castrum Phrygibusque gravis quondam Ardea misit.

Hinc & illud Martialis, quod paullo ante citavimus ex lib. IIII epigr. LX:

Ardea solstitio Castranaque rura petantur;
Quique Cleonæo sidere fervet ager.

Heic equidem pleraque exemplaria habent Pæstanaque rura. verùm potiorem esse fidem eorum, quæ habent Castrana, cùm ex Silio patet, tùm verò maximè ex Ovidio: qui & ipse disertissimè Castrum opidum inter Antium collocat & Lavinium Μεταμορφώζεων lib. XV; ubi de Aesculapii dei, è Græciâ Romam devecti, navigatione ita tradit.

Hinc calidi fontes lentisciferumque tenetur
Linternum, multamque trahens sub gurgite arenam
Vulturnus, niveisque frequens Sinuessa colubris,
Minturnæque graves, & quam tumulavit alumnus,
Antiphataque domus, Trachasque obsessa palude,
Et tellus Circæa, & spissi litoris Antium.
Huc ubi veliferam nautæ advertêre carinam,
(Asper enim pontus erat) deus explicat orbeis:
Perque sinus crebros & magna volumina labens,
Templa parentis init, flavum tangentia litus.
Aequore placato, patrias Epidaurius aras
Linquit; &, hospitio juncti sibi numinis usus,
Litoream tractu squammæ crepitantis arenam
Sulcat; &, innixus moderamine navis, in altâ
Puppe caput posuit; donec Castrumque sacrasque
Lavini sedeis Tiberinaque ad ostia venit.

Ardeam inter Antium & Lavinium videtur noluisse nominare, quia à litore paullo remotior erat. Fuisse autem *Castrum Inui* in Rutulorum agro, ex Silii maximè præscripto loco colligo. Collocandum igitur censeo inter prædictum *Aphrodisium* & Volscorum opidum *Antium*. Atque hæc ferè sunt opida locaque à veteribus auctoribus in Rutulorum finibus memorata.

CAP.

CAP. VI.

De HERNICIS.

AB oriente Solis æstivi contermini fuêre veterrimo illi Latio HERNICI populi. quos & ipsos alieni discretique ab initio fuisse generis ab Latinorum, disertis adfirmant testimoniis auctores. Dionysius lib. VIII: Ἀφίκετο δὲ αὐτοῖς ἐπικουρία παρὰ Λατίνων τε καὶ Ἑρνίκων ἔθνους διπλάσιον ἢ κληθέντος πεζικοῦ. Id est: *Latini atque Hernici duplum eius auxilii, quod petitum fuerat, miserunt.* Et eodem libro posteà: Εἰς τὴν Λατίνων τε καὶ Ἑρνίκων γῆν πρῶτον ἐνέβαλον. Hoc est: *Latinorum Hernicorumque agros primùm invaserunt.* Et lib. XI: Ἔγνω τὴν κρατίστην τῶν πολεμίων δύναμιν ἐπὶ τοὺς ὁμόρους τῶν Ἑρνίκων τε καὶ Λατίνων γῆς ἐξεληλυθέναι. Hoc est: *Cognovit, firmissimum hostium robur in Hernicorum & Latinorum agros prædatum exiisse.* Livius lib. III: *Inter hæc ab Latinis & Hernicis legati gratulatum de concordiâ patrum ac plebis Romam venerunt.* Et lib. VII; de populo Romano loquens: *Qui omnia circa sè, Sabinos, Etruriam, Latinos, Hernicos, Æquos, Volscos, Auruncos domita armis habeat.* Plinius lib. III cap. V: *Et qui ex agro Latino, item Hernico, item Labicano, cognominati.* Strabo lib. V: Οἱ μὲν Λατῖνοι καταρχὰς μὲν ἦσαν ὀλίγοι. ὕστερον δὲ καταλυθέντων τῶν τε Αἴκων καὶ τῶν Οὐόλσκων καὶ Ἑρνίκων, καὶ τούτων χώρα Λατίνη προσηγορεύθη πᾶσα. Hoc est: *Ab initio equidem pauci erant Latini. postmodùm verò perdomitis Æquis & Volscis atque Hernicis, omnis horum ager Latinus adpellatus est.* In veteri tamen illi Latio, quod jam inde sub regibus Romanorum ad Circeios usque fineis habuit, non fuerunt. sed Novo denique Latio, cuius terminus erat Liris amnis, vulgò nunc *Garigliano* dictus, adjecti sunt. Cæterùm eiusdem cum Sabinis, Picentibus, Pelignis, atque Marsis fuisse genèris, ex Festo ac Servio colligo, quorum ille, *Hernici*, inquit, *dicti sunt à saxis, quæ Marsi herna dicunt.* Virgilius Aeneid. lib. VII:

Quique altum Præneste viri, quique arva Gabinæ
Iunonis, gelidumque Anienem, & roscida rivis
Hernica saxa colunt.

Ad hæc ita Servius: *Sabinorum linguâ saxa herna vocantur. Quidam dux magnus Sabinos de suis locis elicuit, & habitare secum fecit saxosis in montibus. unde dicta sunt Hernica loca, & populi Hernici.* Certè quum suprà scripti auctores tam disertè Hernicorum gentem ab Latinorum nomine discreverint; & hi etiam Sabinæ eos stirpi adseruerint: miror ego, quibus documentis eos Hyginus à Pelasgis deduxerit. Macrobius Saturnalior. lib. V cap. XVIII; de Virgilio disserens: *Sunt in libro VII illi versus, quibus Hernici populi & eorum nobilissima, ut tunc erat, civitas Anagnia enumerantur:*

—— Quos dives Anagnia pascit,
Quos Amasene pater. non illis omnibus arma,
Nec clypei curruisve sonant. pars maxima glandes
Liventis plumbi spargit: pars spicula gestat
Bina manu; fulvosque lupi de pelle galeros
Tegmen habent capiti. vestigia nuda sinistri
Instituêre pedis: crudus tegit altera pero.

Hunc morem in Italiâ fuisse, ut uno pede calceato, altero nudo iretur ad bellum, nusquàm adhuc, quod sciam, reperi. sed eam Græcorum nonnullis consvetudinem fuisse, locupleti auctore jam palam faciam. in qua quidem re mirari est poëtæ huius occultissimam diligentiam. qui quum legisset, Hernicos, quorum est Anagnia, à Pelasgis oriundos: adpellatosque ita à Pelasgo quodam duce suo, qui Hernicus nominabatur; morem, quem de Aetoliâ legerat, Hernicis adsignavit; qui sunt vetus colonia Pelasgorum. Et Hernicum quidem, hominem Pelasgum, ducem Hernicis fuisse, Iulius Hyginus in lib. XI urbium non paucis verbis probat. Morem verò Aetolis fuisse, uno tantummodo pede calceato in bellum ire, ostendit clarissimus scriptor Euripides tragicus: in cuius tragœdiâ, quæ Meleager inscribitur, nuncius inducitur describens, quo quisque habitu fuerit ex ducibus, qui ad aprum capiendum convenerant. in eo hi versus sunt:

——— οἱ δὲ Θεστίῳ
Παῖδες τὸ λαιὸν ἴχνος ἀνάρβυλοι ποδὸς,
Τὸν δ' ἐν πεδίλοις, ὡς ἐλαφρίζον γόνυ
Ἔχοιεν· ὃς δὴ πᾶσιν Αἰτωλοῖς νόμος.
[Hoc est: ——— *At Thestii*
Filii lævum vestigium pedis sine calceis habebant,
Alterum verò pedem in calceis; quò leve genu
Ipsis esset. qui omnibus Aetolis est mos.

In qua quidem re reprehensus Euripides ab Aristotele: qui ignorantium istud Euripidis fuisse contendit: Aetolos enim non lævum pedem habere nudum, sed dextrum. Tamen Virgilius Euripide auctore, quàm Aristotele, uti maluit. nam ut hæc ignoraverit vir tam anxiè doctus, minimè crediderim. Iure autem prætulit Euripidem. est enim ingens ei cum Græcarum tragœdiarum scriptoribus familiaritas. Vellem sanè, non *pauca* illa *verba*, quibus Hyginus probavit, Hernicum quemdam, hominem Pelasgum, ducem Hernicis fuisse, adscripsisset Macrobius. nam quod ipse ait, *Aetolos veterem* fuisse *Pelasgorum coloniam*, id vereor uti satis compertum habuerit: quandoquidem Strabo lib. VIIII ac X *Aetolos* ex veterum *Curetum* fuisse genere probat; Dionysius verò Halicarnassensis lib. I, ut mox suprà cap. I huius libri III, & item cap. I lib. II citavimus, *Pelasgos* tradit pulsos fuisse è Thessaliâ à *Curetibus* ac *Lelegibus*, qui posteà *Aetoli* ac *Locri* dicti sint. *Pelasgos* autem istos, postquàm in Italiam pervenerint, partim *Tyrrhenos* dictos fuisse, regionemque eorum, in XII principatus divisam, *Tyrrheniam*; partim verò cum *Aboriginibus* conjunctos commune cum his accepisse nomen Latinorum, prædictis lib. I cap. I ac lib. III cap. I & II abundè à nobis demonstratum est. Cum Latinis verò quidquam Hernicos vel in sermone vel in moribus, qui utrique fuêre Græcanici, habuisse commune, juxta mecum nusquàm dispexisse puto apud auctores Macrobium. Et quis jam miretur, Virgilium, quum vetustissimis illis Hernicis, quos Aeneæ rebus induxit, aliquid antiquissimi moris adfingere vellet, mutuatum esse illud ex Euripide de *Aetolis*; quum usitatissimum hoc illi deprehendatur esse etiam in aliis Italiæ gentibus? Quapropter potior heic nobis præscriptorum auctorum sit sententia, qui satis apertè à Pelasgorum genere Hernicos excludunt, dum alienos planè faciunt à Latinorum gente: maximè verò ii, qui à Sabinis eos deducunt. Quin, si horum testimonium verùm, quòd *Sabinis* atque *Marsis saxa dicta* sint *herna*; haud obscurum est, ipsum poëtam Virgilium originem nominis *Hernicorum* innuere voluisse his verbis: *Hernica* saxa colunt. Formationem vocabuli quod attinet; Latini id quidem auctores fecêre Hernici, Hernicorum: atque ita Latinâ formatione Strabo quoque οἱ Ἕρνικοι. at Dionysio lib. IIII & VIII sunt οἱ Ἕρνικες, *Hernices*. unde eodem lib. VIII obliqui ei casus sunt τοῖς Ἕρνιξι, *Hernicibus*, & οὖν Ἑρνίκας *Hernicas*. itaque suprà scriptis etiam libris VIII & XI obliquus τῶν Ἑρνίκων ab eodem ei formatus est recto Ἕρνικες. Hinc Stephani epitomator: Ἕρνικες, ἔθνος Λατίνων· Διονύσιος ὀγδόῳ τῆς Ῥωμαϊκῆς ἀρχαιολογίας. Id est: *Hernices, gens Latinorum: auctore Dionysio Romanar. antiquit. lib.* VIII. Postmodùm equidem Novo Latio, cuius extimus finis, ut suprà dixi, Liris amnis fuit, adscripti fuêre Hernici. at illis temporibus, quorum res Dionysius refert lib. VIII, gens adhuc per se censebantur, & ab Latinorum nomine aliena. quod ipse etiam testatur eodem libro Dionysius, his verbis de Sp. Cassio consule loquens: Διαπραξάμενος δὲ τὸν θρίαμβον αὐτῷ δοθῆναι, τὰς πρὸς Ἕρνικας ἐξώνεγκεν ὁμολογίας. αὗται δὲ ἦσαν ἀνύγραφοι τῶν πρὸς Λατίνους γραμμάτων. ἐφ' αἷς πάνυ ἤχθοντο οἱ πρεσβύτατοί τε καὶ τιμιώτατοι, καὶ δι' ὑπονοίας αὐτὰς ἐλάμβανον, οὐκ ἀξιοῦντες τῆς ἴσης τιμῆς τοῖς συγγενέσι Λατίνοις οὖν ἀλλοεθνεῖς Ἕρνικας τυγχάνειν. Id est: *Triumpho impetrato, pacis Hernicis datæ conditiones protulit, transscriptas ex Latinorum fœdere. quas ægerrimè tulit honoratissimus quisque senatorum & natu maximus; ipsumque suspectum habebant; quòd indignum censerent, cognatis suis Latinis honore æquari alienigenas.*

Cæterùm de finibus Hernici agri ita tradit Strabo prædicto lib. V: Ἕρνικες ἤ πλησίον ᾤκησαν τῷ τε Λαβίνῳ καὶ τῇ Ἄλβᾳ καὶ αὐτῇ τῇ Ῥώμῃ· οὐκ ἄπωθεν δὲ ἀδὲ Ἀρικία καὶ Τελλῆναι καὶ Ἄντιον. Id est: *Hernici incolebant prope Lavinium & Albam, & ipsam adeò Romam. nec procul ab eorum finibus aberant, Aricia, Tellenæ, Antium.* Mira sanè finium Hernicorum

nicorum circumscriptio : ut quæ plurimam potissimamque vetustissimi illius Latii partem occupet. Falsum hoc esse, suprà in Latii descriptione patuit. ubi singulas eius urbeis disertis auctorum testimoniis Latino nomini adseruimus. Et rectiùs ipse Strabo de eorumdem Hernicorum finibus eodem libro haud ita multo pòst; ubi opida Ferentinum, Frusinonem, Fabruteriam, Aquinum, Interamnam, Casinum enumeravit: Πλεῖστα δ' εἰσὶ τούτων ἐν τῇ Λατίνων ὁδῷ τῇ ἐπέκεινα ἐν τῇ Ἑρνίκων τῇ Λίσκων καὶ Οὐόλσκων, ἰδρυμένα. Hoc est: *Harum urbium, aliarumque in viâ Latinâ ulteriùs, pleraque in Hernicorum, Aequorum, Volscorumque agro sitæ sunt.* Et item mox posteà: Εἶτ' ἐν τοῖς ὄρεσι, τοῖς ὑπὲρ Πραινέστου ἤ τῆ Ἑρνίκων πολίχνη Καπίτυλον, καὶ Ἀναγνία πόλις ἀξιόλογοι. Id est: *Deinde in montibus ultra Præneste Hernicorum est opidulum Capitulum; & Anagnia, urbs illustris.* Dionysius lib. VIII: Ἀκύλιος μὲν οὖν ἐν τῇ Πραινεστίνων χώρᾳ τὸν Ἑρνίκων στρατὸν ὑποψίους καθεώρα, αὐλισάμενος πεδόθεν ὡς ἐδυνάτο μάλιστα ἀγχοτάτω, σταδίους ἀπὸ τῆς ὁρμῆς ἀπεχὼν ὀλίγῳ πλείους διακοσίων. Id est: *Aquilius, Herniciis in agro Prænestino inventis, prope castra illorum & ipse metatus sua est, paullo longiùs ab Vrbe, quàm stadia CC.* Livius lib. VII: *Quum consules in Hernicos exercitum duxissent, non inventis in agro hostibus, Ferentinum, urbem eorum vi ceperunt.* Lib. VIII: *Id ægrè passi Hernici, concilium populorum omnium habentibus Anagninis in circo, quem Maritimum vocant, præter Alatrinatem Ferentinatemque & Verulanum, omnes Hernici nominis populo Romano bellum induxerunt.* Haud dubiè scripsit ipse Livius, *omnes Hernici nominis populi Romanis bellum indixerunt.* Alioquin dixisset, præter Alatrinates Ferentinatesque & Verulanos. Omnia ista opida, Anagnia, Ferentinum, Alatrinum, Verulum iisdem nominibus hodiéque manent, ab urbe Româ ac Prænestè in orientem versùs circa viam Latinam sita. Fuêre igitur Hernici medii inter Latinos, Aequos, Marsos, atque Volscos. Latinorum fuisse *Prænestè*, suprà cap. IIII huius libri III intellectum: Aequorum fuisse *Trebam*, haud ita procul fontibus Anienis, lib. II cap. XVI ostensum: Marsorum fuisse ortus *Liris* amnis atque superior eius partem, ad regionem usque opidi, cui vulgaris adpellatio S. Bartolomèo, eodem lib. II cap. XV indicatum est. hinc Soram, Arpinum, Frusinonem, Setiam, Signiam, Normam, Volscorum fuisse opida, infrà patet. Satis igitur arctis inclusi fuêre finibus Hernici, in longum ex occidente in orientem porrecti. Quapropter miror apud Dionysium suprà dicto lib. VIII consulis Romani Sp. Cassii orationem, ubi ait, Ὅτι τὸ Ἑρνίκων ἔθνος μέγα τε καὶ ἄλκιμον καὶ πλησίον σφῶν κείμενον, βλάπτειν τε καὶ ὠφελεῖν τὰ μέγιστα ἱκανώτατον, ἐκείσιον ἀγαγέσθαι. Id est: *Se Hernicos, gentem magnam ac validam, nec procul sitam: quæ magnoperè vel lædere vel prodesse possit: ad deditionem ultro faciendam adduxisse.* Ἄλκιμον fuisse ἔθνος, id est, *gentem validam, bellicosam atque fortem*, ex Dionysii Liviique manifestum est historiis. Virgilius item cur Amasenum flumen in Hernicis nominaverit, minimè dispicio. Verba eius Aeneid. lib. VII suprà citata sunt ista:

Quique altum Præneste viri, quique arva Gabinæ
Iunonis, gelidumque Anienem & roscida rivis
Hernica saxa colunt: quos dives Anagnia pascit,
Quos Amasene pater.

Ad quæ ita Servius: *Amasenus est fluvius, qui Anagninsèis agros irrigat.* Hoc sanè nescio quomodò fieri potuerit; quum inter Amasenum, qui apud Circæum montem in mare effunditur, & Anagniam intercedant Signini atque Setini, clarorum in Volscis opulentorumque opidorum, agri. At roscida rivis adpellasse potuit poëta Hernica ista saxa, id est, agros saxosos, quia Trero & Cosa fluminibus, quæ in Liris dextram ripam defluunt, aliisque minoribus rivis, qui ex hisce montibus oriuntur, irrigabantur. Virgilium suum hac quoque in re imitatus est Silius lib. III:

Quosque in prægelidis duratos Hernica rivis
Mittebant saxa.

Et alio modo lib. VIII:

Quis Circæa juga & scopulosi verticis Anxur,
Hernicaque impresso raduntur vomere saxa.

Caput gentis haud dubiè fuit ANAGNIA, vulgò nunc Anagni dicta. quod inde colligo, quia Anagnini omnium gentis suæ populorum concilium habuerint. unde etiam una hæc ex omnibus Hernicorum urbibus Virgilio memoratur; adjecto etiam

epitheto *divitis*. quam existimationem multis sæculis retinuisse, patet ex eo, quòd Straboni suprà dicto loco præ cæteris dicatur πόλις ἀξιόλογος, id est, *urbs nobilis atque illustris*. Meminêre eius, præter modo dictos auctores, Cicero, in oratione pro domo suâ, & ad Atticum lib. XVI epist. VIII; Silius lib. VIII & XII: Tacitus Historiar. lib. III; Ptolemæus in Latio. Opidani inde sunt Livio prædicto lib. VIII, Ciceroni dictâ oratione pro domo suâ, & item pro Annio Milone, Plinio lib. III cap. V, ac Festo, ANAGNINI. qui apud Diodorum lib. XX nescio an Græcâ formatione fuerint Ἀναγνῖται, *Anagnites*. nam, ut pleraque apud hunc auctorem Italicarum urbium populorumque vocabula, sic hoc etiam corruptum illic legitur obliquo casu Αἰγνήτας. Sic igitur illic legendum: Μετὰ ταῦτα οἱ Ῥωμαῖοι τοῖς μὲν Ἀναγνίταις, ἀδικήμασί τισι, πόλεμον κατήγγελλαν. Φασὶν δ' οὐκ πολιορκήσαντες, ἀπέδοντο τῷ χώρᾳ. Id est: *Post hæc Romani Anagninis propter injurias illatas bellum indixerunt: ac Frusinone expugnato, agrum venum dedêre*. Fuisse posteà municipium populi Romani, testatur Cicero prædictâ oratione pro domo suâ. *Quæ res*, inquit, *municipibus Anagninis multo majori dolori fuit, quàm quæ idem ille gladiator scelera Anagniæ fecit*. Et item Festus: *Alio modo municipium dicitur, quum id genus hominum definitur, quorum civitas universa in civitatem Romanam venit: ut Aricini, Cærites, Anagnini*. Coloniam etiam factam testatur Frontinus in libro de Coloniis. *Anagnia*, inquit, *muro ducta colonia Drusi Cæsaris. populus deduxit*. Atidem Festus etiam inter præfecturas eam connumerat. *Præfecturæ*, inquit, *eæ adpellabantur in Italiâ, in quibus & jus dicebatur & nundinæ agebantur. & erat quædam earum respublica. neque tamen magistratus suos habebant. in quas legibus præfecti mittebantur quotannis, qui jus dicerent. quarum genera fuerunt duo: alterum, in quas ibant, quos præter Vrbanus quotannis in quæque loca miserat legibus; ut, Fundos, Formias, Cære, Anagniam, Frusinonem*. Agrum Anagninum celebrat Silius lib. VIII:

Queis putri pinguis sulcaris Anagnia glebâ

Et item lib. XII:

——— *Surgit, suspensa tumenti*
Dorso, frugiferis Cerealis Anagnia glebis.

Porrò iter per Anagninum cæterumque Hernicorum agrum in Itinerariis describitur huiusmodi:

Antonini:		Antonini:		Tabulæ:	
Viâ Prænestinâ ab Vrbe;		*Viâ Lavicanâ ab Vrbe;*		*Româ, viâ Lavicanâ;*	
Gabios	XII.	*Ad Quintanas*	XV.	*Ad Quintanas*	XV.
Prænestè	XI.			*Ad Statuas*	III.
		Ad Pictas	X.	*Ad Pictas*	VII.
				Ad Bivium	V.
Sub Anagniâ	XXIIII.	*Compitum*	XV.	*Compito Anagnino*	X.
Ferentino	VIII.	*Ferentino*	VIII.	*Ferentinum*	VIIII.
Frusinone	VII.	*Frusinone*	VII.		

Viam Lavicanam apud Pictas incidisse in Latinam, suprà cap. IIII perspectum est. Hoc igitur in viâ Latinâ COMPITVM ANAGNINVM eumdem fuisse locum, qui Antonino in altero itinere dicitur SVB ANAGNIA, ex intervallo VIII millium, quæ inde sunt Ferentinum usque, perspicitur. Ex eodem autem intervallo, sive ex VIIII millibus passuum, quæ Tabula habet, certo documento colligo, eum sic adpellatum fuisse locum, qui hodiè quoque sub Anagniâ, ad III millia passuum in occasum versùs, in eodem viæ Latinæ itinere frequentatur vulgari adpellatione *Castel Mattéo*, opidum exiguum. Vetustissima eius memoria exstat apud Livium lib. XXVII, in consulatu M. Claudii Marcelli & M. Valerii Lævini; anno urbis Romæ IↃXLIII, ante natum Iesum CCX. *Iisdem fermè*, inquit, *diebus Anagniæ terram ante portam ictam diem ac noctem sine ullo ignis alimento arsisse, nunciatum est: & aves ad Compitum Anagninum in luco Dianæ nidos in arboribus reliquisse*. Qua opidi regione LVCVS iste DIANAE fuerit, incertum est. Cæterò nomen opido seu loco inde

inde inditum videtur, quòd heic *compitum* fuerit duarum viarum, Latinæ Prænestinæque.

Porrò ab Anagniâ VI circiter millia passuum in orientem æstivum progredientibus est opidum vulgari nunc vocabulo *Alatro*. id antiquitus dicebatur Ἀλάτριον. ALATRIVM, & Ἀλέτριον, ALETRIVM. Plautus in Captivis. ALATRIVM municipium & colonia.

HEG. *Certon'?* ERG. Νὴ τὸν Φρεζινῶνα. HEG. *Vide sis.* ERG. Νὴ τὸ Ἀλάτριον.

HEG. *Quid tu per barbaricas urbeis juras?*

Straboni lib. V dicitur Ἀλέτριον, *Aletrium*. Opidani erant ALATRINATES & ALETRINATES. Livius suprà dicto lib. VIIII: *Præter Alatrinatem Ferentinumque & Verulanum omnes Hernici nominis populi Romanis bellum indixerunt*. Et paullo pòst: *Hernicorum tribus populis, Alatrinati, Verulano, Ferentinati, quia maluerunt, quàm civitatem, suæ leges redditæ*. Plinius lib. III cap. V: *Atinates, Aletrinates, Anagnini*. Cicero in oratione pro A. Cluentio: *C. & L. Fabricii, fratres gemini, fuêre ex municipio Aletrinate*. Et posteà: *Fabricius ad me meos vicinos & amicos Aletrinateis non adduxit*. Hæc duo vocabula quum ita in cunctis Ciceronis exemplaribus reperiantur; minùs facilè ego inducor, uti credam eosdem opidanos eum formasse Aletrinenseis sive Aletrienseis in oratione pro L. Cornelio Balbo; ubi ita legitur: *Quid M. Crassus; non Aletrinensem fœderatum civitate donavit?* Quod sanè vocabulum non nisi à primitivo Aletrino, seu Aletrina sic formari potuisset. Sed alia exemplaria heic habent *Anenienſem*. quod certè vocabulum satis apertè indicat, ab alio quodam opido id deductum esse. Cæterò municipium fuisse Aletrium, ex præscripto Ciceronis testimonio constat. Coloniam quoque deductam testatur Frontinus in libro de Coloniis. *Alatrium*, inquit, *muro ducta colonia. populus deductus*.

Infra Alatrium, in austrum versùs, ad V circiter millia passuum opidum est vulgari vocabulo Veroli. id Frontino dicitur VERVLAE. unde Floro obliquus casus est *Verulis:* opidani autem Livio locis proximè citatis & Plinio lib. III cap. V VERVLANI. Florus lib. I cap. XI: *De Verulis & Bovillis, pudet, sed triumphavimus*. Coloniam posteà factam Romanorum, testis est Frontinus in libro de Coloniis: *Verulæ*, inquit, *opidum muro ductum. ager eius limitibus Gracchanis in omnibus est adsignatus: & ab imperatore Nervâ colonis redditus*. VERVLAE coloniа.

Infra hæc opida in viâ Latinâ est FERENTINVM opidum, vulgò nunc Ferentino & cotruptiùs Fiorentino dictum. Memoratur, præter suprà scripta Itineraria, Straboni, Frontino, Ptolemæo, Agellio, Stephani epitomatori. Ptolemæus: Φρεζινών, Φερεντῖνον. *Frusino, Ferentinum*. Apud Strabonem lib. V vocabula hæc corrupta leguntur Φερέντιον καὶ Φορέζινον. quamquàm apud Stephani quoque breviatorem legitur Φερέντι⊙, Φερεντῖ⊙, inquit, πόλις Σαυνιτῶν ἐν Ἰταλίᾳ. τὸ ἐθνικὸν Φερεντῖνος. λέγεται δὲ Φερέντι⊙, ὡς Διονύσι⊙ ιζ' τῆς Ῥωμαϊκῆς ἀρχαιολογίας. Id est: *Ferentinus, opidum Samnitium in Italiâ, unde gentilitium Ferentenus. Dicitur etiam Ferentius; ut Dionysius habet Romanar. antiquit. lib.* XVII. Samnites tunc omnem hanc oram occupaverant, pulso inde per bellum Romanorum imperio: ut infrà in Samni expositione docebitur. Cæterùm pleraque equidem per Italiam Stephanus opidorum vocabula more sui temporis, ut & Procopius, formavit in *us*. at quomodò à *Ferentino* ille formare potuerit opidanorum vocabulum *Ferentenus*, vel Dionysius Ferentius, nondum dispicio. Poëtis, scio, usitatissimum esse ipsis opidorum vocabulis adpellare opidanos: quod heic etiam factum ab Silio lib. VIII:

Sylla Ferentinos Privernatumque maniplos
Ducebat. ——

Apud Iulium equidem Obsequentem in libro de Prodigiis ita scriptum est: *P. Africano, Cn. Fulvio, consulibus in agro Ferentino androgynus natus, & in flumen dejectus*. Et apud Livium lib. XXXV in consulatu L. Cornelii Merulæ & Q. Minucii Thermi, anno urbis Romæ IↃLVIIII, hæc leguntur: *Eodem anno coloniam Latinam in agrum Ferentinum triumviri deduxerunt, Cn. Manlius Volso, L. Apustius Fullo, P. Aelius Tubero: cuius lege deducebantur tria millia peditum ferè, CCCC equites: numerus exiguus pro copiâ agri. dari potuêre tricena jugera in pedites, sexagena in equites. Apustio auctore tertia pars agri dempta est; quò posteà, si vellent, noves colonos adscribere possent*. Illud Obsequentis libenter ad Etruriæ opidum Ferentium sive Ferentum traherem, quod

ſuprà lib. II cap. III explicui: quò fortè etiam hoc Svetonii in Veſpaſiano pertinet cap. III: *Flavio Liberale Ferenti genito*. Verùm circa Ferentum hoc nullum eſt flumen, quo homo mergi poſſit; niſi paullo longiùs ab opido in Tiberim usque delatum credas. Livius teſtatur, coloniam iſtam Latinam in agrum Ferentinum deductam eſſe lege Aeliâ, ſive lege P. Aelii Tuberonis. at Frontino in libro de Coloniis, inter alias Etruriæ colonias, memoratur colonia Ferentinenſis, lege Semproniâ adſignata. unde ſatis apertè patuerit, alium heic intellexiſſe Livium agrum Ferentinum, quàm qui erat in Etruriâ circa opidum Ferentum; quod & ipſum dictum fuiſſe quibusdam Ferentinum, unde Frontino colonia Ferentinenſis, ſuprà dicto lib. II cap. III oſtenſum. Verùm apud Livium libro præcedenti, qui eſt XXXIIII, anno præcedenti, quo conſules fuêre P. Cornelius Scipio Africanus iterum & Ti. Sempronius Longus, ita ſcriptum eſt: *Novum jus eo anno à Ferentinatibus tentatum, ut Latini, qui in coloniam Romanam nomina dediſſent, cives Romani eſſent*. A Hernicorum Ferentino opidanos adpellatos fuiſſe FERENTINATES, jam anteà ex Livii lib. VIIII intelleximus. cui conſentit Titinnius apud Priſcianum Grammat. inſtitut. lib. IIII & Plinius lib. III cap. V. Ipſe Livius etiam lib. XXVI: *Hannibal infeſtiùs perpopulato agro Fregellano, per Fruſinatem Ferentinatemque & Anagninum agrum in Labicanum venit*. Dubitare itaque minimè licet, quin de Hernicorum, qui Novo Latio tum accenſebantur, Ferentino intelligendum ſit illud Livii lib. XXXIII. Quòd ſi ergo jam tum colonia heic fuerit, Scipione Africano ac Ti. Sempronio conſulibus; certè illa inſequenti anno in agrum Ferentinum deducta colonia alio loco atque regione fuit. quamvis huius nominis neque gentem neque opidum in Iraliâ ullum ſciam, niſi qui Frentani fuêre populi ad mare ſuperum, & Ferentum opidum in Etruriâ, Forentum verò in Apuliâ. Diverſis igitur temporibus duas diverſas in Etruriæ Ferentum deductas fuiſſe colonias, alteram *Aeliâ lege*, alteram *Semproniâ*, ſtatuendum eſt. Horatius lib. I epiſt. XVII:

Si te grata quies & primam ſomnus in horam
Delectat; ſi te pulvis ſtrepitusque rotarum,
Si lædit Caupona; Ferentinum ire jubebo.
Nam neque divitibus contingunt gaudia ſolis;
Nec vixit malè, qui natus moriensque fefellit.

Ad hæc ita vetus commentator: *Ferentinum. Alii municipium volunt viæ Labicanæ ad XLVIII lapidem; alii Ferentinum, quod eſt in Tuſcis.* Haud dubiè hoc intellexit. nam in viâ Labicanâ, ſeu veriùs Latinâ, haud ſatis quietè extra pulverem ac ſtrepitum rotarum cauponarumque naſcens moriensque fallere poterat; ob frequentiſsimos celeberrimæ viæ commeatus. Municipium poſteà factum Hernicorum Ferentinum, ex Agellio diſco: qui lib. X cap. III, *Legebamus*, inquit, *adeò nuper orationem C. Gracchi de legibus promulgatis; in qua, M. Mannium & quosdam ex municipiis Italicis honeſtos viros virgis per injuriam cæſos à magiſtratibus populi Romani, quantâ maximâ invidiâ poteſt, conqueritur*. Et mox verba refert ipſius orationis; ubi, inter alia, hæc etiam: *Ferentini ob eamdem cauſam prætor noſter quæſtores abripi juſſit. alter ſe de muro dejecit; alter prehenſus & virgis cæſus eſt*. Verùm ab initio Volſcorum hoc fuiſſe opidum, auctor eſt Livius lib. IIII. *Eodem*, inquit, *anno adversùs Volſcos, populanteis Hernicorum fineis, legiones ductæ à Furio conſule. Quum hoſtem ibi non inveniſſent; Ferentinum, quò magna multitudo Volſcorum ſe contulerat, cepère. Minus prædæ, quàm ſperaverant, fuit; quòd Volſci, poſtquàm ſpes tuendi exigua erat, ſublatis rebus nocte opidum reliquerunt. poſtero die propè deſertum capitur. Hernicis ipſe ager dono datus*. Et poſteà ita queruntur Volſci: *Nec ipſos modò Romanos ſua diviſa habere; ſed Ferentinum etiam, de ſe captum, Hernicis donaſſe*.

Atque hæc ſunt Hernicorum opida ab antiquis auctoribus memorata. plura eos habuiſſe, patet ex ſuprà citatis Livii lib. VIIII verbis iſtis: *Præter Alatrinatem Ferentinatemque & Verulanum, omnes Hernici nominis populi Romanis bellum indixerunt*.

CAP.

CAP. VII.

De VOLSCORVM *nomine, genere, ac finibus: item de opidis eorum cæterisque locis maritimis & fluminibus. tum de insulis ante litus eorum sitis.*

HErnicis continuabantur ab austro VOLSCI: gens magna, potens, atque bellicosa. Græcis auctoribus dicuntur, Scylaci Οὐολσκοὶ, Dionysio atque Diodoro Οὐολξσκοι, Straboni & aliis post eum Οὐελσκοὶ. Genus eorum nusquàm adnotatum reperi. nec signa hactenus dispicere potui, quibus ad aliquam Italicarum gentium referri queant. Peculiarem eorum sermonem & ab reliquis Italiæ lingvis discretum adnotarunt Latini auctores. Pompeius Festus: *Sublicium pontem quidam putant adpellatum esse à sublicibus, peculiari vocabulo Volscorum.* Idem: *In omnibus ferè antiquis commentariis scribitur Obscum pro Osco: ut in Titinii fabulâ V. Qui Obscè & Volscè fabulantur: nam Latinè nesciunt.* Cæterùm finibus deprehendo inclusum fuisse Volscum agrum istis: Ab occasu, quà mare tangebant, à *Rutulis*, mox inde ab Latinis disterminabantur lineâ à mari inter suprà dictum Castri Inui locum & Antium ad fonteis Asturæ amnis & Algidum montem ductâ. Hinc ab septemtrionibus, primùm *Aequos* circa Algidum & Pictas tabernas, sive, ut nunc opidum vocatur, Valmontonem; deinde *Hernicos* circa Compitum Anagninum, Ferentinum atque Verulas, conterminos habuêre; ut suprà patuit. inde ab eâdem regione, supra Soram, Volscorum opidum, Hernicis continuabantur *Marsi*, Fucinum lacum circumcolentes. sed & ad ipsum lacum aliquando imperium eorum pertinuisse, disertus testis est Livius lib. IIII, in rebus anni ab urbe Româ conditâ CCCXLVII. *Bellum*, inquit, *haud memorabile fuit. uno, atque eo facili, prælio casi ad Antium hostes: victor exercitus depopulatus Volscum agrum: castellum ad lacum Fucinum vi expugnatum; atque in eo tria millia hominum capta: cæteris Volscis intra mœnia compulsis, nec defendentibus agros.* A Marsis porrò contermini Volscis fuêre ab oriente æstivo *Samnites*. quorum opida *Aufidena* & *Aesernia*, vulgò nunc *Alfidena* & *Isernia* dicuntur. Volscorum autem fuit *Atina*, idem nomen etiamnunc servans. Ab oriente Aequinoctiali, ultra *Casinum* opidum, quod vulgò nunc est *Monte Casino*, finitimos habuêre Volsci *Campanos*, partem quondam Samnitium; quorum fuit Venafrum opidum, vulgò nunc *Venafre*. his juncti erant *Sidicini*; quorum opidum Teanum, vulgò nunc Tiano: his porrò *Aurunci*; quorum *Suessa*, nunc *Sessa*. Hinc à meridie conterminos habuêre Ausones; quorum maritima opida, Formiæ, vulgò nunc Mola, & Caieta ac Fundi, quæ nomina etiamnunc retinent. inde ipsum mare attigerunt Volsci à Tarracinâ usque ad Antium; quæ utraque eorum fuêre in litore opida. Atque his finibus inclusum fuisse agrum Volscum, in singulorum locorum expositione patebit. Hinc igitur Livius lib. VII populos hos certo ordine conjungit: *Qui omnia circa se, Sabinos, Etruriam, Latinos, Hernicos, Aequos, Volscos, Auruncos, domita armis habeat.* Idem lib. II ita scribit: *Ventumque ad interitum servitiorum utique plebis esset, ni consules providissent: dimissis passim ad frumentum coëmendum, non in Etruriam modò, dextris ab Ostiâ litoribus, lævoque per Volscos mari, usque ad Cumas; sed quæsitum in Siciliâ quoque.* Sic & Mela lib. II cap. IIII: *Ad dextram sunt, sub Alpibus Ligures, sub Apennino Etruria: pòst, Latium, Volsci, Campani, & super Lucaniam Brutii.* Martianus Capella lib. VI: *Latium atque Ostia Tiberina. dehinc litus in Volscorum nomen sortemque concessit. mox Campania.* Plinius lib. III cap. V: *Italia dehinc; primique eius Ligures, mox Etruria, Latium; ubi Tiberina ostia: Volscorum posteà litus & Campania.* Et eodem capite posteà: *Latium antiquum à Tiberi Circeios usque observatum est millium passuum L longitudine. tam tenues primordio imperii fuêre radices. Colonis sæpè mutatis, tenuêre alii aliis temporibus: Aborigines, Pelasgi, Arcades, Siculi, Aurunci, Rutuli. & ultra Circeios Volsci, Osci, Ausones. unde nomen modò Latii processit ad Lirim amnem.* Sic item & Scylax, apud quem in exemplaribus vulgatis corruptum est vocabulum Ὀλσκῶν in Ὀλαῶν, in Περίπλῳ· Τυρρηνίας ἔχονται Λατῖνοι, μέχρι

ξ Κιρκαίᾳ· Λατίνων δὲ ἔχουσι Ὀλσκοὶ· Ὀλσκῶν δὲ ἔχουσι Καμπανοί. Id est: *Etruriæ contermini sunt Latini, usque ad Circæum: Latinis Volsci: his Campani.* Scilicet in secundo illo antiquo Latio, cuius nomini jam inde sub regibus Romanorum adjecta fuit magna pars agri *Volsci*; adeóque omne litus Volscorum, non tantùm ad Circæum montem; ut quidem hic pro termino nominabatur: sed & ultra hunc ad x millia passuum extima Volscorum quondam urbs Tarracina in altero hoc antiquo Latio; ut infrà suo loco è Polybio demonstrabitur. Verùm nos, neglectis Romani imperii incrementis variisque huic limitibus constitutis, antiquissimos heic Volscorum gentis fineis observabimus.

Loca igitur in orâ maritimâ Ptolemæo describuntur ista: Ἄντιον, Κλάστρα, Κιρκαῖον ἄκρον, Ταρρακίνη. *Antium, Clostra, Circæum promontorium, Tarracinæ.* Melæ lib. II cap. IIII, adverso incedenti litore, memorantur hæc: *Tarracina, Circes domus aliquando Circeii, Antium.* At Plinio cum Ptolemæo ingredienti sunt ista lib. III cap. V: *Antium colonia, Astura flumen & insula, fluvius Nymphæus, Clostra Romana, Circeii. à Circeiis palus Pomptina est: dein flumen Vfens: supra quod Tarracina opidum lingvâ Volscorum Anxur dictum.* Tabula itineraria iter per eamdem oram habet huiusmodi:

Lavinium	
Antium	XVII.
Astura	VII.
Clostris	IX.
Ad Turres	III.
Circeios	XIX.
Ad Turres	IIII.
Terracina	XI.

Ex his ANTIVM opidum memoratur Ciceroni, Horatio, Ovidio, Dionysio, Livio, Valerio Maximo, Melæ, Straboni, Plinio, Frontino, Tacito, Appiano, Svetonio, Ptolemæo, Philostrato, Solino, Tabulæ Itinerariæ, Procopio, Stephani epitomatori, & aliis. Cicero passim in Epistolis suis frequentem eius facit mentionem. Valerius Maximus lib. I cap. VI: *Metentibus apud Antium cruentas spicas in corbem decidisse.* Svetonius in Nerone cap. VI: *Nero natus est Antii.* Atque ita equidem omnibus pariter Latinis auctoribus, quos partim hactenus citavi, partim infrà citabuntur, formatum vocabulum huius opidi: simulque Græcis scriptoribus, Dionysio, Straboni, Appiano, Ptolemæo, Ἄντιον. at qui hos deinceps consequuti sunt, Græci variè id formarunt; modò Ἀντία & Ἄντια, modò Ἄνθια atque Ἄνθιον. in quorum duobus posterioribus haud dubiè grammatici nugatores ἀπὸ ξ ἄνθους, id est, *ab flore* originem somniarunt. Apud Dionysium quum passim sit neutro genere Ἄντιον, miror apud eumdem esse lib. V: ἐκ Ἀντίας τε ἐς Τάρκλας καὶ Κύμης· id est, *Ab Antiâ, Tusculo, & Cumâ.* Ἄνθιον habet Philostratus de Vitâ Apollonii Tyanensis lib. VIII cap. VIII; ut mox videbimus; & item Procopius Gothicar. rer. lib. I, in his verbis: Ἐν τῷ Ἀνθίῳ ὡρμίζοντο, ἡμέρας ὁδῷ τῆς Ὀστίας ἀπέχοντι. Id est: *Apud Anthium anchoras jecerunt, quod diei iter ab Ostiâ distat.* Stephani breviator: Ἄγκαρα, πόλις Ἰταλίας, ὡς Ἀντία, Ἀδρία. Id est: *Ancara, opidum Italiæ; ut Antia, Hadria.* Idem: Ἄνθα, πόλις Ἰταλίας, Ῥώμης πλησίον· ἥτις καὶ Ἄντιον μετωνομάσθη, ὡς εἰρήσεται. Id est: *Anthia, opidum Italiæ, prope Romam: quod & Antium alio nomine vocatur; ut dicetur.* Paullo pòst: Ἄνθιον, πόλις Ἰταλίας· Κυάδρατος ἐν δευτέρᾳ Ῥωμαϊκῆς Χιλιάδος. ὁ πολίτης Ἀνθιανὸς, ὡς αὐτός. Id est: *Anthion, opidum Italiæ; auctore Quadrato Romanæ Chiliadis lib. II. opidanus inde Anthianus; eodem auctore.* Exiguo pòst: Ἄντια, πόλις Ἰταλίας, ἀπὸ Ῥωμύλου. ἐκλήθη δὲ ἀπὸ Κίρκης παιδός. Ὀδυσσέως γὰρ καὶ Κίρκης υἱοὶ τρεῖς, Ῥῶμος, Ἄντιας, Ἄρδιας. ὁ πολίτης Ἀντιάτης, ὡς Ἀρδεάτης. Ἔστι δὲ Ἄντιον πόλις, ἑτέρωθι, μὴ λωρεντον τῆς Ἰταλίας. τὸ ἐθνικὸν Ἀντιάτης, ὡς Σουεσσάτης. Hoc est: *Antia, opidum Italiæ, sub Romanorum imperio. nomen accepit à Circes filio. quidpe Vlyssis & Circes filii fuêre tres, Romus, Antias, & Ardea. Opidanus inde est Anteates, & Ardeates. Est & Antium opidum, neutro genere, ultra Laurentum in Italiâ. unde gentilitium Antiensis, ut Sunienses.* Vnum idemque erat opidum, quod iste in duo diversa opida divisit. Dionysius lib. I: Ξενάγορας δὲ ὁ συγγραφεὺς ἱστορεῖ, Ὀδυσσέως καὶ Κίρκης υἱὸς ἡμιθέους τρεῖς, Ῥῶμον, Ἄντιον, Ἄρδεαν· οἰκί-

σαντας

οὗτος δὲ τῆς πόλεως, ἀφ' ἑαυτῶν ἤδη τοῖς κλίσμασι τὰς ὀνομασίας. Id est: *Xenagoras historicus tradit, Vlyssis & Circes treis fuisse filios, Romum, Antiam, Ardeam. eos conditis tribus urbibus à sese indidisse nomina.* Ergo huius quoque urbis summa fuit antiquitas; licèt hæ meræ sint Græcorum fabulatorum nugæ. quidpe treis diversas inter se incoluisse genteis Romam, Ardeam, atque Antium, satis atque abundè hactenus demonstratum. Qui autem Romi fratres in Rutulorum usque Volscorumque fineis deduxerunt, illi Latium illud antiquum secundum, quod ab regibus demum Romanis, ut suprà ostensum, ad Circæum usque, Circes fabulosum domicilium, protendebatur, respexerunt. quod & illi fecêre, qui Ascanium, Aeneæ filium, conditorem *Antii* pronunciarunt. Solinus cap. VIII: *Constitutæ ab Ascanio, Longa Alba, Fidenæ, Antium.* Cæterùm opidani dicuntur Græcis auctoribus, Polybio lib. III & Dionysio passim Ἀνιάται, Latinis scriptoribus, Ciceroni ad Atticum lib. II epist. VI, Livio passim, Plinio lib. XXXIIII cap. V, Tacito Annal. lib. XIIII, Capitolino in Antonino Pio, & inscriptionibus antiquis ANTIATES. At Valer. Maximo lib. I cap. VIII *Antiense* dicitur *templum*, quod erat *Aesculapii* ad hanc urbem; & Svetonio in Caligulâ cap. LVII *Antiatinæ sortes*; de quibus mox plura dicemus. Ipsa urbs haud ampliùs exstat. at nomen tamen eius etiamnunc durat in promontorio, cui vulgaris adpellatio *Capo d'Anzo*. ad cuius etiam latus occidentale specula in litore posita vulgò dicitur *Torre d'Anzo*. Hoc loco olim exstitisse ipsam urbem, CIↃ circiter passus à novo opido *Neptunio*, quòd in orientali promontorii latere situm, molis, qua portus eius inclusus fuit, tum phari, ingentes reliquiæ, quæ in mari conspiciuntur, apertè indicant. Volscorum fuisse urbem, Livius maximè atque Dionysius testantur. quorum ille lib. II; *Consul*, inquit, *alter ad Volscum bellum missus, Antiateis Volscos fundit fugatque.* Et postèà: *Numicius consul Antium adversùs Volscos profectus.* Mox: *Meliùs in Volscis imperatum est. fusi primo prælio hostes; fugâque in urbem Antium, ut tum res erant, opulentissimam, acti. quam consul oppugnare non ausus, Cenonem, aliud opidum, nequaquàm tam opulentum, ab Antiatibus cepit.* Dionysius lib. IIII; ubi de fœdere narrat, quod Tarquinius Superbus, post adeptum Latinæ gentis imperium, cum Hernicis Volscorumque nonnullis fecit, quum Prisci Latii nomen ad Circeios usque protenderet: Ἐκ δὲ Οὐολσκῶν ἔθνους δύο πόλεις ἐδέξαντο μόναι τὰς παρακλήσεις, Ἐχετρανοί τε καὶ Ἀνιάται. Id est: *Ex Volscis duæ tantùm civitates adsenserunt, Echetrani atque Antiates.* Lib. VI: Ἄντιον, πόλις ἐπιφανεστάτη Οὐολσκῶν ἔθνους. *Antium, urbs Volscorum nobilissima.* Lib. VIII: Ἦκεν εἰς Ἄντιον, πόλιν ἐπιφανεστάτην τῶν ἐν Οὐολσκοῖς πόλεων. Id est: *Venit Antium, Volscorum urbium nobilissimam.* Lib. VIII: Νομικίῳ δὲ, ἄγοντι τὴν στρατιὰν ἐπὶ τὴν Ἀνιατῶν πόλιν, ἡ τότε ἐν τοῖς πρώτοις πόλεσι τῶν Οὐολσκῶν ἦν, εὐδαιμονία ἠναυλώθη χρώμενοι, ἀλλὰ ὑπὸ τῶν τείχων ἰωαγκάζοντο ἑκάστοτε ἀμύνεσθαι. ἐν δὲ τούτῳ ἤ τι γῆ αὐτῶν ἢ πολλὴ ἐτμήθη, καὶ πολίχνη τις ἐπιθαλάττιος ἑάλω, ἥ ἐπινείῳ τε καὶ ἀγορᾷ τῶν εἰς τὸν βίον ἀναγκαίων ἐχρῶντο, ὠφελείας τε καὶ λῃστηρίων τὰς πολλὰς ἐπαγόμενοι. ἐλήφθησαν δὲ καὶ νῆες τῶν Ἀνιατῶν εἴκοσί καὶ δύο μακραὶ, καὶ ἄλλα νεῶν ὅπλα τε καὶ σκεύη πολλά. μετὰ ταῦτα, κελεύσαντος ὑπάτου, τάς τε οἰκίας ἐνέπρησαν οἱ Ῥωμαῖοι, καὶ τοὺ νεωσοίκους κατέσκαπτον, καὶ τὸ τεῖχος ἦρπτον ἐκ θεμελίων. ὥστε μηδὲ ἀπλήστων σφῶν χρημάτων ἔτι τοῖς Ἀνιάταις εἶναι τὸ φρόνημα. Hoc est: *Numicio quoque, ducenti exercitum ad Antium, quod tunc inter primarias Volscorum urbeis erat, nullus exercitus sese opposuit: sed singuli populi defensabant se mœnibus suis. Interèà & ager eorum magnâ ex parte vastatus est, excisis arbustis: & opidulum maritimum captum, quod Antiatibus erat navale simul & forum rerum ad victum pertinentium. quæ vel navigationibus maritimis vel latrociniis invectæ, plurimum illis emolumenti importabant. Captæ illic etiam sunt naves longæ XXII Antiatium, & alia navium armamenta instrumentaque. Post hæc consulis jussu incensa sunt ædificia, diruta navium receptacula, æquata solo mœnia, ne castellum relictum Antiatibus in posterum usui esse posset.* Hoc scilicet castellum, sive NAVALE Antiatium, erat opidum illud CENO, Livio in eisdem Numicii consulis rebus memoratum. Prope urbem *Antium* fuisse, vel ex eo colligitur, quòd & merceis prædasque eò contulerint Antiates, simulque pro foro rerum venalium usi sint. at incertum est, ab utrâ parte urbis fuerit: quum litus utrimque importuosum sit; nec flumen aliquod tam prope urbem in mare effluit, nisi quod prædictum opidum Neptunium nunc perfluit exiguo alveo. quod Livio lib. XLIII LORACINA *flumen* videtur adpellari. *Lucretium*, inquit, *tribuni plebis absentem concionibus adsiduis lacerabant,*

rabant, quum reipublicæ causâ abesse excusaretur. Sed tum adeò vicina etiam inexplorata erant, ut is eo tempore in agro suo Antiati esset; aquamque ex manubiis Antium ex flumine Loracinæ duceret. Id opus CXXX *millibus æris locasse dicitur. tabulis quoque pictis ex prædâ fanum Aesculapii exornavit.* Haud dubitandum quin genitivo casu scripserit ipse Livius *ex flumine Loracinæ*; ut in omnibus pariter est exemplaribus; quando consimili modo dixit flumen Asturæ lib. VIII; ut mox infrà videbimus. Ad ipsum igitur Antium portus tunc temporis nullus fuit. unde sic Strabo lib. V: Κεῖσται δ' ἐπὶ θαλάττῃ Ἄντιον Μαρκίου. ἐξῆς δ' ἐστὶν Ἄνιον, ἀλίμενον καὶ αὐτὴ πόλις. ἴδρυται δ' ἐπὶ πέτρας· ὑπέχει δ' ὑπ' αὐτὴν ἀεὶ σεσεικυῖα. Hoc est: *Ostiam condidit Ancus Marcius. Sequitur inde Antium opidum, itidem importuosum, saxis superscruptum, distans ab Ostiis stadia circiter* CCLX; Id est, *millia passuum* XXXII, *passus* 10. quod erat illud *diei iter* Procopii suprà dictum. quamquàm plus XXVIII millibus passuum haud facilè hoc intervallo hodiè deprehendas. De cætero in summâ petrarum, in quibus *Antium* erat conditum, nunc exstat *fanum S. Blasii*, vulgò *S. Biagio* dictum. Caput fuisse olim totius gentis, disertè testatur Livius lib. VI: *Animus*, inquit, *ducis rei maiori, Antio, imminebat. id caput Volscorum. Sed, nisi magno adparatu, tormentis machinisque, tam valida urbs capi non poterat.* Verùm *Antiates*, ut suprà dictum, jam inde quidem sub Tarquinio Superbo in commune veteris Latii nomen concesserant, unà cum Circeiensibus & Signinis: in quas urbeis Tarquinius colonias deduxerat; testibus Dionysio lib. IIII & Livio lib. I unde etiam mox, Tarquiniis ejectis, sub primis consulibus Iunio Bruto atque M. Horatio, in fœdere, quod populus Romanus icit cum Carthaginiensibus, simul Antiates cum *Tarracinensibus, Circeiensibusque* & *Ardeatibus*, ut populi Latini comprehensi fuêre; teste Polybio lib. III. At posteà ab eo fœdere recesserunt; crebraque cum Romanis bella gesserunt; quæ passim Livius Dionysiusque narrant. quorum hic suprà dicto lib. VIIII: *Et Antium nova colonia missa, cum eo, ut Antiatibus permitteretur, si & ipsi adscribi coloni vellent. naves inde longæ abactæ. interdictumque mari Antiati populo est; & civitas data.* Mox: *Naves Antiatium partim in navalia Romæ subductæ, partim incensæ: rostrisque earum suggestum in foro exstructum adornari placuit: Rostraque templum adpellatum.* Sed post hæc iterum rebellantes, variis prœliis pro libertate cum Romanis dimicarunt, ad annum usque urbis Romæ CCCCXVI, quo consules fuêre L. Furius Camillus II & C. Mænius Nepos: ubi rursus devicti sunt. qua de re ita apud Livium lib. VIII in senatu verba facit Camillus: *Cæsi ad Pedum Asturamque exercitus hostium. opida Latina omnia & Antium ex Volscis, aut vi capta aut accepta in deditionem, præsidiis tenentur vestris.* Hinc Fragmentum triumphorum Romanorum, quod Romæ in Capitolio visitur:

C·MAENIVS·P·F·P·N·COS·DE·ANTIATIBVS·AN·CDXV·

Et Plinius lib. XXXIIII cap. V: *C. Mœnius in suggestu rostra devictis Antiatibus fixerat, anno Vrbis* CCCCXVI. Livius paullo insequentibus post Numicium consulibus in deditionem venisse tradit *Antium* consuli T. Quintio Capitolino: proximoque hinc anno *coloniam* eò fuisse deductam. qua de re ita Livius fine libri III: *Qui Volscorum effugere potuerunt, Antium petunt. Antium & Romanus exercitus ductus. paucos circumsessum dies deditur.* Et sub initium libri IIII: *Atrox certamen aderat; ni Fabius, consilio neutri parti acerbo, rem expedisset. T. Quintii ductu & auspicio agri capti priore anno aliquantum à Volscis esse: Antium, propinquam, opportunam, & maritimam urbem, coloniam deduci posse. ita sine querelis possessorum plebem in agros ituram; civitatem in concordiâ fore. Hæc sententia accepta est. Triumviros agro dando creat T. Quintium, A. Virginium, P. Furium. Iussi nomina dare, qui agrum accipere vellent. Fecit statim, ut fit, fastidium copia. adeóque pauci nomina dedêre, ut ad explendum numerum coloni Volsci adderentur.* Dionysius *Latinos* atque *Hernicos*, qui vellent, ad explendum numerum additos tradit. Illa igitur posterior deductio rectè adpellatur *colonia nova* Livio, qui eamdem memorat pòst etiam, lib. XXVII & XXXII: & Plinius suprà dicto lib. III cap. V. Additos deinde fuisse colonos sub Nerone, auctor est Tacitus Annal. lib. XIIII his verbis: *In Italiâ vetus opidum Puteoli jus coloniæ & cognomentum à Nerone adipiscuntur. veterani Tarentum & Antium adscripti, non tamen infrequentiæ locorum subvenêre; dilapsis pluribus in provincias, in quibus stipendia expleverant. neque conjugiis suscipiendis neque alendis liberis sueti, orbas sine posteris domos relinquebant.* Et

Annal.

Annal. lib. xv: *Natam sibi ex Poppæâ filiam Nero ultra mortale gaudium accepit. Locus puerperio colonia Antium; ubi ipse generatus erat.* Huc pertinet illud Strabonis, qui sub Tiberio geographica sua edidit, lib. v: Ἐξῆς δ' ἐστὶν Ἄντιον, ἀλιμῶρον καὶ αὐτὴ πόλις. Νυνὶ μὲν οὖν αὕτη τοῖς ἡγεμόσιν, εἰς σχολὴν καὶ ἄνεσιν τῶν πολιτικῶν, ὥπερ λάβοιεν καιρόν. καὶ διὰ τοῦτο καλοκαγαθόμενον πλουτίδιον οἰκήσεις ἐν τῇ πόλει συχναὶ μετὰ τὰς τοιαύτας ἐπιδημίας. Hoc est: *Sequitur opidum, & ipsum importuosum. Cæterùm principum otio atque vacationi ab civilibus occupationibus dicatum est. ideóque magnifica ac splendida inibi sunt ædificia exstructa permulta excipiendis eorum secessibus.* Hinc Philostratus in Vitâ Apollonii Tyanensis lib. VIII cap. VIII: Περὶ δὲ βιβλίου τούτου γνώμην ἀποφαίνομαι, μακρὰν διαθεῖναι μὲν αὐτὸ βασιλεῖ Ἀδριανῷ ὕστερον· ὅτε καὶ λύναις τε καὶ Ἀπολλωνίου ἐπιστολαῖς καταμεῖναι ἐς τὰ βασίλεια τὰ ἐν τῷ Ἀντίῳ, οἷς μάλιστα δὴ τῶν ἐκείνου βασιλείων ἔχαιρεν. Hoc est: *De libello autem hoc relatum est mihi, fuisse post mortem Apollonii simul cum quibusdam epistolis eius delatum ad Hadrianum imperatorem. quæ omnia Hadrianus collocavit in regiâ suâ apud Anthium: quæ præ omnibus totius Italiæ regiis villis quàm maximè delectabatur* Cæterùm piraticâ veteres illos Antiateis fuisse insigneis, testatur Strabo ibidem continuo pòst: Καὶ πρότερον δὲ ναυσὶ ἐκπλῶσι, καὶ σκοπιὰν τῶν ληστηρίων τοῖς Τυρρηνοῖς, καίπερ ἤδη τοῖς Ῥωμαίοις ὑπακούουσι. διόπερ καὶ Ἀλέξανδρον πρότερον ἐγκαλῶν ἔπεμψε, καὶ Δημήτριον ὕστερον. Id est: *Olim etiam navibus potentes fuêre Antiates: sociosque sese prædationum Tuscis præbuerunt, quamvis sub Romanorum jam imperium redacti. quocirca & Alexander antè misit, qui eâ de re quererentur, & posteà Demetrius etiam.* Ergo maris usum, quo illis dicto urbis Romæ anno CCCCXVI, à Romanis interdictum fuit, paullo pòst repetierunt. nam licèt incertum sit, quos heic Alexandrum & Demetrium intellexerit Strabo, quum plures iis nominibus fuerint pòst Alexandrum Magnum Macedoniæ ac Syriæ reges; tamen constat, ipsum Alexandrum Magnum proximo statim anno, postquàm Antiatibus mari interdictum, factum esse regem Macedoniæ, Philippo patre defuncto. Sed maximè clarum reddidit Antium FORTVNAE, sive geminarum FORTVNARVM TEMPLVM atque SORTES. Horatius Carm. lib. I odâ XXXV, qua precatur eam deam, ut servet Cæsarem in Britanniam ire meditantem:

O diva, gratum quæ regis Antium.

Ad quem locum vetus commentator: *Apud Antium Fortunæ templum erat maximè celebre, multorum etiam principum virorum donis exornatum.* EQVESTREM FORTVNAM cognominatam fuisse, auctor est Tacitus Annal. lib. III, his verbis: *Incessit dein religio, quonam in templo locandum foret donum, quod pro valetudine Augustæ equites Romani voverant Equestri Fortunæ. nam etsi delubra eius deæ multa in Vrbe; nullum tamen tali cognomento erat. Repertum est ædem esse apud Antium, quæ sic nuncuparetur. ita donum apud Antium statuitur.* Vetus inscriptio in opido Neptunio sic habet: FORTVNIS · ANTIATIBVS. Macrobius Saturnalior. lib. I cap. XXIII: *Vehitur simulacrum dei Heliopolitani ferculo: uti vehuntur in pompâ ludorum Circensium deorum simulacra: & subeunt, plerumque provinciæ proceres, raso capite, longi temporis castimoniâ puri. ferunturque divino spiritu, non suo arbitrio; sed quo deus propellit vehenteis: ut videmus apud Antium promoveri simulacra Fortunarum ad danda responsa.* Geminæ quum essent, dicebantur FORTVNAE SORORES: ut illæ in Prænestino opido, suprà cap. IIII nobis explicatæ. Martialis lib. V epigram. I:

Hoc tibi, Palladiæ seu collibus uteris Albæ,
Cæsar; & hinc Triviam prospicis, inde Thetin;
Seu tua veridicæ discunt responsa sorores,
Plana suburbani quà cubat unda freti;
Seu placet Aeneæ nutrix, seu filia Solis;
Sive salutiferis candidus Anxur aquis;
Mittimus. ———

Sex innuere voluit loca, quæ maximè secessibus suis frequentabat Domitianus imperator; Albanum, Ariciam, Antium, Caietam, Circeios, & Tarracinam, quæ alio nomine fuit Anxur. Antii quoque *Sortes* fuisse in *Fortunarum templo*, quemadmodum Prænestæ, testis est Svetonius in Caligulâ cap. LVII. *Monuerunt & sortes Antiatinæ, ut à Cassio caveret. Thesaurum*, ex donis variorum collectum, heic fuisse ingentem, auctor est Appianus, Civil. bellor. lib. V ita de Cæsare Augusto scribens:

Ὁ δὲ

Ὁ δὲ Καῖσαρ ἐκ τῶν ἱερῶν ἐδανείζετο τὰ χρήματα, ἀπό τε Ῥώμης ἐκ τοῦ Καπιτωλίου, καὶ ἀπὸ Ἀντίου καὶ Λανουβίου καὶ Νεμέας καὶ Τίβυρος· ἐν αἷς μάλιστα πόλεσι καὶ νῦν εἰσὶ θησαυροὶ χρημάτων ἱερῶν ἀναθημάτων. Id est: *Cæsar è templis pecunias mutuò accipiebat; ut Romæ ex Capitolio; tum Antii, Lanuvii, Nemore, Tibure. in quibus opidis hodiè quoque sunt copiosi thesauri sacrarum pecuniarum.* Denique AESCVLAPII quoque TEMPLVM fuisse apud Antium in ipso litore, testes sunt Livius, Valer. Maximus, & Auctor de Viris illustribus. Livii locum è lib. XLIII suprà adscripsimus. Auctor de Viris illustribus: *Romani, ob pestilentiam responso monente, ad Aesculapium Epidauro arcessendum legatos miserunt. qui quum eò venissent, & simulacrum ingens mirarentur; anguis è sedibus suis elapsus, venerabilis, non horribilis, per mediam urbem, cum admiratione omnium, ad navem Romanorum perrexit. legati, deum vehentes, Antium provecti sunt. ubi, per mollitiem maris, anguis proximum Aesculapii fanum petiit: & post paucos dies ad navim rediit. & quum adverso Tiberi subveheretur, in proximam insulam desilivit: ubi templum ei constitutum.* Val. Maximus lib. I cap. VIII: *Ac prosperam emensi navigationem, postquàm Antium adpulerunt, anguis, qui ubique in navigio remanserat, prolapsus in vestibulo ædis Aesculapii, myrto, frequentibus ramis diffusa, supereminentem excelsæ altitudinis palmam circumdedit. perque treis dies positis, quibus vesci solebat, non sine magno metu legatorum, ne in triremem reverti nollet; Antiensis templi hospitio usus, Vrbi se nostræ advehendum restituit.* At Ovidius non Aesculapii, sed Apollinis, id fuisse templum tradit Μεταμορφώσεων lib. XV: ubi totam hanc legatorum Romanorum juxta inferi maris litus navigationem ordine describens, tandem circà finem ita dicit:

Hinc calidi fontes lentisciferumque tenetur
Liternum, multamque trahens sub gurgite arenam
Vulturnus, niveisque frequens Sinuessa colubris,
Minturnæque graves, & quam tumulavit alumnus,
Antiphatæque domus, Trachasque obsessa palude,
Et tellus Circææ, & spissi litoris Antium.
Huc ubi veliferam nautæ advertêre carinam,
(Asper enim jam pontus erat) deus explicat orbeis:
Parque sinus crebros & magna volumina labens,
Templa parentis init, flavum tangentia litus.
Æquore placato, patrias Epidaurius aras
Linquit; & hospitio junctî sibi numinis usus,
Litoream tractu squammæ crepitantis arenam
Sulcat: &, innixus moderamine navis in altâ
Puppe caput posuit: donec Castrumque sacrasque
Lavinî sedes Tiberinaque ad ostia venit.

Hoc Ovidii loco quum alia exemplaria haberent *Antium*, alia *Anxur*, alia *Auron*, & nonnulla *Anchon*; ingens inde hoc sæculo inter commentatores poëtæ exortum est certamen, quænam ex omnibus istis maximè probanda foret. quod sanè mirari satis ego nequeo; utique, quum Ancon ad superum mare usque in Piceno litore sita sit urbs, poëta verò ab Iapygio promontorio nullas nisi ad inferi maris memorat litus, juxta quod navigatio illa facta. tum, quia *Trachas* sive *Trachina* eadem erat urbs quæ *Tarracina*, eademque & *Anxur*: post quam demum *Antium* nominat; & hinc proximum Rutuli litoris opidum *Castrum Inui*; mox Lavinium, atque Ostiam.

Porrò Plinius ita pergit dicto lib. III cap. V: *Antium colonia*: ASTVRA *flumen & insula*. Et flumini & insulæ nomen id hodiéque integrum manet, VI millia passuum ab Antii promontorio. quo spacio Tabula itineraria VII refert millia. In insulâ est specula, castelli in modum exstructa: heic olim Ciceronis fuisse villam, testatur Plutarchus in vitâ eius, his verbis: Προπεμφθέντων δὲ τούτων, ὁ Κικέρων ἐν μὲν τοῖς ἀγροῖς ἰδίοις περὶ Τύσκλον, ἔχων τὸν ἀδελφὸν μεθ' αὑτοῦ· πυθόμενοι δὲ τὰς παγγραφὰς, ἔγνωσαν εἰς Ἄστυρα μεταβλῶαι, χωρίον παράλιον τοῦ Κικέρωνος· ἐκεῖθεν δὲ πλεῖν εἰς Μακεδονίαν πρὸς Βροῦτον. Id est: *Dum hæc aguntur, erat Cicero cum fratre in Tusculano suo. Nunciatâ proscriptione, statuerunt ad Astura, quod prædium erat Ciceronis maritimum, transire; atque inde Macedoniam petere, seque ad Brutum conferre.* Et mox: Ὁ δὲ Κικέρων εἰς Ἄστυρα κομισθεὶς, καὶ πλοῖον εὑρὼν, ἐνθὺς ἐνέβη. hoc est: *Cicero ad Astura delatus, navigiumque ibi nactus, illicò conscendit.* Sic igitur vocabulum hoc, quod Latinis erat

erat singularis numeri ac feminini generis, Plutarchus fecit plurale neutrius generis τὰ Ἄστυρα· quod proprium erat nomen urbis in Mysiâ; teste Strabone lib. XIII, quem Stephanus etiam citavit. Sed apud hunc ita post id vocabulum scriptum est: Ἄστυρις ἐστὶ πρὸς τῇ Βοιωτίας πρὸς τῇ Πολίαις· ἔστι δὲ χώρα Ἰταλίας. id est: *Est & in Bœotiâ Asturis, apud Potnias. est item regio Italiæ.* Haud semel apud Stephani epitomatorem reperias, ubi auctores scripsêre χωρίον, ipsum retulisse χώραν. Nihil autem ei usitatius, quàm genus ac numerum vocabulorum apud auctores, quos citat, immutare, suæque accommodare ætati. Quapropter heic quoque facilè crediderim, prædium istud Ciceronis ex Plutarcho convertisse eum in regionem. Cæterùm singularem intellexisse Latinos in hoc fluminis atque insulæ nomine numerum, pluribus patet exemplis. Ipse Cicero ad Atticum lib. XII epist. XXXVIII: *Asturam sum, à te profectus.* Et epist. XLIIII: *Nam cæteroqui αὐτόπρα erant Asturæ.* Lib. XIII epist. XXVI: *Ego locum habeo nullum ubi facilius esse possem, quàm Asturæ.* Epist. XXXIIII: *Asturam veni.* Epist. XXXVII: *Vereor maximè, ne in Tusculano opprimar. Vtrum igitur Asturæ?* Lib. XIIII epist. II: *In Tusculano hodiè. Lanuvii cras. inde Asturæ cogitabam.* Epist. V: *Hæc scripsi ad te proficiscens Asturâ.* Epist. XI: *Velim meherculè Asturæ Brutus.* Epist. XVII: *Quàm velim Bruto persvadeas, ut Asturæ sit.* Epist. XXII: *Brutus velim sit Asturæ.* Lib. XV, epist. XII: *Brutus quidem se aiebat Asturæ.* Mox: *Vitricus nihil censebat: quem Asturæ vidimus.* Svetonius in Augusto, cap. XCVII: *Non, si omnia morarentur, ampliùs se posthac Romæ futurum. atque, itinere inchoato, Asturam perrexit.* Et in Tiberio, cap. LXXII: *Rediens properè in Campaniam, Asturæ in langvorem incidit.* Verùm enimverò ex omnium horum auctorum modo loquendi Astura ista, quam memorant, dubium est, utrùm in ipsâ insulâ fuerit id prædium Ciceronis, quod posteà in opidulum, vel saltem vicum, excrevisse videtur; an verò extra insulam, in continenti, nam nemo eorum, præter Plinium, insulæ meminit: nec præpositione *in* vel *ad* utuntur; nisi, quòd Plinius iterum lib XXXII cap. I, ubi de remorâ pisce agit, *Tenuit*, inquit, *& nostrâ memoriâ Caii principis navim, ab Asturâ Antium remigantis, pisciculus.* Ipse tamen Cicero non dubiè ostendit, ad Atticum lib. XII epist. XX, in ipsâ insulâ fuisse villam suam. *Est heic*, inquit, *locus amœnus, & in mari ipso; qui & Antio & Circæis adspici possit.* Apud Strabonem lib. V ita scriptum est: Μετὰ δ' Ἄντιον Κιρκαῖόν ἐστι. μεταξὺ δ' ὁ τε Στύρας ποταμὸς, καὶ ἐπ' αὐτῷ ὕφορμος. Id est: *Post Antium est Circæum. in medio est Stura flumen. & ad eum navium statio.* Scripsisse Strabonem non Ἄστυρας, neque Ἄστυρας sed Στύρας, quod Latinè rectè formaveris STVRA, fidem maximè confirmat Festus; qui inter vocabula incipientia ab *St* sic habet. *Stura, flumen in agro Laurenti est: quod quidam Asturam vocant.* Cæterùm ὕφορμος ille, id est, navium statio seu adpulsus, haud dubiè fuit in exiguo sinu, qui est inter insulam & os fluminis. unde Ciceronem solvisse, in Macedoniam navigaturum, suprà è Plutarcho intelleximus. Quocirca hoc etiam documento mihi credibile fit, non tantùm villam heic fuisse Ciceronis: sed etiam navale, & quasi quoddam opidulum, vel saltem vicum. Opidum certè posteà etiam fuisse, testatur Servius ad Virgilii Aeneid. lib. VII: *Haud longè à Tarracinâ opidum est Astura, & eiusdem cognominis fluvius.* Fluvius memoratur etiam Livio lib. VIII: *Aricinos*, inquit, *Lanuvinos & Veliternos, Antiatibus Volscis se conjungentes ad Asturæ flumen Mœnius fudit.* Et aliquanto pòst: *Casi ad Pedum Asturamque sunt exercitus hostium.* Ad hunc locum ita scribit in commentariis doctissimus Sigonius: *Vetus liber, Ad Saturam flumen.* Ego legendum puto *ad Sturam flumen.* Festus in vocibus incipientibus à literâ *St* ait; *Stura fluvius est in agro Laurenti.* Ita sanè. sed addit Festus; *quod quidam Asturam vocant.* Hoc quum ita sit; cur malim ex uno exemplari, quod habet Saturam, omnium reliquorum Asturam damnare? utique, quum apud tot alios auctores hoc exstet huius loci atque fluminis vocabulum. Imperitorum certè grammaticorum id est apud Livium mendum; qui Virgilii Saturam paludem apud Tarracinam urbem confuderunt cum hoc nostro Sturâ sive Asturâ flumine; quum inter hoc flumen & Tarracinam xxx ampliùs sint millia passuum. Servii verba modò audivimus. Vibii Sequestri in Catalogo paludum hæc sunt: *Satura, inter Antium & Circeios. eadem Statura.* Haud obstinatè adfirmaverim, scripsisse Vibium, *eadem Astura:* quamquàm ingens sit suspicio. at Virgilii Saturam paludem fuisse apud Vfentem amnem & Tarracinam, pòst ostendam. Apud Iulium quoque Obsequentem

ita scriptum est: *Saturæ vitulus biceps natus*. Certè hoc etiam imperiti grammatici, quibus semper magis poëtæ, quàm historici aut geographi lecti, supposuerunt pro genuino *Asturæ*. nam *Saturam* Virgilius, qui unus cum imitatore suo Silio id vocabuli habet, disertè *paludem* vocat: Obsequens autem certum quemdam locum seu opidum apertè designat.

Cæterò post *Asturam* flumen sequebatur NYMPHAEVS *amnis*. Plinius dicto lib. III cap. V: *Antium colonia, Astura flumen & insula, fluvius Nymphæus, Clostra Romana, Circeii*. Mons Circæus hodiéque dicitur vulgò *Monte Circello*. Inter hunc igitur atque Asturam Nymphæus fluvius nullus alius esse potest, quàm qui unicus hoc litore in mare effunditur, fonteis habens amœnissimos sub opido Sermonetta, apud celebrem vicum, equitum divi Lazari quomdam domicilium, cui hodiéque inde nomen est vulgare *La Nimpa*.

Inter hunc igitur Nymphæum fluvium & Circæum promontorium fuêre illa CLOSTRA ROMANA, Plinio, Ptolemæo, Tabulæque itinerariæ memorata. Ptolemæo, quem suprà audivimus, Græcè scribuntur Κλώστρα. Tabula sic habet:

Astura	
Clostris	IX.
Ad Turres albas	III.
Circeios	XIX.

Sanè ab ipsâ Asturâ insulâ ad Circæum usque promontorium millia passuum sunt per litus & Nymphæi fluminis ostium haud ampliùs XXII: quem numerum ista Tabulæ millia XXXI longè superant. nec tamen corruptos in Tabulâ numeros temerè arguerim: quando etiam apud Strabonem hæc leguntur: Κλῖσμα ἐπὶ τὰ Ὦστια Ἄγκυ Μαρκίε. ἐξῆς δ' ἐστὶν Ἄντιον· διέχει δὲ τῶν Ὡστίων σταδίους σ ξ' σταδίους. Μετὰ δὲ Ἄντιον τὸ Κιρκαῖον ἐστιν ἐν σ' καὶ ς' σταδίοις. Id est: *Ostia ab Anco Marcio condita est. Sequitur inde Antium, CCLX stadia ab Ostiâ disitum. post Antium & Circæum ad CCXC stadia*. Id est: *millia passuum XXXVI cum duobus stadiis*. Quòd si igitur præscriptis Tabulæ XXXI millibus adscribas VII illa, quæ habet inter *Antium* & *Asturam*, erunt in universum XXXVIII; duobus millibus plus, quàm Strabo habet. Verùm apud hunc dubia eo loco est scriptio; quum quædam exemplaria habeant ἐν ὁ' καὶ σ' σταδίοις· *ad* CCLXX *stadia*. id est, *millia passuum ferè* XXXIIII. Plinius lib. III cap. V, *Latium*, inquit, *antiquum à Tiberi Circeios usque observatum est, millium passuum* L *longitudine*. Hoc ita hodiéque verum est. at è diverso Strabo LXVI eo intervallo computat millia; aut, si prior illa scriptio magis probanda sit, millia fermè LXVIIII. Plinius ibidem paullo pòst: *Antium colonia, Astura flumen & insula, fluvius Nymphæus, Clostra Romana, Circeii*. Quòd si ille VIIII millium numerus inter Asturam & Clostra incorruptus est: certè ipsa Clostra prope ostium fuêre Nymphæi fluvii, lævo amne. hinc XII circiter sunt millia passuum ad Circeios opidum in promontorio Circæo, unde colligere licet, primam notam X in XIX exscriptoris incuriâ adrepsisse. Alterum igitur istum locum AD TVRREIS ALBAS tria millia passuum ab Nymphæi ostio abfuisse crediderim.

Sequitur hinc ipsum τὸ Κιρκαῖον ἄκρον, CIRCAEVM *promontorium*, & in ipso eiusdem nominis *opidum*; quòd quibusdam Græcis feminino genere dictum Κιρκαία, CIRCAEA; Romanis verò plurali numero CIRCEII: quemadmodùm, quod opidum Campaniæ Straboni lib. V dicitur Πομπήια, *Pompæa*, omnibus pariter Latinis est Pompeii. quamquàm quædam Latinorum auctorum exemplaria habent *Circæi*. Memoratur *Circæus mons* sive *promontorium*, Aristoteli, Theophrasto, Apollonio, Lycophroni, Scylaci, Virgilio, Diodoro, Straboni, Silio, Ptolemæo, Procopio. opidum memoratur Ciceroni, Dionysio, Livio, Plinio, Martiali, Svetonio, Solino, Martiano Capellæ. Ptolemæus: Ὦστια, Ἄντιον, Κλώστρα, Κιρκαῖον ἄκρον, Ταρρακίναι. Id est: *Ostia, Antium, Clostra, Circæum promontorium, Tarracinæ*. Virgilius Æneid. lib. VII:

Qui saltus, Tiberine, tuos sacrumque Numici
Litus arant Rutulosque exercent vomere colleis,

Circæum-

Circæumque jugum: queis Iupiter Anxurus arvis
Præsidet. ———

Et Virgilium imitatus Silius lib. VIII:

Queis Circæa juga, & scopulosi verticis Anxur.

De opido Cicero ad Atticum lib. XII epist. XX; de *Asturâ* loquens: *Locus, qui & Antio & Circæis adspici possit.* Et lib. XV epist. X: *Mittam vel Antium vel Circæos.* Livius lib. VI: *Præter Circeios & Velitras.* Svetonius in Augusto, cap. XVI: *Supplicem concessâ vitâ Circeios in perpetuum relegavit.* In Tiberio, cap. LXXII: *Circeios pertendit.* Martialis lib. XI epigr. VIII:

Cæsar in Albanum jussit me manè venire,
Cæsar Circeios. ———

Reliquos auctores mox in expositione montis opidique citabo. Opidani inde sunt Dionysio lib. VIII Κιρκαῖοι, *Circæi*; Polybio lib. III bifariam, Κιρκαάτης, *Circaatæ*: & Κιρκαῖται, *Circaitæ*. quorum hoc haud dubiè corruptum est. At Latinis auctoribus, sunt CIRCEIENSES. Cicero de Naturâ deorum lib. III: *Quamquàm Circen quoque coloni nostri Circeienses religiosè colunt.* Livius lib. VI bis; *Circeiensium quidam.* &, *Colonis Circeiensibus.* Lib. VIII: *L. Numicium Circeiensem.* Plinius lib. XXXII cap. VI. quod est de ostreis: *Variant coloribus. rufa in Hispaniâ, fusca in Illyrico, nigra & carne & testâ Circeiis.* Aliquanto pòst: *Cyzicena candidiora Circeiensibus.* De iisdem Iuvenalis Satyra IIII:

——— *Circeis nata forent, an*
Lucrinum ad saxum, Rutupinove edita fundo
Ostrea, callebat primo deprendere morsu.

Nomen unde mons traxerit, complures indicarunt auctores. Dionysius lib. IIII: Κιρκαίαν ἢ ἀπῴκισεν ὁ Ταρκυίνιος κατ' λογισμὸν, ὅτι δὲ Πομπτίνων πεδίε μεγίστε τῶν τῇ Λατίνῃ, καὶ σωματώδης αὐτῆ θαλάττης ἔκειτο ἐν καλῷ. ἔστι δὲ χερσαῖος σκόπελος ὑψηλὸς ὀπτικῶς, ὅπι δὲ τυρρηνικῇ πλάγιος κεῖται· ἔνθα λόγος ἔχει Κίρκην, δὲ Ἡλίε θυγατέρα καπικῆσαι. Id est: *Circæam Tarquinius deduxit coloniam datâ operâ, quòd in Pometino campo, totius Italiæ maximo, locus is opportunè ad mare situs esset. Est autem terrenus mons mediocriter excelsus, Tyrrheno mari imminens: ubi Circe, Solis filia, habitasse fertur.* Mela lib. II cap. IIII: *Sinuessa, Liris, Minturnæ, Formiæ, Fundi, Tarracina, Circes domus aliquando Circeii, Antium, Aphrodisium, Ardea, Laurentum, Ostia.* Apollonius Ἀργοναυτικῶν lib. III; ubi Aeeta, Solis filius, Colchorum rex, ita adfatur Argonautas:

Ἤδὴ γάρ ποτε πατρὸς ἐν ἅρμασιν Ἠελίοιο
Δυσόμενος, ὅτ' ἐμεῖο κασιγνήτην ἐσόμιζεν
Κίρκην Ἐὰ τερείης ἔσω χθονός· ὄφρα δ' ἱκόμεσθα
Ἀκτὴν ἠπείρου Τυρσηνίδος, ἔνθ' ἔτι νῦπερ
Ναιετάᾳ, μάλα πολὺν ἀπόπροθι Κολχίδος αἴης.

Hoc est:

Didici enim, quondam patris in curru Solis
Profectus; quum meam sororem ferret
Circen Hesperiam in terram: atque escenderemus
In litus terræ Tyrseniæ. ubi etiam nunc
Habitat; procul admodùm à Colchide terrâ:

Plinius lib. III cap. V: *Circeii, quondam insula, immenso quidem mari circumdata; ut creditur Homero: at nunc planitie.* Paullo pòst: *A Circeiis palus Pomptina est: dein flumen Vfens: supra quod Tarracina opidum, lingvâ Volscorum Anxur dictum.* Et lib. II cap. LXXXV: *Sed & recessu maris nascuntur terræ: sicut Homero credimus de Circeiis.* Hæc, simul & quæ suprà è Melâ adducta sunt, ineptè atque imperitè inter geographica sua transcripsit Solinus cap. XXIIII in hæc verba: *Arces Tarentinæ, Scyllæa regio; cum Scyllæo opido, & Crateide flumine, Scyllæ matre: ut vetustas fabulata: Rhegini saltus, Pastanæ valles, Sirenum saxa; amœnissimus Campaniæ tractus, Phlegræi campi, Circes domus Tarracina, insula antè, circumflua immenso mari; nunc connectente addita continenti: diversamque fortunam à Rheginis experta: quos fretum medium à Siculis vi abscidit.* Sed longè ineptiùs hæc è Solino Martianus Capella lib. VI ita habet: *Phlegræi dehinc campi, habitatioque Circeia, Terracina, priùs insula, nunc juncta Rhegium; qui ab Siciliâ continenti separata; atque in compensationem connexa telluris in*

insulam religata. Hæc equidem sic ipsos duos istos geographos perscripsisse judico, quòd si verò quis imaniorem esse censuerit errorem, quàm qui in id sæculum cadere potuerit; sic ea commodè ad sanum quemdam sensum reduci poterunt: Apud Solinum: *Phlegrai campi; Tarracina: Circes domus; insula antè, circumflua immenso mari: nunc, evo nectente, addita continenti*. Apud Martianum: *Phlegrai campi. dehinc Tarracina, habitatioque Circeia; priùs insula; nunc juncta continenti: ut ab Rhegio quondam Sicilia separata, atque, in compensationem connexæ telluris, in insulam religata*. Vetus scholiasta in suprà scriptum Apollonii locum ita tradit: Ἡκολούθησεν Ἀπολλώνιος τοῖς κῆ τὸ Τυρσηνικὸν πέλαγος ὑποδεδεγμένοις τὴν Ὀδυσσέως πλάνην· ὧν ἐρχηγὸς Ἡσίοδος, κατοικηκέναι λέγων Κίρκην ἐν τῷ ἑσπερίῳ πελάγει. Ἑτέρας ἔσω χθονός. Περὶ τὴν Ἰταλίαν φέρηται ἡ Κίρκη· ὅθεν ὄρος Κιρκαῖον ἀπ' αὐτῆς πλυφάρμακον. Hoc est: *Sequutus est Apollonius eos, qui Vlyssis errores in Tyrrheno mari factos tradunt. cuius traditionis princeps fuit Hesiodus; in dicto mari Circen habitasse dicens. Hesperiam in terram. Apud Italiam habitavit Circe. unde mons dictus Circæus, venenorum ferax*. Et haud multo antè: Τὴν δὲ Κίρκην οἱμὲν φασὶν Αἰήτου ἀδελφὴν, οἱδὲ θυγατέρα φασὶν εἶναι. Ταύτην Διονύσιος ὁ Μιλήσιος ἐν πρώτῳ τῶν Ἀργοναυτικῶν θυγατέρα Αἰήτου καὶ Ἑκάτης, τῆς Περσέως, ἀδελφὴν ἣ Μηδείας λέγει. Ἡλίῳ γάρ φησιν υἱὸς γενέσθαι δύο ἐν τοῖς τόποις ἐκείνοις, οἷς ὀνόματα ἦν Περσεὺς καὶ Αἰήτης. τέτταρας δὲ καταλαχεῖν τὴν χώραν. καὶ Αἰήτην μὲν Κόλχους καὶ Μαιώτας, Περσέα δὲ τῆς Ταυρικῆς βασιλεῦσαι, καὶ γῆμαι γυναῖκα τῶν ἐγχωρίων τινὰ, καὶ γενέσθαι αὐτῷ θυγατέρα, ἣ ὄνομα Ἑκάτη. οἱ δὲ ἐκ νύμφης τινὸς ἐγχωρίας τὴν Ἑκάτην φασὶν αὐτῷ γενέσθαι, αὐδεκλεῖ τε τὰ κυνηγετικὰ, καὶ πρώτην φαναισιμυς ῥίζας εὑρεῖν· καὶ ἐμπροσθέτην γεγονέναι τῶν τε δηλητηρίων καὶ τῶν ἰαθεισῶν δυναμένων· καὶ τὴν ἑαυτῆς πατέρα φαρμάκοις δοκηλεῖναι. ταύτην γήμασθαι πεμφθεῖσαν εἰς Κόλχους Αἰήτῃ τῷ παραδέλφῳ. ἀφ' ἧς γενέσθαι Κίρκην καὶ Μήδειαν. τὴν μὲν Κίρκην, πεισθύτερον ἦσαν, ὑπερβαλέσθαι τὴν ἑαυτῆς μητέρα. τὰ μὲν διδαχθεῖσαν παρ' αὐτῆς, τὰ δὲ καὶ αὐτὴν ἐφευρηκυῖαν πολλὰ καὶ δεινά. Μήδειαν δὲ, νεωτέραν μὲν Κίρκης, οὐκ ἠπιωμένην δὲ αὐτῆς. Ταῦτα μὲν ἔπι. Ἡσίοδος δέ φησι, τὴν Κίρκην καὶ Ἡλίου θυγατέρα εἶναι, ἐν τοῖσδε τοῖς ἔπεσι.

Κίρκη δ' Ἠελίου θυγάτηρ Τ' ὑπερίονος
Τέκεν Ὀδυσσῆϊ βαλασιφρονι ἐν φιλότητι
Ἄγριον ἠδὲ Λατῖνον ἀμύμονά τε κρατερόν τε.

Hoc est: *Circen alii Aeetæ sororem, alii filiam ferunt esse. Eam Dionysius Milesius Arganauticorum lib. I filiam Aeetæ & Hecates, Persei filiæ, ac sororem Medeæ tradit fuisse. quidpe Soli ait duos fuisse filios in his locis, Perseum & Aeetam: eosque tenuisse regionem eam: Aeetam scilicet in Colchis & Maotis; Perseum verò in Tauricâ regnasse. atque hic uxorem duxit quamdam ex eius regionis mulieribus; ex qua ei genita filia nomine Hecate. quidam verò ex nymphâ quadam indigenâ Hecaten ei natam aiunt; feminam ad venatica studia virili planè animo praditam. quæ prima letaleis herbas invenerit; peritissimaque fuerit noxiorum simul & salubrium medicamentorum: patremque suum veneno occiderit. Hanc verò, in Colchos missam, nupsisse patruo suo Aeetæ: à qua genitas aiunt Circen atque Medeam. ex his Circen, maiorem natu, superasse arte matrem suam: quum partim ea, quæ à matre acceperat, imitaretur, partim verò alia multa & miranda suo studio inveniret. nec Medeam, licèt natu foret minor, inferiorem exstitisse Circe. At verò Hesiodus Circen ait Solis esse filiam, in his versibus:*

Circe autem, filia Solis, filii Hyperionis,
Peperit Vlyssi ærumnoso per amorem
Agerium atque Latinum, inculpatum ac fortem.

Versus hi in fine τῆς Θεογονίας habet Hesiodus. ubi hos etiam addit:

Οἱ δήπου μάλα τῆλε μυχῶν νήσων ἱεράων
Πᾶσιν Τυρσηνοῖσιν ἀκαμπυτοῖσιν ἄνασσον.
Qui sanè valdè procul in recessu insularum sacrarum
Omnibus Tyrsenis admodùm inclytis imperabant.

Sed idem Circes genus, ingenium paullo clariùs exsequitur Diodorus lib. IIII; ubi de Argonautis agit: Ἀναχθέντας δὲ φασὶ αὐτοὺς ἐκ τῆς Θράκης, κομισθέντας εἰς τὸν Πόντον, προσχεῖν τῇ Ταυρικῇ, τὴν ἀγριότητα τῶν ἐγχωρίων ἀγνοοῦντας. νόμιμον γὰρ εἶναι τοῖς τὴν χώραν ταύτην οἰκοῦσι βαρβάροις, θύειν Ἀρτέμιδι ταυροπόλῳ σὺν καταπλέουσιν ξένους· παρ' οἷς φασὶ τὴν Ἰφιγένειαν ἐν τοῖς ὕστερον χρόνοις, ἱέρειαν τῆς εἰρημένης θεᾶς καταστᾶσαν, θύειν τοὺς ἁλισκομένους. Ἐπιζητήσας δὲ τὴν ἱερείας ὡς τὴν ξενοκτονίας αἰτίας, ἀναγκαῖον βραχέα διελθεῖν. Φασὶ γὰρ, Ἡλίου δύο γενέσθαι παῖδας, Αἰήτην τε καὶ Πέρσην. τούτων δὲ τὸν μὲν Αἰήτην βασιλεῦσαι τῆς Κολχίδος, τὸν δ' ἕτερον τῆς Ταυρικῆς·

ἀμφο-

ἀμφοτέρους ᾗ διενεγκεῖν ὠμότητι, καὶ Πέρσα μὲν Ἑκάτῃ γυναῖκα, τόλμῃ καὶ ἀφροσύνῃ πρεσέχουσαν ἔτι πατρός· φιλοκυήγιον δ' ἔσαν, ἐν ἀπλυχίαις ἀνθρώπους ἀντὶ θηρίων καταπελτεύειν. φιλόπονον δ' εἰς φαρμάκων ἰνδικῶν σωφέσιν γνωσθῆναι, τὸ καλούμενον ἀκόνιτον ἐξευρεῖν· καὶ τὴν ἐκάστου δυνάμεως πεῖραν λαμβάνειν, μίσγουσαν τοῖς διδομένοις τοῖς ξένοις τροφαῖς ἐμπειρίαν ᾗ μεγάλου ἐν τούτοις ἔχουσαν, πρῶτον μὲν τὸν πατέρα φαρμάκῳ διαφθεῖραι, καὶ διαδέξασθαι τὴν βασιλείαν. ἔπειτ' Ἀρτέμιδος ἱερὸν ἱδρυσαμένην, ἐς τοὺς καταπλεύσαντας ξένους ἀνοσίᾳ τῇ θεῷ καταθύεσθαι, ἐπ' ἀκύστῃ διονομασθῆναι. μιᾷ ᾗ παῖδα σωσικήσαι Αἰήτην, γνῆσιον δύο γενέσθαι, Κίρκην τε καὶ Μήδειαν. ἐς τὴν Κίρκην, εἰς φαρμάκων πανοδαπῶν ἐπίνοιαν ἐκπεσεῖν, ἐξευρεῖν πανοίας φύσεις βοτανῶν καὶ δυνάμεις ἀπείρυθμους. ἐ ὀλίγα μὲν γὰρ ὑπὸ τῆς μητρὸς Ἑκάτης διδαχθῆναι, πολὺ ᾗ πλείω διὰ τὴν ἰδίαν ἐπιμέλειαν ἐξευρεῖν, μηδεμίαν ὑπερβολὴν ἀπολιπεῖν ἑτέραν πρὸς ἐπίνοιαν φαρμακείας, δοθῆναι δ' αὐτὴν εἰς γάμον τῷ βασιλεῖ τῶν Σαρματῶν, ὃς ἔνιοι Σκύθας προσαγορεύσι. κρύψαι μὲν πρῶτον τὸν ἄνδρα φαρμάκοις αἰφνίδιον· μὴ δὲ ταύτην τὴν βασιλείαν διαδεξαμένην, πολλὰ καὶ τῶν ἀρχομένων ὠμὰ πρᾶξαι καὶ βίαια· διόπερ ἐκπεσεῖν τὴν βασιλείας, καὶ μὲν ἔνιος τῶν μυθογράφων, φυγεῖν ἐπὶ τὸν Ὠκεανὸν, καὶ νῆσον ἔρημον καταλαβομένην, ἐνταῦθα μὴ τῶν συμφυτῶν γυναικῶν καθιδρυθῆναι· καὶ δέ ἔνιος τῶν ἱστορικῶν, ἐκλιπεῖν τὸν Πόντον καπικῆσαι τὴν Ἰταλίας ἀκρωτήριον, τὸ μέχρι τοῦ νῦν ἀπ' ἐκείνης Κιρκαῖον ὀνομαζόμενον. Hoc est: *Ex Thraciâ in Pontum subvectos Tauricæ regioni navem adplicuisse aiunt, de feritate incolarum nihil compertum habenteis. morem quidpe ibi barbaris fuisse, advectos ad se hospites Dianæ Tauricæ immolare. apud quos Iphigenia postmodùm, sacerdos deæ constituta, captivos mactasse fertur ad aram. Hoc loco par est, causas tam nefariæ advenarum cædis exponere; quum ratio historiæ id postulet. Solem duos procreasse filios memorant, Aeeten & Persen: quorum ille Colchidis, hic Tauricæ regnum tenuerit: insigni uterque crudelitate. è Persa Hecaten genitam esse, audaciâ & immortalitate patrem antestantem. venationi quidpe quum dedita esset, si nihil præda caperet, pro bestiis homines jaculis confixisse. in mortiferis item pharmacis solerter componendis quum exercitata foret, aconitum invenisse. ac de cuiusque naturâ & efficaciâ ita experimentum cepisse, si hospitum illud cibis permisceret, hinc magnam quum consequuta esset peritiam; primò patrem veneno exstinxisse, sibique regnum usurpasse. deinde fanum Dianæ exstruxisse, ad quod hospites navibus adpulsos pro victimis deæ sacrificari instituerit. qua re crudelitatis nomen consequuta ubique celebre. Aeetæ post hæc nuptam, duos ei natos, Circen & Medeam, peperisse. Circen ad medicamentorum omnis generis solertiam conversam, mirabileis variarum herbarum naturam ac vireis adinvenisse. quidpe quum haud pauca ex matris disciplinâ hausisset, multò plura suopte ingenio studioque observasse: ita, uti nihil cuiquam ad excellentiam artis medicamentariæ faceret reliquum. At Sarmatarum, quos nonnulli Scythas adpellant, regi in matrimonium locatam, primò ipsum maritum veneno sustulisse; dein, occupato regno, multa crudelitatis ac violentiæ exempla in subditos edidisse. quapropter regno quum ejecta esset; fugam, ut quidam fabularum scriptores tradunt, ad Oceanum adripuisse: nactamque vacuam cultoribus insulam, cum mulieribus fugæ sociis inibi consedisse. ut autem, rerum auctores scribunt; relicto Ponto, in promontorio quodam Italiæ, quod etiam nunc Circæum inde adpellatur, domicilium posuisse.* Quum omnis hæc de Circes domicilio fabula ex Vlyssis erroribus pendeat: hos verò alii in interno mari, quod Europam Asiamque inter & Africam diffunditur, alii in externo mari seu Oceano factos putârint: nonnulli μυθογράφοι Circen quoque Oceani quamdam insulam inhabitasse tradiderunt. Verùm plerosque vetustissimorum scriptorum in interno mari circa Siciliam Italiamque Vlyssis intellexisse errores, patet ex Hesiodi, Euripidis, Thucydidis, Theocriti, Apollonii, Lycophronis, Dionysii Halicarnassensis, Diodori, Hygini, Melæ, Plinii, Dionis, Apollodori, aliorumque scriptis: item ex Homeri prædictorumque nonnullorum auctorum interpretibus, sive scholiastis, qua de re legendum est caput XVII libri II Siciliæ nostræ; quod est de Erroribus Vlyssis. Sed præcipuas causas atque ansas arripiendi isthanc opinionem præbuisse videtur Homerus τοῖς μυθογράφοις eo, quòd in eâ Vlyssis navigatione *Oceanum* nominaverit; tum *insulam* Circen incoluisse dixerit. De *Oceani* nomine posteà in Campaniæ descriptione agetur. de *insulâ*, quæ & ipsi Homero & aliis adpellata est Aeaea, nunc dicendum. Plinium, huiusque epitomatores Solinum ac Martianum, & item Hesiodum, qui centum tantùm circiter annis Homero fuit posterior, suprà audivimus. Eustathius in Homeri Odysseæ lib. X: Τὸ νῆσον τῆς Κίρκης Αἰαίλιον καλεῖ, ὡσεὶ τὴν Αἶαν, πόλιν Κολχικήν· ἀφ' ἧς καὶ Κίρκη Αἰαία. Id est: *Insulam Circes*

Aeæam vocat, ab Aeâ, urbe Colchica: à quâ & ipsâ Circe dicitur Aeæa. Apud Virgilium Aeneid. lib. III Helenus in Epiro ita præ icit Aeneæ:

Antè & Trinacriâ lentandus remus in undâ,
Et salis Ausonii lustrandum navibus æquor,
Infernique lacus Aeæaque insula Circes,
Quùm tutâ possis urbem componere terrâ.

Hyginus Μυθολογικῶν cap. CXXV, quo Vlyssis errores ex Homeri Odysseâ in epitomâ referuntur: *Ad Læstrygonas, quorum rex fuit Antiphates,* .... [desunt nonnulla] ..... *devoravit, naveisque eius* XI *confregit; exceptâ nave, qua, sociis eius consumptis, evasit in insulam Aeæam* [malè vulgò *Aenariam*; quæ est Campaniæ insula] *ad Circen, Solis filiam.* Et cap. CXXVII: *In insulam Aeæam ad Circen Vlyssem mortuum deportarunt.* At licèt hèic disertè Circes insulam adpellet Hyginus Aeæam; tamen prædicto cap. CXXV in reliquo navigationis Vlyssis contextu in Siculo mari extra frotum statuit insulam Aeæam, non Circes, sed Calypsûs sedem. *Ad Charybdin,* inquit, *perlatus;* [adde, *quæ*] *ter die absorbebat terque eructabat. eo* [scribe, *eam*] *monitu Tiresiæ prætervectus est. Sed ira Solis, quòd pecus eius erat violatum, quum in insulam eius, & monitu Tiresiæ vetuerit violari,* [totus locus corruptus est, cuius nullus est sanus sensus] *quum Vlysses condormiret, socii involarunt pecus. itaque quum coquerent, carnes ex aheno dabant balatus. ob id Iovis navem eius fulmine incendit. Ex his locis errans, naufragio facto, sociis amissis, enatavit in insulam Aeæam. Calypso, Atlantis filia, nympha, quæ specie Vlyssis capta, anno toto eum retinuit.* Fortè scriptum erat; *in quâ,* vel, *ubi habitabat Calypso.* At non unius solius Hygini hoc fuit figmentum: sed ex vetustioribus quidam ita tradiderunt μυθογράφοι. unde & Mela idem habuit. Lib. II cap. VII, *Circa Siciliam in Siculo freto est Aeæe; quam Calypso habitasse dicitur.* Sed nihil verius, quàm quod Diodorus dicto lib. IIII continuò antè testatur in hæc verba: Καθόλε οὖν᾽ παλαιὸς μύθυς ἐχ ἁπλῶ ἐδὲ συμφωνῶν ὅλω ἱστορίαν ἔχὴν συμβέβηκεν. id est: *In priscis fabulis nulla omnino simplex & per omnia sibi consentiens est narratio.* Cum præscripto Virgilio disertè Apollonius atque Apollodorus ad Italiam ponunt Aeæam insulam. Apollonium pòst videbimus. Apollodorus de Diis lib. I: Οἱ δὲ Ἀργοναῦται παραπλεύσαντες τὰ βιβύων & Κελτῶν ἔθνη, ἐν δὲ & Σαρδονίᾳ πελάγεσι πλανηθέντες, παραμειψάμενοι Τυρρηνίαν, ἦλθον εἰς Αἰαίαν, ἔνθα Κίρκη ἱκέτις γενόμενοι καθαίρονται. παραπλεόντων δὲ Σειρήνων ἄσματα, Ὀρφεὺς πρὸς ἐναντίαν μέσων μελῳδῶν, τὰς Ἀργοναύτας κατέσχε. * · μετὰ δὲ Σειρῆνας τὴν ναῦν Χάρυβδις ἐξεδέχετο, καὶ Σκύλλα. Hoc est: *Argonautæ igitur Africam Galliamque prætervecti, perque Sardonium mare ad Etruriam delati, hanc legentes in Aeæam pervenerunt; ubi supplices à Circe expiantur. Quum autem præter Sirenas navigarent, Orpheus, contrariam occinens cantionem. Argonautas inhibuit.* Mox: *Post Sirenas navim Charybdis excepit & Scylla.* Sirenas insulam Capreas, Campaniæ litoribus objectam, secundùm fabulas inhabitasse, suo loco ostendetur. Ipse Homerus prædicto Odysséæ lib. X, postquàm narravit, quo pacto Vlysses ab *Aeoliis* insulis, quæ sunt inter Italiam Siciliamque, ad *Læstrygonum* pervenerit terram, regemque eorum *Antiphaten*, cuius regia, ut infrà videbimus, traditur opidum *Formiæ*, vulgò nunc *Mola* dictum, ita pergit:

Ἔνθεν δ᾽ ἀπόπρω πλέομεν ἀκαχήμενοι ἦτορ,
Ἄσμενοι ἐκ θανάτοιο, φίλους ὀλέσαντες ἑταίρους.
Αἰαίην δ᾽ ἐς νῆσον ἀφικόμεθ᾽· ἔνθα δ᾽ ἔναιε
Κίρκη ἐϋπλόκαμος, δεινὴ θεὸς, αὐδήεσσα,
Αὐτοκασιγνήτη ὀλοόφρονος Αἰήταο.
Ἔνθ᾽ δ᾽ ἐπ᾽ ἀκτῆς νηὶ κατηγαγόμεθα σιωπῇ
Ναύλοχον ἐς λιμένα.

Hoc est:

Hinc ulterius navigamus, tristes corde;
Læti, quòd mortem evitassemus, postquàm caros amisimus socios.
Aeæam autem ad insulam pervenimus: ubi habitabat
Circe pulcricoma, veneranda dea, eloquens,
Germana soror prudentis Aeetæ.
Heic ad Litus navi devenimus clam
Navium capacem in portum.

Plinius,

Plinius, suprà dicto lib. III cap. V, præscriptis verbis hæc continuò subnectit: *Mirum est, quod hac de re tradere hominum notitiæ possumus. Theophrastus, qui primus externorum aliquid de Romanis diligentiùs scripsit, Circeiorum insulæ mensuram posuit stadia* LXXX, *in eo volumine, quod scripsit Nicodoro, Athenienſium magistratui: qui fuit urbis nostræ quadringentesimo sexagesimo anno. Quidquid est ergo terrarum præter* X *millia passuum propè ambitus, adnexum insulæ.* Ipse Theophrastus, Histor. plantur. lib. V cap. VIIII: Η' δὲ τῶν Λατίνων ἔφυδρος πᾶσα. Ἐν μὲν πεδιὰς δάφνῃ ἔχει καὶ μυρρίνῃ καὶ ὀξύᾳ θαμινῇ, ἐν ὀρεινῇ πεύκῃ καὶ ἐλάτῃ. Τὸ δὲ Κιρκαῖον καλούμενον εἶναι μὲν ἄκρον ὑψηλὸν, δασεῖαν δὲ σφόδρα· καὶ ἔχειν δρυσὶ καὶ δάφνῃ πολλῇ καὶ μυρρίνῃ. λέγειν δ' οὖν ἐγχωρίους, ὡς ἐνταῦθα ἡ Κίρκη κατῴκει· καὶ πρότερον μὲν οὖσαν νῆσον εἶναι τὸ Κιρκαῖον· νυνὶ δὲ ὑπὸ ποταμῶν ἴλυν προσκεχῶσθαι, καὶ εἶναι ἠϊόνα· τῆς δὲ νήσου τὸ μέγεθος περὶ ὀγδοήκοντα σταδίους. Hoc est: *Latinus ager aquis totus irriguus est. & plana quidem laurum producunt & myrtum scissimamque admirandam: montana verò piceam atque abietem. Circæum autem excelsum quoddam aiunt esse promontorium, spissis nemoribus consitum; maximè verò robore, myrto, ac lauro. Circen id inhabitasse incolæ ferunt. ac priùs quidem fuisse insulam. nunc autem à fluminibus quibusdam adgestam esse terram, continentemque factam. insulæ verò magnitudo est circiter stadia* LXXX. Latinum agrum adpellat, qui erat Volscorum; quia CCL amplius annis antè Tarquinius Superbus, ut suprà cap. I ostensum, Latii nomen Romanumque imperium ad Circeios usque sive ad Tarracinam protulerat. Cæterùm de insulâ isthac Circesque in eâ habitatione haud dubiè Latini nihil aliud compertum habuêre, quàm quæ ab Homero Hesiodoque acceperant. Ipse autem Homerus ibidem describit eam in hunc modum:

Καρπαλίμως δ' ἐπὶ νηὸς ἀνήϊον εἰς ἅλα δῖαν·
Εἴ πως ἔργα ἴδοιμι βροτῶν, ἠκοὴν τε πυθοίμην.
Ἔστην δὴ σκοπιὴν εἰς παιπαλόεσσαν ἀνελθών.
Καί μοι ἐείσατο καπνὸς ἀπὸ χθονὸς εὐρυοδείης,
Κίρκης ἐν μεγάροισι, διὰ δρυμὰ πυκνὰ καὶ ὕλην.

* * * * *

Εἶδον γὰρ, σκοπιὴν εἰς παιπαλόεσσαν ἀνελθών,
Νῆσον, τὴν περὶ πόντος ἀπείρων ἐκτεφαίνει.
Αὐτὴ δὲ χθαμαλὴ κεῖτο· καπνὸν δ' ἐνὶ μέσσῃ
Ἔδρακον ὀφθαλμοῖσι διὰ δρυμὰ πυκνὰ καὶ ὕλην.

* * * *

Εὗρον δ' ἐν βήσῃσι πετυγμένα δώματα Κίρκης
Ξεστοῖς λάεσσι, θεὸς ἐν χώρῳ.

Hoc est:

Celeriter ab nave adscendi in speculam:
Sicubi opera conspicerem mortalium, vocemque audirem.
Stabam igitur, speculam in præruptam ubi adscendi:
Et mihi adparebat fumus è terrâ latè patente,
Circes in ædibus, per arbores densas & silvam.

Aliquanto pòst; ubi quosdam ex sociis mittit Vlysses ad speculandum, quinam mortales ea loca incolerent:

Vidi enim, speculam in præruptam ubi adscendi,
Insulam, quàm mare infinitum circumdat.
Ea verò humilis jacet. fumum autem in mediâ
Vidi oculis per arbores densas & silvam.

Mox; ubi socii emissi inveniunt Circes domum:

Inveniebant autem in convalle ædificatas ædes Circes
Politis lapidibus, conspicuo in loco.

Ait Vlysses, ex speculâ seu edito loco se vidisse insulam immenso mari circumdatam; nec tamen poëta mentionem ullam facit navis vel scafæ, qua socii Vlyssis ex prædicto portu, qui erat ad speculam, in eam insulam trajecerint. unde manifestò liquet in ipsâ insulâ intellexisse eum istam speculam seu verticem montis. Est autem excelsus atque præruptus vertex in Circæo promontorio, quà mari abluitur. circum radices verò ambitus eius colligit hodiè quoque, ut Theophrastus, antiquus inter primos auctor, tradit, *stadia* LXXX; id est, X *millia passuum*; quæ Plinius quoque re-

fert. Hoc igitur terrarum spacium adpellavit Homerus χθόνα εὐρυοδείην, id est, *terram amplam*, sive *latè patentem*; si Plinio credimus. At Homerus disertè dicit, Αὐτὴ δ' νῆσος χαμαλὴ κεῖται, id est, *Ipsa insula humilis jacet*. cuius promontorium tantùm, non omnem insulam, esse voluit *Circæum* montem. Ergo ultra hunc montem, versùs septemtriones, intellexit illam χθόνα εὐρυοδείην. At quis tum credat, insulam hanc ἀπείρῃτον πόντῳ, id est, ut ipse interpretatur Plinius, *mari immenso* fuisse cinctam? utique, quum ab ipso Circæo monte vix x sint millia passuum ad proximos in mediterraneo monteis. quin imò, si vocem ἀπείρων circa omnem, quod vult verbum περιστεφανῶμαι, intelligas insulam, ne ipsa quidem totius Italiæ latitudo, inferum superumque mare inter suffecerit. Verum igitur heic quoque est, quod Strabo lib. I de Homeri poësi adfirmat; veris rebus haud parum fabularum eum more poëtarum ornatus delectationisque gratiâ adfinxisse. cuius rei egregiam illi heic præbebat occasionem ipse Circæi montis situs; quem ita describit Strabo lib. V: Μετὰ δὲ Ἄντιον τὸ Κιρκαῖόν ἐστιν ὄρος, νησάζον θαλάττῃ τι ἕλεσι. id est: *Post Antium Circæus est mons, insula in ritum mari paludibusque cinctus*. Servius ad Virgilii Aeneid. lib. III: *Qui nunc Circeius mons à Circe dicitur, aliquando, ut Varro dicit, insula fuit, nondum siccatis paludibus, quæ eum dividebant à continenti*. Et Procopius Gothicar. rer. lib. I: Ἐπειδὴ ἁλῶναι Νεάπολιν ἤκουσαν, ἐς χωρίον ξυνελέγησαν Ῥώμης ὀγδοήκοντα καὶ διακοσίοις σταδίοις διέχον, ὅπερ Ῥωμαῖοι καλοῦσι Ῥεγέστα· ἐνθένδε γὰρ ἐς ἑσπέραν πεδίον σφίσιν ἔδοξεν ἄριστον εἶναι· πεδία γὰρ πολλὰ ἐνταῦθά ἐστιν ἱππόβοτα. ῥεῖ δὲ καὶ ποταμὸς, ὃν Δεκανόβιον τῇ Λατίνων φωνῇ καλοῦσιν οἱ ἐπιχώριοι, καὶ ἐκβάλλει ἐς θάλασσαν ἀμφὶ πόλιν Τερακίνην· ἣς ἄγχιστα ὄρος τὸ Κιρκαῖόν ἐστιν· ἔνθα δὴ Ὀδυσέα τῇ Κίρκῃ ξυγγενέσθαι φασίν, ἐμοὶ μὲν οὐ πιστὰ λέγοντες· ἐπεὶ ἐν νήσῳ Οἴμην τὴν τῆς Κίρκης οἰκίαν ἰσχυρίζεται εἶναι. ἐκεῖνο μέντοι ἔχω εἰπεῖν, ὡς τὸ Κιρκαῖον τοῦτο, ὅτι πολὺ τῆς θαλάσσης διῆκον, νήσῳ ἐμφερές ἐστι, καὶ τῆς τε τελευτῆς ἄγχιστα, τῆς τε τῶν ἐκείνῃ ἠϊόνα βαδίζουσι, νῆσος δοκεῖ ὅτι παλαιὸν εἶναι· καὶ ἐπειδὰν ἐς ἐκεῖνα ἀφίκηται, τότε δὴ μεταμανθάνει ψευσθεῖσα τῆς δόξης τὰ πρότερα. καὶ διὰ τοῦτο Οἶμην ἴσως νῆσον τὸ χωρίον ὠνόμασεν. Hoc est: *Postquàm captam Neapolim accepêre, in unum locum, ducenta & LXXX ab Româ stadia dissitum, quem Romani Regeta adpellant, coïerunt: in quo quàm optimè castra poni posse arbitrabantur; quòd campi heic essent multi equis pascendis apti. sed & flumen, quod Latino vocabulo Decennovium incolæ vocant, in mare defluit circa Tarracinam. Prope hanc est mons Circæus; in quo Vlyssem cum circe versatum ferunt. sed his equidem ego haud temerè crediderim: quandoquidem Homerus Circes domum in insulâ esse adfirmat. quamquàm non negaverim, Circæum hunc haud modico tractu in mare porrectum, insulæ speciem ferre; insulamque tam præternavigantibus propè, quàm terrestri itinere prætereuntibus videri esse. si quis verò in ipso consistat; tunc demum deprehendit, deceptum se eâ opinione fuisse. Atque hanc fortassis ob causam Homerus locum hunc insulam adpellavit*. Sanè, ingenuè fatear, necesse est, me ipsum, ab Tarracinâ Privernum versùs progredientem, eodem pacto deceptum fuisse. idque eo faciliùs, quòd pridiè insulas *Pontias* ac *Pandatariam* ante Tarracinense Formianumque litus mediis in fluctibus altè exstanteis conspexeram. Hac igitur occasione arreptâ Homerus, quum prædictus *Circæus* mons intus paludibus, de quibus mox dicam, circumdaretur, insulam immenso mari cinctam finxit. quod figmentum quum probè intelligeret Apollonius, antiquus in primis poëta, ubi Argonautas suos, qui ante bellum Troianum Vlyssisque errores longinquâ navigatione varias ob terras errasse traduntur, circa eadem, quæ Apollodorus, Galliæ, Liguriæ, Etruriæque litora versùs fretum Siculum deducit; *Stœchades* equidem ad Liguriam Gallicam, *Aethaliam*que ad Etruriam, & *Sirenas* ad Campaniam, disertè adpellat νήσους, id est, *insulas*: sed Aeæam, Circes domum, haud item. Verba eius Ἀργοναυτικῶν lib. IIII hæc sunt:

Μεσσόθεν δ' ἄρα τοῖγε διὰ στόμα νηὶ βαλόντες,
Στοιχάδας εἰσαπέβαν νήσου σόοι.
Στοιχάδας αὖτε λιπόντες, ἐς Αἰθαλίδην ἐπέρησαν
Νῆσον.
Καρπαλίμως δ' ἐνθένδε δι' ἐξ ἁλὸς οἶδμα νέοντο
Αὐσονίης ἀκτὰς Τυρσηνίδας εἰσορόωντες.
Ἔσχον δ' Αἰαίης λιμένα κλυτόν· ἐκ δ' ἄρα νηὸς
Πείσματ' ἐπ' ἠόνων ἁρπηδόνες βάλον. ἔνθα δὴ Κίρκην
Εὗρον. * — *. Θεὴ δ' ἀγόρευεν ἐφήμους

Ἥρης· * · —— Ἐς τ' ἀφίκανεν
Ἀκτὴν Αἰαίλω Τυρσηνίδος ἠπείροιο.
Τὰς δ' ὄρεν ἐκβάσας νηὶ σὺν ῥιπῇσι τ' ἐέρσης
Τερπομένους. * · —— Ἀλλ' ἄγε τῶνδε
Οἵῳ ἐν ὀφθαλμοῖσιν ἐείσατο, φώνησέν τε,
Μηκέτι νῦν ἀκτῇς Τυρσηνίζειν ἡδὲ μένοντες.

· * · * · * ·

Ἦμος δ' ἄκρον ἔβαλλε φαεσφόρος ἠριγένεια ἠὼς,
Δὴ τότε λαιψηροῖο κατηλυσίη Ζεφύροιο
Βαῖνον ἐπὶ κληῖδας ἀπὸ χθονός· ἐκ δὲ βυθοῖο
Εὐναίας εἵλκον πειρητῆες.
Νῆα δ' ἐὺ κραναὴς αὔτεμος φέρεν· αἶψα δὲ νῆζον
Καλλὺ Ἀνθεμόεσσαν ἐσέδρακον, ἔνθα λιγείαι
Σειρῆνες σίνοντ' Ἀχελωΐδες.

Hoc est:

Medio itaque ostio descendentes
Ad Stœchades insulas pervenerunt salvi.
Stœchades hinc relinquentes, in Aethaliam trajecerunt
Insulam.
Celeriter hinc per maris fluctus ferebantur,
Ausoniæ litora Tyrsenica intuentes;
Veneruntque Aeæa ad portum inclytum: atque ex nave
Rudenteis in terram protinus ejecerunt. Heic autem Circen
Invenerunt. Posteà: —— *Thetis exsequuta est jussa*
Iunonis. Mox: —— *profectaque est*
In litus Aeæum Tyrseniæ terræ.
Invênit autem eos apud navem, discoque telorumque jactu
Sese oblectanteis. Statim: —— *Huic igitur*
Soli ante oculos adparuit: dixitque;
Ne amplius jam in litoribus Tyrsenicis sedeatis manentes

Aliquanto pòst:

Vt verò summum illustravit lucifera cœlum aurora,
Tum velocis descensu Zephyri
Conscenderunt in transtra è terrâ: atque ex imo fundo
Anchoras extraxerunt perquàm læti.
Navem autem secundus ventus ferebat. statimque insulam
Pulcram Anthemæssam conspexerunt; ubi canoræ
Sirenes damnum inferunt Acheloides.

En, ut nusquàm *Aeæam* hanc, Circes domum, adpellat νῆσον, *insulam*; sed ἀκτὴν τῆς Τυρσηνίας, *litus Tyrseniæ*; & item longè distertiùs ἀκτὴν Αἰαίλω Τυρσηνίδος ἠπείρου, *litus Aeæum Tyrsenicæ continentis*. nempe quia *Tyrseniæ* sive *Tyrrheniæ* nomine antiquiores illi Græci omnem ferè Italiam, ad fretum usque Siculum, intelligebant; ut suprà lib. II cap. I plurium auctorum testimoniis ostensum est. quapropter falsâ est hæc Græci in Apollonium scholiastæ commentatio: Τυρσηνίαν δ' εἴρηκε διὰ τὴ Κίρκης νῆσον, διὰ τὸ σύνεγγυς χώρου αὐτῇ εἶναι. id est: *Tyrseniam dixit Circes insulam, quia illi contermina erat.* Verùm quum Græcanica hæc fuerit de *Circe* fabula, ab Homero primùm, ut videtur, inventa; aliud nomen ab initio habuisse hunc montem apud ipsos incolas, haud dubium est. quodnam autem illud fuerit, nemo facilè dixerit. nam quòd apud PERGA vocetur Lycophroni, & regio contermina cùm ipsi tùm Theopompo GORTYNIA; eà ipsa etiam conficta ab Græcis μυθογράφοις censeo esse vocabula: hoc fortassis à Tyrrhenicæ urbis nomine *Cortona*, illud è finitimorum Ligurum lingvâ Celticâ desumptum; quibus quivis *mons* vocabatur *berg*, seu, variante dialecto, ut hodiéque apud Germanos, *perg*. Fabulam antiquam refert Hyginus Μυθολογικῶν cap. CXXVII huiusmodi: *Telegonus, Vlyssis & Circes filius, missus à matre, ut genitorem quæreret, tempestate in Ithacam est delatus: ibique, fame coactus, agros depopulari cœpit. cum quo Vlysses & Telemachus ignari arma contulerunt. Vlysses à Telegono filio est interfectus: quòd ei responsum fuerat, ut à filio caveret mortem. quem postquàm cognovit qui esset;*

jussis

jussu Minervæ cum Telemacho & Penelope in patriam redierunt in insulam Aeaam; [&] ad Circen Vlyssem mortuum deportarunt: ibique sepulturæ tradiderunt. Hinc etiam Lycophron: Κέλωρ δὲ πατρὸς ἄρξαμος κληήσει).

Πέργη δέ μιν θανόντα, Τυρσηνῶν ὄρος,
Ἐν Γορτυνίᾳ δέξεῖ) πεφλεγμένον.

Hoc est:

Filius autem patris erit interfector:
Quem Perga, Tyrsenorum mons, mortuum,
In Gortyniâ combustum, excipiet.

Adhæc ita Tzetza: Πέργη, ὄρος Τυρσηνίας, ἔνθα φασὶ τὸν Ὀδυσσέα κεῖσθαι καίτα ἐν Γορτυνίᾳ. Θεόπομπος δέ φησιν, ὅτι, Πολυμνήμονος ὁ Ὀδυσσεὺς, καὶ τὰ περὶ τὴν Πηνελόπην γνωκὼς, ἀπῆρεν εἰς Τυρσηνίαν, καὶ ᾤκησεν εἰς Γορτυνίαν, ἔνθα καὶ τελευτᾷ. Id est: *Perga, mons est Tyrseniæ; ubi aiunt situm fuisse Vlyssem, postquàm combustus esset in Gortyniâ. Theopompus verò tradit, Vlyssem, quum, domum reversus, cognovisset, quæ circa Penelopen gesta fuissent, discessisse in Tyrseniam: & habitasse in Gortyniâ; ibique diem supremum obiisse.* Circes cognomen atque fabulam haud dubiè inde accepit mons, quòd illa veneficiis dedita ferebatur, natura autem montis ad eam rem videbatur aptissima. Theophrastus Histor. plantar. lib. VIII cap. XV: Φαρμακώδης ἡ δοκεῖ εἶναι τόπος μάλιστα μὲν ἔξω τῆς Ἑλλάδος οἱ περὶ Τυρρηνίαν καὶ τὴν Λατίνην· ἐν ᾗ τὴν Κίρκην εἶναι λέγουσιν. Hoc est: *Tractus venenorum feraceis potissimùm esse aiunt, extra Græciam quidem Tyrrheniam & Latium: in quo Circen quoque fuisse ferunt.* Et Aristoteles in Mirandis: Λέγεται δὲ περὶ τὴν Ἰταλίαν ἐν τῷ Κιρκαίῳ ὄρει Φάρμακόν τι Φύεσθαι θανάσιμον, ὃ ποιοῦσιν ἔχει τὴν δύναμιν, ὥστε, αὐ προσφερασθῆναι, παραχρῆμα πίπτειν ποιεῖ, καὶ τρίχας τὰς ἐν τῷ σώματι ἀποπαδᾶν, καὶ τὸ σωλῆνα τοῦ σώματος διαῤῥεῖν τὰ μέλη, ὥστε τὴν ὄψιν φαίνεσθαι τοῦ σώματος εἶναι τὸ ἀπολυμαίνων ἐλεφαντίνη. Hoc est: *In Italiæ monte Circæo fertur venenum letale gigni tantâ vi, ut, si cui adspergatur, confestim concidere hominem faciat, pilosque toto corpore defluere: cunctaque corporis membra ita dissolvat, uti pereuntium corporis superficies miserabilis planè sit adspectu.* Hinc Strabo prædicto lib. V: Φασὶ καὶ πολύριζον εἶναι τὸ Κιρκαῖον ὄρος, ἔχα τῷ μύθῳ, τῷ περὶ τὴν Κίρκης, συνεικειοῦντες. Ἔχει δὲ πολίχνιον, καὶ Κίρκης ἱερὸν καὶ Ἀθηνᾶς βωμόν. δείκνυσι δὲ καὶ φιάλην τινὰ Φασὶν Ὀδυσσέως. Id est: *Aiunt Circæum montem radicibus abundare, fortassis, ut fabulæ id de Circe accommodent. Est in eo opidulum, cum Circes fano & Minervæ arâ. feruntque, ibi pateram quamdam Vlyssis quoque monstrari.* Quid mirum jam hoc fuerit; quando Varro, annis, ut ipsi computabant Romani, post Troiæ excidium Aeneæque in Italiam adventum CIↃC, ita scribit Rusticar. rer. lib. II cap. IIII: *Parere tot oportet porcos, quot mammas habeat. si plureis pariat, esse portentum. in quo illud antiquissimum fuisse scribitur, quòd sus Aeneæ Lavinii* XXX *porcos peperit albos. itaque, quod portenderit, factum* XXX *annis; ut Lavinienses condiderint opidum Albam. Huius suis ac porcorum etiam nunc vestigia adparent Lavinii: quòd & simulacra eorum ahenea etiam nunc in publico posita; & corpus matris ab sacerdotibus, quod in salsurâ fuerit, demonstratur.* Mirum sanè dictu est, quot ac quantas imperiti vulgi simplicitas istiusmodique sacerdotum nequitia impudentiaque toti Orbi terrarum invexerit superstitiones cuiusmodi putidarum fabularum innumera passim apud Græcos pariter atque Latinos reperias exempla. Hinc igitur ELPENORIS quoque, unius ex Vlyssis sociis, ibidem monstrabatur TVMVLVS. Theophrastus suprà dicto Histor. plantar. lib. V cap. VIIII: Τὸ δὲ Κιρκαῖον καλεῖσθαι μὲν ἄκραν ὑψηλὴν φασι, δασεῖαν δὲ σφόδρα· καὶ ἔχειν δρυῖ καὶ δάφνῃ πολλῇ καὶ μυρρίνῃ· λέγειν δὲ τὰς ἐγχωρίους, ὡς ἐνταῦθα ἡ Κίρκη κατῴκει· καὶ δεικνύειν τὸ τοῦ Ἐλπηνόρος τάφον, ἐξ οὗ φύειν μυρρίνας, καθάπερ αἱ στεφανώτιδες, τῶν ἄλλων ὄντων μεγάλων μυρρίνων. τὸ δὲ πᾶν εἶναι τὸ πεῖον εἰς ἀνδρὸς ἕξιν. Hoc est: *Circæum aiunt excelsum quoddam esse promontorium, spissis nemoribus consitum; maximè verò robore, lauro, ac myrto. incolas autem Circen heic habitasse perhibere. ostendique Elpenoris tumulum; ex quo proveniant myrti, coronarii operis in modum crescentes: quum aliæ myrti sint amplæ. locumque eum ferunt hominis habere figuram.* Plinius lib. XV cap. XXVIIII: *Arbor ipsa* [myrtus] *in Europæ citeriore solo, quod à Ceraunniis montibus incipit, primùm Circeiis, in Elpenoris tumulo, visa traditur.* Scylax in Περίπλῳ. Τυρρηνίας ἔχουσι) Λατῖνοι, μέχρι Κιρκαίου· καὶ τὸ Ἐλπηνόρος μνῆμά ἐστι Λατίνων. Id est: *Tyrrheniæ continuantur Latini, ad Circæum usque porrecti. & Elpenoris monumentum est Latinorum.* Hyginus Μυθολογικῶν cap. XXV, de Vlysse ab Circe discedente: *Inde proficiscitur ad lacum Avernum: ad inferos descendit: ibique invenit Elpenorem,*

socium

ſocium ſuum; quem ad Elpenorem [fortè erat, *apud Circen*] *reliquerat. interrogavitque eum, quomodò eò perveniſſet. cui Elpenor reſpondit; Se ebrium per ſcalam cecidiſſe, & cervices fregiſſe.* Mox: *Deinde ad ſuperos reverſus, Elpenorem ſepelivit: & gubernaculum, ita ut rogaverat, in tumulo ei fixit:* Ovid. Triſt. lib. III eleg. IIII:

At miſer Elpenor, tecto delapſus ab alto,
Occurrit regi flebilis umbra ſuo.

Et in Ibin: *Neve gradus adeas Elpenore cautiùs altos:*
Vimque feras vini, quo tulit ille modo.

Atque huius *Elpenoris tumuli* veſtigium hodiéque incolæ opidi S. Felicitatis, quod eſt ad radices Circæi montis, ſub ipſo opido monſtrant. quo ſitu antiquos mortaleis id intellexiſſe, vehementer dubito. ſic quidpe Homerus Odyſſéæ lib. XI Elpenorem introducit Vlyſſem adloquentem:

Σῆμά τί μοι χεύαι πολιῆς ἐπὶ θινὶ θαλάσσης.
Monumentumque mihi erige ſpumoſi in litore maris.

Et ſub initium lib. XII ita narrat Vlyſſes:

Δὴ τότ' ἐγὼν ἑτάρους πεφίδιν εἰς δώματα Κίρκης,
Οἰσέμεναι νεκρὸν Ἐλπήνορα τεθνεῶτα.
Φιτροὺς δ' αἶψα τάμοντες, ὅθ' ἀκροτάτη πεφύκει ἀκτή,
Θάπτομεν ἀχνύμενοι, θαλερὸν κατὰ δάκρυ χέοντες.
Αὐτὰρ ἐπεὶ νεκρός τ' ἐκάη καὶ τεύχεα νεκρῶν,
Τύμβον χεύαντες, καὶ ἐπὶ σήλῳ ἐρύσσαντες,
Πήξαμεν ἀκροτάτῳ τύμβῳ εὐῆρες ἐρετμόν.

Hoc eſt:

Tum ego ſocios præmiſi ad domum Circes,
Elatum mortuum Elpenorem defunctum.
Arboribusque ſtatim cæſis, quà ſummum prominebat litus,
Sepelivimus eum triſtes, copioſas lacrumas fundentes.
Cæterùm poſtquàm cadaver combuſtum eſt & arma defuncti,
Buſto adgeſto, & deſuper cippo erecto,
Fiximus in ſummo ſepulcro fabrefactum remum.

Ex Homeri itaque ſententia tumulus Elpenoris fuiſſe credebatur in ſummo Circæi monte, qua mari imminet.

De cætero ipſum *opidum Circæum*, ſeu *Circæi*, Straboni equidem dicitur πολίχνιον, id eſt, *opidulum*. at anteà inclyta fuit *urbs*, & *colonia* Romanorum, à Tarquinio Superbo deducta. Livius lib. I: *His laboribus exercitâ plebe, quia & Vrbi multitudinem, ubi uſus non eſſet, oneri rebatur eſſe; & colonis mittendis occupare latiùs imperii fineis volebat; Signiam Circeiosque colonos miſit: præſidia Vrbi futura, terrâ mariquæ.* Nempe, poſtquàm *Sueſſam Pometiam*, florentiſſimam Volſcorum gentis urbem, vi ceperat: ut ſuo loco oſtendetur. Dionyſius lib. IIII: Ταῦτα Ἀμφεκτάμβρῳ ἐν εἰρήνῃ τε καὶ πρὸς πολέμιους ὁ Ταρκυίνιος, δύο πόλεις ἀπῴκισε· τὴν μὲν, καλουμένην Σιγνίαν, οὐ κατ' αὐτομάτην, χειμασάντων ἐν τῷ πεδίῳ τῶν στρατιωτῶν καὶ καλυβευσαμένων τὸ στρατόπεδον, ὡς μηδὲν Ἀμφέρειαν πόλεως· Κιρκαίαν δὲ κατὰ λογισμὸν, ὅτι τῷ παμφόρῳ πεδίῳ, μεγίστῳ τῶν περὶ τὴν Λατίνην, καὶ τὸ σωφρονοῦν αὐτῆς θαλάσσης, ἔκειτο ἐν καλῷ. Id eſt: *His pace belloque geſtis, duas deduxit Tarquinius colonias: alteram Signiam; haud de induſtriâ; ſed caſu fortuito. quum in eo campo milites hibernantes caſtra ita communiviſſent, uti nihil ab urbe differrent. at Circæam conſultâ operâ deduxit: quòd in Pomentinorum campo, totius Latii maximo, locus is opportunè ad mare ſitus eſſet.* Ergo à Tarquinio Circeii opidum & conditum & colonia deducta fuit. nam *Signia* quoque tunc primùm condita fuit; ut infrà clariùs videbimus. Originem igitur ceperint Circeii circa annum urbis Romæ CCXL; ante natum Ieſum IXXIII. Verùm dubiam hanc opidi originem faciunt, quæ uterque auctor poſteà narrat. Dionyſius lib. VIII, de Marcio Coriolano: Καὶ ὁ Μάρκιος ἐθὺς ἐπὶ Ἀμφελήσους, ἦκεν ἄγων τὴν δύναμιν ἐπὶ Κιρκαίαν πόλιν, ἐν ᾗ κληροῦχοι Ῥωμαίων ἅμα τοῖς ἐπιχωρίοις πολιοῦχοι· καὶ προσλαμβάνει τὴν πόλιν ἐξ ἐφόδου. Hoc eſt: *Marcius non ampliùs cunctatus, Circæam petit, opidum promiſcuè habitatum à Romanis colonis & civibus indigenis: idque primo impetu cepit.* De eâdem re Livius lib. II: *Circeios profectus, colonos inde Romanos expulit; liberamque eam urbem Volſcis tradidit.* Factum hoc, teſte ibidem Livio, Sp. Nautio Rutilo & Sex. Furio Medullino conſulibus; anno urbis Romæ

Romæ CCLXVI; post Tarquinios ejectos anno XXIIII. *Colonia* posteà etiam vocatur eidem Livio lib. XXVII & XXVIIII. & Cicero prædicto de Naturâ deorum lib. III: *Circen quoque coloni nostri Circeienses religiosè colunt.* Fuisse in opido fanum eius, paullo antè è Strabone intelleximus. Ipsius opidi vestigia aliqua etiam nunc visuntur in monte, vulgò *La Città vecchia* dicta. Opidum sæpè poëtæ Circes nomine indicant. Martialis lib. V epigram. I, ad Domitianum Cæsarem; loca commemorans, quorum secessu ille delectabatur:

Hoc tibi, Palladiæ seu collibus uteris Albæ,
Cæsar; & hinc Triviam prospicis, inde Thetin;
Seu tua veridicæ discunt responsa sorores,
Plana suburbani quà cubat unda freti;
Seu placet Aeneæ nutrix, seu filia Solis;
Sive salutiferis candidus Anxur aquis;
Mittimus.

Quinque innuit, ut suprà dixi, loca; Albanum montem, & opida, Antium, Caietam, Circeios, Tarracinam. Idem poëta lib. X epigr. XXX:

Non ille sanctæ dulce Tibur uxoris,
Nec Tusculanos Algidosve secessus,
Prænestе nec sic Antiumve miratur:
Non blanda Circe Dardanisve Caieta
Desiderantur.

Statius Silvar. lib. I carm. III:

Cedant Telegoni, cedant Laurentia Turni
Iugera, Lucrinæque domus, litusque cruenti
Antiphatæ; cedant vitreæ juga perfida Circes,
Dulichiis ululata lupis, arcesque superbi
Anxuris, & sedes Phrygio quas mitis alumno
Debet anus.

Cæterùm ab occidentali Circæi promontorii latere quàm exiguus quidam sinus curvo litore recipiatur, PORTVS loco usi sunt eo Circeienses. Strabo prædicto lib. V: Μετὰ δὲ Ἄντιον τὸ Κιρκαῖόν ἐστιν ὄρος· μεταξὺ δ' ὅ τε Στύρας ποταμὸς, καὶ ἐπ' αὐτῷ ὕφορμος. ἑπτὰ προσεχὴς αἰγιαλὸς [καὶ] ἀλίμενος, πρὸς αὐτῷ μόνον τῷ Κιρκαίῳ λιμένιον ἔχων. Hoc est: *Post Antium est Circæus mons. in medio eorum est Stura fluvius, & ad eum navium statio. Hinc continuum est importuosumque litus; nisi quà ad ipsum Circæum parvum habet portum.* Homerus suprà dicto Odysséæ lib. X:

Αἰαίην δ' ἐς νῆσον ἀφικόμεθ'· ἔνθα δ' ἔναιε
Κίρκη δῖ' ἐπλόκαμος.
Ἔνθα δ' ἐπ' ἀκτῆς νηὶ κατηγαγόμεθα σιωπῇ
Ναύλοχον ἐς λιμένα.
Aeæam autem ad insulam pervenimus; ubi habitabat
Circe pulcricoma.
Heic ad litus navi devenimus clam
Navium capacem in portum.

Virgilius Aeneid. lib. VII; ubi Aeneam deducit ab freto Siculo ad Tiberis ostia:

Proxima Circææ raduntur litera terræ;
Dives inaccessos ubi Solis filia lucos
Adsiduo resonat cantu; tectisque superbis
Vrit odoratam nocturna in lumina cedrum;
Arguto tenuem percurrens pectine telam.
Hinc exaudiri gemitus iræque leonum,
Vincla recusantum, & serâ sub nocte rudentum;
Setigerique sues, atque in præsepibus ursi
Sævire; ac formæ magnorum ululare luporum.
Quos hominum ex facie dea sæva potentibus herbis
Induerat Circe in vultus ac terga ferarum.
Quæ ne monstra pii paterentur talia Troës,

Delati

Delati in portus, nec litora dira subirent,
Neptunus ventis implevit vela secundis.

Porrò reliquum litus à *Circeiis* ad Tarracinam ita describit Plinius lib. III cap v: *A Circeiis palus Pomptina est. quem locum viginti trium urbium fuisse, Mutianus ter consul prodidit. Dein flumen Vfens: supra quod Tarracina opidum, linguâ Volscorum Anxur dictum.* Strabo dicto lib. v: Μετὰ δὲ Ἄνξουρ τὸ Κιρκαῖόν ἐστιν ὄρος· μεταξὺ δ' ὅ τε Σπόρας ποταμὸς, καὶ ἐπ' αὐτῷ ὕφορμος. ἑπτὰ σταδιαῖος αἰγιαλὸς καὶ ἀλίμενος, σκόπελος αὐτῷ μόνον τῷ Κιρκαίῳ λιμένιον ἔχων. ὑπέρκειται δ' ἐν τῇ μεζογαίᾳ τὸ Πωμπτῖνον πεδίον. ἐξῆς δ' ἑκατὸν σταδίοις τῷ Κιρκαίῳ Ταρρακίνα ἐστί. σχεδὸν δ' αὐτῆς μέσα ἔλος, ὃ πιοῦσι δύο ποταμοί· καλεῖται δ' ὁ μείζων Αὖφις. Hoc est: *Post Antium est Circæus mons. in medio eorum est Stura fluvius; & ad hunc navium statio. Hinc continuum importuosumque est litus; nisi quà ad ipsum Circæum parvus est portus. Supra in mediterraneo Pomentinus sternitur campus. A Circæo porrò post stadia c Tarracina est. ante eam magna est palus; quam duo flumina efficiunt: quorum maius vocatur Aufens.* Virgilius Aeneid. lib. VII:

Insequitur nimbis peditum; clypeataque totis
Agmina densentur campis; Argivaque pubes,
Auruncæque manus, Rutuli, veteresque Sicani,
Et Sacranæ acies, & picti scuta Labici:
Qui saltus, Tiberine, tuos sacrumque Numici
Litus arant, Rutulisque exercent vomere colleis,
Circæumque jugum; queis Iupiter Auxuris arvis
Præsidet, & viridi gaudens Feronia luco:
Quà Saturæ jacet atra palus, gelidusque imas
Quærit iter valleis, atque in mare conditur Vfens.

Et Virgilii imitator Silius, lib. VIII:

At quos ipsius mensis sepostа Lyæi
Setia, & incelebri miserunt valle Velitræ;
Quos Cora, quos spumans inimico Signia musto;
Et quos pestiferâ Pomptini uligine campi;
Quà Saturæ nebulosa palus restagnat, & atro
Liventeis cæno per squalida turbidus arva
Cogit aquas Vfens, atque infi it æquora limo;
Ducit, aris pollens, nec dextrâ indignus avorum,
Scævola.

Ad Virgilii verba ita commentatur Servius: *Secundùm hanc lectionem re verâ Saturam paludem intelligimus. sed alii Asturæ legunt. quod si est; paludem pro flumine posuit. nam haud longè à Tarracinâ opidum est Astura, & eiusdem cognominis fluvius.* Vibius Sequester in Catalogo paludum: *Pomptina, Terracina [&] Foro Appî.* Et mox: *Satura, inter Antium & Circeios. eadem Statura.* Scripsisse hoc loco ipsum Vibium, *eadem & Astura*, suprà ad expositionem fluminis atque Asturæ monui. Quum haud exigua adfinitas esset horum vocabulorum; grammatici posteriori sæculo flumen id & insulam inter Antium & Circeios cum palude inter Circeios & Tarracinam confuderunt. At SATVRA ista *palus* haud obscurè Virgilio Silioque ponitur apud *Vfentem* amnem & *Anxur* sive *Tarracinam* opidum *lucum*que *Feroniæ*; quem III millia passuum ab Tarracinâ abfuisse, mox infrà cognoscemus. & Strabo etiam disertis verbis testatur, fuisse ante Tarracinam, id est ab occidentali eius parte, quà Vfens fluit, vulgò hodiéque Aufente dictus, paludem magnam, quam duo flumina efficiebant; Aufens scilicet, & Amasenus, sub Circæo promontorio in mare effluens; de quo mox infrà plura dicemus. Nihil igitur hæc *Satura palus* commune cum *Asturâ* amne atque insulâ habuit. At Plinio aliisque auctoribus vocatur POMPTINA *palus*; & item plurali numero POMPTINÆ *paludes*: quia in Pomptino sive Pometino erant agro, à Suessâ Pometiâ, Volscorum urbe mediterraneâ sic dicto; ut infrà ostendetur. Pompeius Festus: *Pontina tribus, à Pontiâ urbe: à qua & palus quoque Pontina adpellata est juxta Terracenam.* Sic equidem vocabuli opidi genuinum *Pometia* posteà depravatum est. qua de re pluribus agam insequenti hinc capite. Hinc apud Plinium etiam lib. XXVI cap. IIII, ubi magicas ridet vanitates,

ita legitur: *Siccentur hodiè athiopide herbâ Pontinæ paludes: tantumque agri suburbanæ reddatur Italiæ.* Et lib. XVII cap. IIII: *Cacubæ vites in Pontinis paludibus madent.* Apud Plutarchum in vitâ C. Iulii Cæsaris ita scriptum est: Τὰ ἕλη τὰ περὶ Νωμλωντῖνον καὶ Σήτιον ἐκτρέψας, πεδίον ἀποδεῖξαι πολλαῖς ἐνεργὸν ἀνθρώπων μυριάσιν ἐπιχειρεῖ. Quem locum ita interpretes Latini verterunt: *Paludes in Nomentanis & Setinis derivare molitus est; atque efficere campum qui multa millia posset capere agricolarum.* Ar mendosum esse vocabulum Νωμλωντῖνον, facilè ex aliis didicisse poterant auctoribus. Svetonius in eodem Iulio Cæsare; cap. XLIIII: *Siccare Pomptinas paludes destinabat.* Dio lib. XLIIII, de eodem Cæsare: Τά τε ἕλη οἱ τὰ Ποντῖνα χῶρα περιέλαξαν. id est: *Vtque per Pontinas paludes aggerem duceret.* Aggerem scilicet viæ Appiæ. unde Lucanus lib. III:

Et quà Pomptinas via dividit uda paludes.

Iuvenalis Satyrâ III:

Interdum & ferro subitus grassator agit rem,
Armato quoties tutæ custode tenentur
Et Pomptina palus & Gallinaria pinus.

Horatii vetus commentator ad Satyr. v libri I: *In paludibus Pomtinis; quas Cæsar ad mare derivavit.* Horatius de Arte poëticâ:

Debemur morti nos, nostraque: sive receptus
Terrâ Neptunus classeis aquilonibus arcet;
Regis opus: sterilisve diu palus aptaque remis
Vicinas urbeis alit, & grave sentit aratrum:
Seu cursum mutavit iniquum frugibus amnis.

Ad hæc ita vetus commentator: *Modò autem subdit, quòd non tantùm verba hominum intereant; sed & homines, & omnia eorum facta. quod tribus continuis adprobat exemplis. primum, de portu Ostiensi. nam apud Ostiam civitatem Augustus mare irrumpens intercluſit; & aggere terræ & lapidibus obstruxit; portumque ibi fecit. secundum, de Pomtinis paludibus: quas Augustus exsiccavit, & habitabileis reddidit; injecto similiter aggere lapidum & terræ, tertium, de Tiberi fluvio: quem Agrippa de proprio derivavit alveo ad eum, per quem modò fluit.* Item posteà: *Significat portum Lucrinum & alios, ab Augusto manu factos.* Mox: *Divus Augustus duas res divinas fecit. ut Pomtinam paludem exsiccaret & ad mare meatum habere cogeret; ut post & anari posset. deinde portum Lucrinum munivit.* Ergo, quod Iulius Cæsar opus destinaverat, Augustus tandem perfecit. Nemini igitur jam dubium esse potest, quin apud Plutarchum scribendum sit. Τὰ ἕλη τὰ περὶ Πωμπτίνιον καὶ Σητίαν· id est; *Paludes, quæ circa Pomptinum agrum & Setiam sunt.* Nam aliis quoque Græcis auctoribus scribi τὸ Πωμπτίνων πεδίον, proximo hinc capite videbimus. Ergo Pomptinæ istæ paludes ad Setiam usque pertinebant? Maximè. hac quidpe ratione Circæum montem Homerus finxit esse insulam; ut suprà intellectum. Imò ultrà etiam versùs Tiberim protendebantur. Strabo lib. V: Ἅπασα δ' ἐστὶν εὐδαίμων ἡ Λατίνη καὶ παμφόρῳ πολὺ ὀλίγων χωρίων, τῶν κατὰ τὰ παραλίαν, ὅσα ἑλώδη καὶ νοσερά, οἷα τὰ τῶν Ἀρδεατῶν, καὶ μεταξὺ Ἀρδέας καὶ Λαβινίου, μέχρι Πωμπτίνης, καὶ λιμνῶν τῶν Σητίνης χωρίων καὶ τῶν περὶ Ταρρακίναν καὶ τὸ Κιρκαῖον. Id est: *Omne Latium felix est atque omnium rerum ferax; exceptis paucis quibusdam locis maritimis, quæ palustria sunt atque morbosa; ut Ardeatinus ager; & quod est Antium inter Laviniumque, ad usque Pomptinum campum; & Setini agri quædam, ac circa Tarracinam Circæumque.* Imò ipsa Setia, in montibus sita, Pomptino huic imminebat campo. Martialis lib. X. epigram. LXXIIII:

Nec quæ paludes delicata Pomptinas
Ex arce clivi spectat uva Setini.

Et lib. XIII epigr. CXII:

Pendula Pomptinos qui spectat Setia campos,
Exiguâ vetulos misit ab urbe cados.

Hinc Vibius Sequester, in dicto Catalogo paludum: *Pomptina, Terracinæ & Foro Appii.* Opidum hoc & ipsum sub Setiâ fuisse situm in viâ Appiâ, proximo hinc capite patebit. Nimia igitur brevitas falsum quiddam perscribere Plinium coëgit dicto lib. III cap. V, his verbis: *Circeii, quondam insula, immenso quidem mari circumdata, ut creditur Homero; at nunc planitie. Mirum est, quod hac de re tradere hominum*

minum notitiæ possumus. Theophrastus Circeiorum insulæ mensuram posuit stadia octoginta, in eo volumine, quod scripsit Nicodoro, Athenienſium magistratui; qui fuit Vrbis nostræ quadringentesimo sexagesimo anno. Quidquid est ergo terrarum, præter x millia passuum propè ambitus, adnexum insulæ. Post eum annum accessit Italiæ aliud miraculum. à Circeiis palus Pomptina est: quem locum viginti trium urbium fuisse, Mutianus ter consul prodidit. Dein flumen Vfens. supra quod Tarracina opidum. Quum XII circiter sint millia passuum inter Circæum & Terracinam, quis temerè credat, XXIII fuisse hoc spacio urbeis? Sanè Mutianus iste omnem intellexit Pomptinum campum: in quo vetustiores tradiderant tot fuisse urbeis, antequàm paludes eum occuparent. Nec hoc jam mirum fuerit; quando Plinius eodem capite posteà adfirmat, LIII urbeis seu populos ex antiquo Latio, cuius terminum ipse statuit Circæum montem, interiisse sine vestigiis. At tamen incertum est, paludes ne heic priùs fuerint, an urbes in aridis agris, quos postmodùm paludes oppleverint, urbeisque exstinxerint. quamquàm hoc haud obscurè innuere videtur Plinius his verbis: *Post eum annum accessit Italiæ aliud miraculum. à Circeiis palus Pomptina est: quem locum* XXIII *urbium fuisse, Mutianus ter consul prodidit.* Nullum sanè aliud miraculum his verbis innuitur, quàm quod XXIII urbibus à palude Pomptinâ acciderit. Servius, ut suprà relatum, ad Virgilii Aeneid. lib. III ita scribit: *Qui nunc Circeius mons à Circe dicitur, aliquando, ut Varro dicit, insula fuit; nondum siccatis paludibus, quæ eum dividebant à continenti.* Ergo jam bis tunc insula factus erat Circeius mons: priùs, Homeri tempore; ut suprà ostensum: dein, post annum Vrbis Romæ CCCCLX. Vtrum ex his tempus intellexerit Varro, incertum est. Nec constat, an paludes unà siccaverit Appius, quum in consulatu suo viam, injecto paludibus aggere, primus Romanorum stravit, quæ inde *Appia* adpellata, & opidulum in eâ erectum Forum Appii. Sed sæpè paludes hæ iterum restagnaverunt. Epitomator Livii lib. XLVI: *Pomptinæ paludes à Cornelio Cethego consule, cui ea provincia evenerat, siccatæ; agerque ex iis factus.* Collega fuit in consulatu M. Cornelii Cethegi L. Anicius Gallus, anno urbis Romæ DXCI, ante natum Iesum CLXII. Post Augusti siccationem Strabo dicto lib. V posteà: Πλησίον δ' ἡ Ταρρακίνης, βαδίζουσι δι' ἧς Ῥώμης, ὁδῷ λιθοστρώτῳ τῇ ὁδῷ Ἀππίᾳ διὰ πολλὰς τάφρας πληρουμένας τοῖς ἑλείοις τε καὶ τοῖς ποταμίοις ὕδασι. πλεῖται δὲ μάλιστα νύκτωρ. ὥστ' ἐμβάντας ἐφ' ἑσπέρας ἐκβαίνειν περὶ ὄρθρον, ἢ βαδίζειν τὸ λοιπὸν τῇ ὁδῷ τῇ Ἀππίᾳ· ἀλλὰ καὶ μεθ' ἡμέραν συμπλεῖται δι' ἡμιόνων. Hoc est: *Prope Tarracinam, quà Romam itur, propter viam Appiam fossa longa ducta est, quæ palustribus fluvialibusque impletur aquis. ea noctu maximè navigatur: ut, qui navim vesperi intrant, manè egressi, Appiâ via pergant. sed & interdiu muli naves loris trahunt.* Fuisse huius FOSSAE longitudinem XV millium passuum, id est, ab Foro Appii ad Feroniæ usque fanum, III millia ab Tarracinâ disitum, ex Horatii Satyrâ V libri primi patet: ubi ita scribit:

Egressum magnâ me excepit Aricia Româ
Hospitio modico. rhetor comes Heliodorus,
Græcorum longè doctissimus, inde Forum Appî,
Differtum nautis cauponibus atque malignis.
Hoc iter ignavi divisimus, altius ac nos
Præcinctis, unum minùs est gravis Appia tardis.
Heic ego propter aquam, quod erat deterrima, ventri
Indico bellum, cœnanteis haud animo æquo
Exspectans comites. Iam nox inducere terris
Vmbras & cœlo diffundere signa parabat:
Tum pueri nautis, pueris convicia nautæ
Ingerere. huc adpelle. trecentos inseris: ohe,
Iam satis est. Dum æs exigitur, dum mula ligatur,
Tota abit hora. Mali culices ranæque palustres
Avertunt somnos. absentem cantat amicam
Multâ prolutus vappâ nauta atque viator
Certatim. tandem fessus dormire viator
Incipit; ac missæ pastum retinacula mulæ
Nauta piger saxo religat; stertitque supinus.
Iamque dies aderat, quum nil procedere lintrem
Sentimus:

Sentimus: donec cerebrosus prosilit unus,
Ac mulæ nautæque caput lumbosque saligno
Fuste dolat. quartâ vix demum exponimur horâ.
Ora manusque tuâ lavimus, Feronia, lymphâ.
Millia tum pransi tria repimus; atque subimus,
Impositum saxis latè candentibus, Anxur.

Hinc Tacitus Annal. lib. xv: *Cæterùm Nero usus est patriæ ruinis. exstruxitque domum, in qua haud perinde gemmæ & aurum miraculo essent, solita pridem, & luxu vulgata: quàm arva & stagna: & in modum solitudinum, hinc silvæ. inde aperta spacia & prospectus: magistris & machinatoribus Severo & Celere; quibus ingenium & audacia erat, etiam, quæ natura denegavisset, per artem tentare, & viribus principis illudere. namque ab lacu Averno navigabilem fossam usque ad ostia Tiberina depressuros promiserant; squalenti litore, aut per monteis adversos. neque enim aliud humidum gignendis aquis occurrit, quam Pomptinæ paludes. cætera abrupta, aut arentia: ac, si perrumpi possent, intolerandus labor: nec satis causæ.* Hinc illud Plinii, quod circa Neronis exitum initiumque imperii Vespasiani scripsit suprà dicto lib. III cap. V: *A Circeiis palus Pomptina est.* Et item XXVI cap. IIII: *Siccentur hodiè æthiopide herbâ Pomptinæ paludes: tantumque agri suburbanæ reddatur Italiæ.* Et Lucanus dicto lib. III:

Et quà Pomptinas via dividit uda paludes.

Item Iuvenalis Satyrâ III:

Et Pomptina palus, & Gallinaria pinus.

Traianus posteà imperator an quid heic siccaverit, dum viam instauravit, incertum est. Dio lib. LXVIII, in vitâ eius: Τὰ ἕλη τὰ Ποντῖνα ὠδοποίησε λίθῳ· καὶ τὰς ὁδὰς παρωκοδομήσας, καὶ γεφύρας μεγαλοπρεπεστάτας ἐξεποίησε. Id est: *Per Pontinas paludes viam saxo stravit. exstruxitque juxta vias ædificia; ponteisque magnificentissimos fecit.* At annis fermè CCCC post Traiani imperium iterum siccatæ fuêre sub Theodorico, Gothorum in Italiâ rege. qua de re apud Cassiodorum Variar. lib. II epistola est XXXII huiusmodi: *Senatui urbis Romæ Theodoricus rex. Vir magnificus atque patricius Decius, glorioso circa rempublicam amore devinctus, ultro postulavit voto mirabili, quod vix potuisset sub consilio nostræ pietatis imponi paludem Decennovii, in hostis modum vicina vastantem, fovearum ore patefacto, promisit absorbere. illam famosam sæculi vastitatem; quam sub diuturnitate licentiæ quondam mare paludestre possedit: cultúsque locis inimicum superfundens undâ diluvium, terrenam gratiam silvestri pariter horrore confudit. nihil utile nutriens, sub liquore spoliatum fructibus est solum, postquàm obnoxium cæpit esse paludibus. Ideò miramur priscæ confidentiæ virum: ut, quod diu virtus publica refugit, manus privata susceperit. Hunc ergo audacem laborem adgressurum se laudabili perfectione pollicitus est: ut, pereunte damnoso gurgite, quæ fuerant amissa, ulteriùs non perirent. unde nostræ super hac parte serenitatis postulat jussiones: ut auctoritate publicâ subeat opus eximium, quod erit cunctis viantibus profuturum. Sed vos, patres conscripti, præsentibus decretis adnuimus, ut ad loca ipsa Decennovii duos ex vestro corpore dirigatis: quibus arbitrantibus, quantum spacii restagnantis incursibus paludestris illuvies occupavit, fixis terminis adnotetur. ut, quum ad perfectionem promissum pervenerit; liberatori suo reddita terra proficiat. nec quisquam inde aliquid præsumat attingere, quod tam diu invadentibus aquis non potuit vendicare.* Et epist. XXXIII: *Decio, viro illustri, patricio Theodoricus rex. Vobis, itaque desideria justa poscentibus, præsenti auctoritate concedimus, ut, stagnis Decennovii paludibusque siccatis, sine fisco possideas in solum rura revocata: nec ullam metuas liberatis rebus exhibere culturam, quas sub generalitatis testimonio absolvimus. Hinc etiam ad amplissimum senatum præcepta transmisimus; ut definito nunc spacio, ad tuum pulcrè transeat dominium, quod est à fœdis gurgitibus vendicatum. æquum est enim, ut unicuique proficiat labor suus.* Perfectum tunc fuisse id opus, testatur eius sæculi inscriptio, quæ, postmodùm Tarracinæ reperta, inter alia, quibus partim tituli Theodorici regis exprimantur, hæc continet verba:

DECEN-

DECENNOVII · VIAE · APPIAE · ID · EST · A · TRIF
VSQVE · TERRACENAM · ITER · ET · LOCA · QVAE
CONFLVENTIBVS · AB · VTRAQVE · PARTE · PALVDVM
PER · OMNES · RETRO · PRINCIPVM · INVNDAVERANT
VSVI · PVBLICO · ET · SECVRITATI · VIANTIVM
RESTITVIT * · * · * PER
PLVRIMOS · QVI · ANTE · NON · ERANT · ALBEOS
. . . . . DEDVCTA · IN · MARE
AQVA

Vnde autem, quæ anteà erat Pomptina, posteriori isto sæculo dicta fuerit DECENNOVII PALVS, ostendit. Procopius Gothicar. rer. lib. I, his verbis: Ἐπεὶδὴ ἀλῶναι Νεάπολιν ἤκουσεν, ἐς χωρίον ξυνελέγησαν Ῥωμης ὀγδοήκοντα ἓξ ἀπὸ σταδίοις ἑκατὸν διέχον, ὅπερ Ῥωμαῖοι καλοῦσι Ῥέγγιλλα· ἐνθένδε γὰρ ἐνεστρατοπεδεύσεσθαι σφίσιν ἔδοξεν ἄριστον εἶναι· πεδία γὰρ πολλὰ ἐνταῦθά ἐστιν ἱππόβοτα. ῥεῖ δὲ καὶ ποταμὸς, ὃν Δεκεμνόβιον τῇ Λατίνων φωνῇ καλοῦσιν οἱ ἐπιχώριοι, ὅτι δὴ ἑνεακαίδεκα σταδίων σημεῖα, ὅπερ ξυλίσεις τρεῖς καὶ δέκα καὶ ἑκατὸν σταδίους, ἄνω δὴ ἐκβάλλει ἐς θάλασσαν ἀμφὶ πόλιν Ταρακίνην, ἧς ἄγχιστα ὄρος τὸ Κιρκαῖόν ἐστιν. Hoc est: *Postquàm captam Neapolim esse accepère, in unum locum, ducenta & LXXX stadia ab Româ dissitum, quem Romani Regeta adpellant, convenerunt: in quo quàm optimè castra sē posituros rebantur; quòd campi heic essent multi equis pascendis aptissimi. sed & flumen, quod Latino vocabulo Decennovium incolæ vocant, quòd XVIIII milliaria delapsus, quæ stadia conficiunt CXIII, in mare effunditur circa Tarricinam; cui vicinus est mons Circæus.* Ergo VI tantùm stadia in singula milliaria computavit Procopius. atque hac ratione stadia ista CCLXXX inter *Romam* & *Regeta* locum millia passuum erunt XLVI, cum stadiis IIII. super qua equidem mensurâ satis rectè ei convenit cum Appiano; qui Civil. bellor. lib. III, de Augusto loquens, οὔπω ὡπτὸ, inquit, περὶ Ταρρακίνας ἀπὸ τετρακοσίων πῃ Ῥώμης σταδίων· id est; *Quum circa Tarracinam esset, ad* CCCC *circiter ab Româ stadia.* Tot quidpe stadia, more eius ævi septenis stadiis cum dimidio in singula millia passuum computatis, reddunt millia LIII, cum stadiis II ac dimidio. Ex præscriptis igitur Procopii verbis haud obscurè patet, eumdem *amnem* eius tempestate à cursus spacio dictum fuisse DECENNOVIVM, qui antiquioribus temporibus erat VFENS, prope Tarracinam in mare influens, Virgilio, Silio, Plinio, Claudiano, ac Livio, memoratus: sed huic sine nomine. Verba eius lib. XXIIII: *Navium longarum species in flumine Tarracinæ visæ.* Virgilium atque Silium suprà citavimus, ad nomen *Saturæ paludis.* Claudianus in Panegyrico de Probi & Olybrii consulatu:

——— *Tardusque suis erroribus Vfens.*

Idem antiquissimis Romanis per diphthongum dictus fuit OVFENS. Festus: *Oufentina tribus initio causa fuit nominis Oufens; quod est in agro Privernate, inter mare & Terracinam.* Lucretius: *Priverno Oufentina venit fluvioque Oufente.* Mira sanè fluminis descriptio, inter mare & Tarracinam; quum urbs hæc in ipso ferè fuerit litore; quumque ipsum flumen in mare prope urbem exierit. Apud Livium lib. VIII ita est scriptum: *Latinus ager, Privernati addito agro, & Falernus, qui populi Campani fuerat, usque ad Vulturnum flumen, plebi Romanæ dividitur.* Hinc lib. VIII: *Duæ Romæ additæ tribus; Vfentina & Falerna.* Heic etiam quædam exemplaria habent, *Oufentina.* Sed alia diphthongo etiam dicebatur amnis AVFENS: unde vulgare ei hodiéque vocabulum *Ufente.* Strabo lib. V: Πρόκειται δὲ τῆς Ταρρακίνης μέγα ἕλος, ὃ ποιοῦσι δύο ποταμοὶ· καλεῖται δὲ ὁ μείζων Αὔφιδος. Id est: *Ante Tarracinam magna est palus, quam duo efficiunt amnes; quorum maior dicitur Ausidus.* Hoc sanè nomen fuit fluminis longè maximi celebratissimique in Apuliâ. unde censuerunt viri docti corrigendum id vocabulum apud Strabonem in οὔφις, *Vfens.* at ego vocalem *A* haud temerè mutaverim: utique, quum hodiéque vocetur amnis *L'Ufente*; & antiquissimis illis temporibus fuerit *Oufens.* Cæterùm alter ille *fluvius* ipsum opidum Privernum & infra hoc celeberrimum monasterium, quòd vulgò vocatur *L'Abbadia*, præterfluit. adpellatur autem antiquis scriptoribus, Virgilio, Vibio Sequestro, ac Servio, AMASENVS. Virgilius Aencid. lib. VII:

Quique altum Præneſte viri, quique arva Gabinæ
Iunonis, gelidumque Anienem, & roſcida rivis
Hernica ſaxa colunt: quos dives Anagnia paſcit,
Quos Amaſene pater.

Ad hæc ita Servius: *Amaſenus, eſt fluvius vicinus civitatis Privernatium; qui Anagnienſes agros irrigat.* Quum & Setia & Signia & Fruſino Volſcorum agri opida intercedant, minimè credibile eſt, Anagniæ, Hernicorum opidi, agrum irrigaſſe Amaſenum, paullo ſuprà Setiam exortum. proinde id ex poëtâ ſuo potiùs conjeciſſe, quàm ex idoneo aliquo geographo didiciſſe videtur grammaticus Servius. At de *Privernatium* vicinitate haud falſus eſt. Vibius in catalogo fluminum: *Amaſenus, Privernatium.* Ipſe Virgilius lib. XI:

Pulſus ob invidiam regno virisque ſuperbas,
Priverno antiquâ Metabus quum excederet urbe,
Infantem, fugiens media inter prælia belli,
Sustulit, exſilio comitem: matrisque vocavit
Nomine Caſmillæ, mutatâ parte, Camillam.
Ipſe, ſinu præ ſe portans, juga longa petebat
Solorum nemorum. tela undaque ſæva premebant:
Et circumfuſo volitabant milite Volſci.
Ecce fugæ medio ſummis Amaſenus abundans
Spumabat ripis. (tantus ſe nubibus imber
Ruperat.) ille innare parans, infantis amore
Tardatur; caroque oneri timet.

His igitur duobus fluminibus, Vfente atque Amaſeno, maximè implebantur prædictæ Pomptinæ paludes: quas à Tribus Tabernis ad Tarracinam usque extenſas fuiſſe, ſuprà ſcripta inſcriptio antiqua teſtatur: id eſt, ſpacio XXX fermè millium paſſuum; quod infrà in expoſitione Trium Tabernarum patebit. Plinius, ut ſuprà dicto lib. III cap. V nimium eas coarctaverit, inter Circeios & Tarracinam; ſic alibi perperam ultra Tarracinam in Fundanum usque agrum protulit. Verba eius lib. XIIII cap. VI hæc ſunt: *Anteà Cæcubo vino erat generoſitas celeberrima, in paluſtribus populetis, ſinu Amyclano. quod jam intercidit, & incuriâ coloni locique anguſtiâ; magis tamen foſſa Neronis, quam à Baiano lacu Oſtiam usque navigabilem inchoaverat.* Et lib. XVII cap. IIII: *Cæcubæ vites in Pomptinis paludibus madent.* Certè ſi etiam tunc Cæcubæ vites in paludibus madebant, neſcio quomodò ipſum vinum Cæcubum jam intercidiſſe voluerit: niſi fortè vitem Cæcubam ex agro Fundano, cuius opidum hodiéque vulgo vocatur *Fondi*, in paludes Pomptinas transpoſitam, ut multæ aliæ alio paſſim vites fuêre translatæ, intellexerit. quidpe nec iſtæ cis Tarracinam Pomptinæ paludes in Cæcubum usque agrum continuo aliquo tractu protendi poterant; quando ſatis magnum intercedit montium jugum: in cuius quaſi promontorio ſita eſt Tarracina: nec ipſum Pomptini agri nomen eò usque prolatum fuit: quum totus is fuerit Volſcorum; ut ſequenti hinc capite liquebit: Volſci autem ultra Tarracinum nihil tenuerint. At lib. XXIII cap. I iterum in eamdem ſententiam, *Cæcuba*, inquit, *jam non gignuntur.* Atque hac Plinii negligentiâ in errorem præcipitatus nuperus geographus Abrahamus Ortelius; quamlibèt ipſe per hæc loca iter feciſſet, coramque ea luſtraſſet; tamen ad illius mentem continuas toto hoc litore ad Lirim usque in tabulâ Latii pinxit Pomptinas paludes. Cæterùm in Chronico Caſſinenſi lib. II cap. XXVI ſic ſcriptum eſt: *Eodem tempore cives Terracinenſes obtulerunt piſcariam, quæ à flumine ipſius civitatis ad mare tenditur. Roffridus item patricius obtulit ibidem piſcariam ſuam in palude Traſectâ, juxta memoratum flumen de Terracinâ.* Haud equidem dubitaverim, quin corruptum ſit hoc vocabulum *Traſecta*; ut innumera alia propria locorum fluminumque in eodem Chronico nomina. eamdem verò intelligi circa Vfentem amnem paludem, quæ aliàs Pomptina, ac poſteà Decemnovii palus adpellata fuit, omnino mihi perſvadeo. At illud jam minus ſcio, quisnam ille fuerit Procopii locus *Regeta*, τὰ Ῥήγετα χωρίον, circa Tarracinam. neque ullam Latini vocabuli formam vel originem, quod vult ille, in eo nomine diſpicio. unde hoc quoque vitiatum eſſe, vehementer ſuſpicor. Apud Servium Donatus atque Clavarius PINETVM habent

bent hoc tractu. Virgilius Aeneid. lib. XI Latinum introducit regem ita in concilio loquentem.

Est antiquus ager, Tusco, mihi, proximus amni;
Longus in occasum, fineis super usque Sicanos.
Aurunci Rutulique serunt, & vomere duros
Exercent colleis; atque horum asperrima pascunt.
Hæc omnis regio, & celsi plaga pinea montis
Cedat amicitiæ Teucrorum: & fœderis æquas
Dicamus leges; sociosque in regna vocemus.

Ad hæc ita Servius: *Hoc loco Donatus erravit; dicens, agrum, quem Latinus donare sè disponit, esse in Campaniâ juxta Vfentem fluvium:* (quod etiam Clavarius ait) *cuius terras vicinas Tusci aliquando tenuerint. ut inde dictum sit, Tusco proximus amni. Agit etiam hoc argumento; quod illis est locus, qui hodiéque Pinetum vocatur. Constat loca illa omnia esse campestria. nec procedit, quod dicitur Celsi plaga pinea montis.* Per temporis anticipationem, quæ frequens est Virgilio, antiquum heic adfictum est Latini regis orationi Latium, cuius fineis Tarquinius demum Superbus ad Circæum usque protulit montem, suprà cap. I huius libri III dictum est, circa eumdem autem montem multam fuisse *pinum* arborem, paullo antè in descriptione eius intelleximus. Ab hoc igitur pineo monte longum intellexit poëta agrum, in occasum versùs, ad Tuscum usque amnem, id est, Tiberim. Hinc autem credibile fit, Procopium quoque scripsisse, Χωρίον, ὅπερ Ῥωμαῖοι καλοῦσι Πινέτα. id est: *Locum, quem Romani Pineta vocant.* Nec perinde abhorrent illa ὀγδοήκοντα καὶ διακόσια στάδια, *octoginta atque ducenta stadia*; id est, secundùm Procopii computationem, XLVI millia passuum.

Ipsa hinc Ταρρακίνα, TARRACINA *urbs*, compluribus memoratur auctoribus, quos citatum imus. sed posterioris sæculi hominibus TERRACINA, quod hodiéque vulgare eius est vocabulum, quasi ab nescio cuius terræ argumento quæsitâ adpellatione, dicta est: & quia η tunc ut ι sonabat, sæpè Ταρρακῖνα· quod Latinè etiam fecêre TERRACENA; ut in suprà citatâ inscriptione Theoderici regis vidimus. ex qua apud omneis antiquos auctores idem vocabulum voluisse Fulvium Vosinum restitui pro Tarracinâ, vehementer ego miror. A Græcis urbi hoc nominis fuisse impositum, disertè testatur Strabo lib. V: Ἑξῆς ἦ, inquit, ἐν ἑκατὸν σταδίοις τῷ Κιρκαίῳ ἡ Ταρρακίνα ἐστὶ, Τραχὶν καλουμένη πρότερον, ἀπὸ τοῦ συμβεβηκότος. Id est: *Sequitur post C stadia à Circæo Tarracina; anteà* TRACINNE *dicta, ab re ipsa.* Id est, *aspera*; ab asperitate loci; quia in scopulo condita erat, ut mox videbimus. Ovidio ab eodem argumento aliâ vocabuli formatione Τραχαὶ, TRACHAS dicitur Μεταμορφώσεων lib. XV, in his versibus:

Minturnæque graves, & quam tumulavit alumnus,
Antiphatæque domus, Trachasque obsessa palude,
Et tellus Circæa, & spissi litoris Antium.

Recto ordine, ut pòst videbimus, recensèt huius litoris opida: Minturnas, Caietam, Formias, Tarracinam, Circeios, Antium. Mela lib. II cap. IIII. *Minturnæ, Formiæ, Fundi, Terracina, Circes domus aliquando Circeii, Antium.* Apud Stephani epitomatorem ita scriptum: Ταρρακῖνα, πόλις Ἰταλίας Διονύσιος πεντεκαιδεκάτῳ Ῥωμαϊκῆς ἀρχαιολογίας. τὸ ἐθνικὸν Ταρρακῖνος. Id est: *Tarracena, opidum Italiæ; auctore Dionysio Antiquitat. Rom. lib.* XV. *gentilitium inde Tarracenus.* Mox posteà: Ταρράχινη, πόλις Ἰταλίας· Φλέγων. τὸ ἐθνικὸν Ταρραχῖνος. Hoc est: *Tarrachina, opidum Italiæ; auctore Phlegonte. gentilitium Tarrachinus.* Hoc equidem opidi vocabulum facilè crediderim ita ipsum scripsisse Phlegontem: quia proxima hæc erat inclinatio ex primitivo illo Τραχίνη. at Ταρρακῖνα scripsisse Dionysium, valdè dubitarem, nisi apud Polybium quoque lib. III bis forent opidani Ταρρακινῖται, *Tarracenitæ*. Plutarcho certè in C. Mario & Iulio Cæsare est aliquoties Ταρράκινη. quæ apud Diodorum lib. XIII est Ταρακίνη & Dioni lib. LXV ac Zonaræ lib. II Ταρακίνα. Latinis verò auctoribus, Cæsari Civil. belli lib. I, Ciceroni de Oratore lib. II, ad Atticum lib. VI epist. V ac lib. VIII epist. XIII, Livio lib. XXIIII & XXVII, Valerio Maximo lib. VIII cap. I, Melæ dicto libro II cap. IIII, Plinio lib. III cap. V, lib. XIIII cap. II, Tacito Histor. lib. III, Spartiano in Vitâ Hadriani, Solino cap. VIII, & Martiano lib. VI,

Tarracinæ. & inde opidani Salluſtio in Bello Catilinario, item Ciceroni in oratione pro Sex. Roſcio Amerino, ac Tacito Hiſtoriar. lib. IIII, TARRACINENSES. Sed ipſa urbs plurali etiam numero dicitur Livio, Ptolemæo, atque Appiano, Ταρρακίναι. Appianus Civil. bellor. lib. IIII: Ὅσα αὐτῷ περὶ Ταρρακίνας· *Quum eſſet circa Tarracinas*. Ptolemæus id vocabulum habet lib. III, in deſcriptione Italiæ; & item lib. VIII cum articulo αἱ Ταρρακίναι. Livium mox producemus. Cæterùm ipſis incolis Volſcis dicebatur ANXVR. Plinius dicto lib. III cap. V: *Dein flumen Vfens: ſupra quod Tarracina opidum; lingvâ Volſcorum Anxur dictum*. Pompeius Feſtus: *Anxur vocabatur, quæ nunc Tarracina dicitur, Volſcæ gentis; ſicut ait Ennius; Vulſculus perdidit Anxur*. Livius lib. IIII: *Valerius Antium petit, Cornelius Ecetras. Quacúmque inceſsêre. latè populati ſunt tecta agrosque; ut diſtinerent Volſcos. Fabius, quod maximè petebatur, Anxur oppugnandum, ſine ullâ populatione acceſſit. Anxur fuit, quæ nunc Tarracinæ ſunt*. At ipſe etiam ſingulari numero dixit Livius Tarracinam. lib. XXIIII: *Navium longarum ſpecies in flumine Tarracinæ viſæ*. lib. XXVII: *Tarracinæ in mari, haud procul portu angves magnitudinis miræ laſcivientium piſcium more exſultaſſe*. Porrò Diodorus lib. XIV: Καὶ δὲ τὴν Ἰταλίαν ἐξεπολιόρκησαν οἱ Ῥωμαῖοι τὴν Οὐόλσκων πόλιν, ἣ τότε μὲν Ἄνξουρ, νῦν δ' ὀνομάζεται Ταρακίνη. Id eſt: *In Italiâ Romani Volſcorum urbem, quæ tunc Anxor, nunc verò Tarracina vocatur, expugnarunt*. Illo vocabulo maximè uſi ſunt poëtæ; alii neutro genere, ut præſcripti Ennius atque Livius; maſculino genere alii. Horatius Satyrâ V libri I: —— *Subimus*

Impoſitum ſaxis latè condentibus Anxur.

Martialis lib. V epigr. I:

Seu placet Aeneæ nutrix, ſeu filia Solis,
Sive ſalutiferis candidus Anxur aquis.

Lib. VI epigr. XLII:

Non mollis Sinueſſa, fervidique
Fluctus Paſſeris, aut ſuperbus Anxur.

Lib. X epigr. LI:

O nemus; ô fontes, ſolidumque madentis arenæ
Litus, & æquoreis ſplendidus Anxur aquis.

Silius atque Lucanus utrum genus intellexerint, incertum eſt. Lucanus lib. III:

Iamque & præcipites ſuperaverat Anxuris arceis.

Atque tot graviſſimorum auctorum teſtimoniis innixus, audacter equidem negaverim ab ipſo Statio feminino genere ſcriptum fuiſſe *ſuperbæ Anxuris*, Silvar. lib. I carm. III, in his verbis:

Cedant Telegoni, cedant Laurentia Turni
Iugera, Lucrinæque domus, litusque cruenti
Antiphatæ; cedant vitreæ juga perſida Circes
Dulichiis ululata lupis; arcesque ſuperbæ
Anxuris, & ſedes Phrygio quas mitis alumno
Debet anus.

Virgilius etiam bellatorem hoc nomine fingit Aeneid. lib. X, in his verſibus:

Dardanides contrà fuit. Anxuris enſe ſiniſtram
Et totum clypei ferro dejecerat orbem.

At Aeneid. lib. VII ita ſcribit:

Qui ſaltus, Tiberine, tuos ſacrumque Numici
Litus arant, Rutulosque exercent vomere colleis.
Circæumque jugum; queis Iupiter Anxurus arvis
Præſidet, & viridi gaudens Feronia luco.

Ad quæ ita Servius: *Circa hunc tractum Campaniæ colebatur puer Iupiter, qui Anxurus dicebatur, quaſi ἄνευ ξυρῆ*, id eſt, *ſine novaculâ: quia barbam numquàm raſiſset: & Iuno virgo, quæ Feronia dicebatur*. Et ad præſcripta Horatii verba ita habent antiqua ſcholia: *Fanum Feroniæ in tertio erat milliario à Tarracinâ. imò verò Feroniæ, Iovis Anxuris uxor, ibi colebatur; quemadmodùm Iupiter Anxur Tarracinæ*. Mox: *Dictum Anxur à Iove Anxure; qui ibi colebatur imberbis, idcircò nominatur Anxurus, quaſi ἄνευ ξυρῆ*, id eſt, *ſine novaculâ; quia nondum barbam raſiſſet*. Videndus & Cornutus in libro de Cognominibus deorum: Ita equidem grammatici hi probè inter ſe conſentiant, contra quos

negare

negare haud ausim, Iovem Anxurum dictum fuisse; quandoquidem disertè sic eum adpellat poëta Virgilius; & in nummo antiquo legitur IOVIS AXVR: ubi N omissum est, ut in innumeris aliis passim inscriptionibus antiquis reperimus exempla in aliis vocabulis: tum in Græco nummo est ΑΤΖΤΡΟΣ. at ita dictum fuisse Iovem Græcis hominibus, quasi ἄνδρ ξυρῆ, haud temerè iisdem crediderim grammaticis. primùm, quia usitatissimum ipsis est, quod sæpè jam antè observavimus, immania circa vocabulorum origines proferre nugamenta. tum, quòd in Græco sermone privativæ voces, id est, quæ privandi vim habent, non à particulâ ἄνδ, sed ab simplici ἀ compositionem habent: quæ si primam literam habeant vocalem, interponitur ν, ut Latinis *d* in *redire, redimere, redintegrare*. quapropter Fulvius Vrsinus ubique apud auctores scribendum censebat pro Anxur Axur, quasi Iovis cognomentum fuisset Ἄξυρος· nisi distertis literis perscriptum reperisset in antiquo lapide COLON. ANXVRN. cum quo convenit illud Græci nummi Ἄγξυρος. Itaque haud temerè ego cum Dausqueio, novissimo Silii commentatore, nugatoriorum posteriorisævi grammaticorum auctoritatem prætulerim auctoritati Plinii; qui Tarracinam opidum Volscorum lingvâ Anxur dictum testatur. Apud Volscos autem *Iovem puerum*, ut exhibetur in nummo, adpellatam fuisse Anxurem, Virgilio dictisque lapidis ac nummi inscriptionibus facilè concesserim: nisi quis fortè suspicetur, à Romanis, Græcæ originis gente, postquàm urbem *Anxur* de Volscis ceperunt, talem Iovi habitum adfictum fuisse. namque *Feroniam* quoque deam à Græcis adpellatam vult Dionysius; ut mox videbimus. à quibus urbem primùm dictam esse Τραχίνα, & mox Ταρραχίνα, ac tandem Ταρρακίνα, suprà è Strabone ac Stephano cognovimus: nempe ἀπὸ τῆς τραχύτητος τοῦ τόπου, ab asperitate loci, in quo condita erat, *scopuloso* ac *præcipite vertice* montis *candidi*; in quo nunc quoque ingentes conspiciuntur antiquæ fabricæ reliquiæ, figurâ quadratâ; quas plerique theatrum fuisse arbitrantur. Partem tamen urbis jam olim sub monte in plano fuisse sitam, ubi hodierna visitur urbs, ex Livio disco: qui suprà dicto lib. IIII, *Anxur*, inquit, *fuit quæ nunc Tarracinæ sunt: urbs prona in paludes. Ab ea parte Fabius oppugnationem ostendit. Circummissæ IIII cohortes quum imminentem urbi collem cepissent, ex loco altiore, quà nullum erat præsidium, ingenti clamore ac tumultu mœnia invasêre. ad quem tumultum obstupefacti, qui adversùs Fabium urbem infimam tuebantur, laxum dedêre scalas admovendi.* Paullo pòst: *Opidum vetere fortunâ opulentum tres exercitus diripuêre.* At lib. V; *In Volscis*, inquit, *depopulato agro, Anxur nequidquàm oppugnatum, loco alto situm.* Per summam imperitiam, ex Plinio mal: intellecto, *insulam* quondam fuisse *Tarracinam*, tradiderunt Solinus cap. VIII & Martianus Capella lib. VI: quod suprâ ad *Circeiorum* expositionem ostendimus. At in scopuloso illo præcipitique vertice arx fuit urbis, & in eâ haud dubiè templum Iovis Anxuris. Tacitus Historiar. lib. III: *Tarracinam occupavêre; manibus situque magis, quàm ipsorum ingenio, tutam.* Posteà: *Isdem diebus Vitellius, positis apud Feroniam castris, excidio Tarracinæ imminebat: clausis illic gladiatoribus remigibusque; qui non egredi mœnia, neque periculum in aperto audebant.* Mox: *Interim ad Vitellium servus Verginii Capitonis perfugit. pollicitusque, si præsidium acciperet, vacuam arcem furtim traditurum. multâ nocte cohorteis expeditas summis montium jugis super caput hostium sistit. inde miles ad eadem magis, quàm ad pugnam, decurrit.* De cætero coloniam hac olim Romanos deduxisse, præter suprà dictam inscriptionem antiquam, Livius quoque testatur lib. VIII, in consulatu L. Aemilii Mamercini & C. Plautii Deciani: qui fuêre anno urbis Romæ CCCCXXV: ante natum Iesum anno CCCXXVI. *Eodem*, inquit, *anno Anxur trecenti in coloniam missi sunt. bina jugera agri acceperunt.* Hinc lib XXVII: *Colonos etiam maritimos*, inquit, *qui sacrosanctam vacationem dicebantur habere, dare milites cogebant. quibus recusantibus edixêre in diem certam, ut, quo quique jure vacationem haberet, ad senatum deferret. Eâ die hi populi ad senatum venerunt: Ostienses, Allienses, Antias, Anxurnas, Minturnenses, Sinuessanus.* Et lib. XXXVI: *In comparandâ impigrè classe C. Livium prætorem contentio orta cum colonis maritimis paullisper tenuit. nam quum cogerentur in classem, tribunos plebis adpellarunt. ab ijs ad senatum rejecti sunt. senatus ita, ut ad unum consentirent, decrevit; Vacationem rei navalis his colonis non esse. Ostia & Fregenæ & Castrum novum & Pyrgi & Antium & Tarracina & Minturnæ & Sinuessa fuerunt, quæ cum prætore de vacatione certaverunt.* Ergo ab *Anxure* opidani dicebantur ANXVRNATES.

quod

quòd quum suprà dicta quoque testetur inscriptio, minùs probanda sunt ea Livii exemplaria, quæ habent præscripto loco *Anxures*. Municipium quoque posteà factum, auctor est Tacitus Historiar. lib. IIII. *Helvidius*, inquit, *Priscus, regione Italiæ Septimâ, Tarracinæ municipio, Cluvio patre*. PORTVM etiam heic olim fuisse, cuius hodiéque in mari conspicitur vestigium, auctor est Livius suprà dicto lib. XXVII. *Tarracina*, inquit, *in mari, haud procul portu, angues magnitudinis miræ, lascivientium piscium more exultasse*. Et Tacitus dicto Histor. lib. III: *Excidio Tarracinæ imminebat: clausis illic gladiatoribus remigibusque*. Paullo pòst; captâ urbe: *Pauci gladiatorum resistentes; neque multi cecidêre. cæteri ad naveis ruebant. Sex liburnicæ inter primum tumultum evasêre: in quis præfectus classis Apollinaris. reliquas in litore captas, aut nimio ruentium onere pressas, mare hausit*. Et Iul. Capitolinus in Vitâ Antonini Pii inter alia eius opera publica *Tarracinensis* etiam *portus* restitutionem commemorat.

Cæterùm Martialis versus è lib. V epigr. I suprà citavimus istos:

Seu placet Aeneæ nutrix, seu filia Solis,
Sive salutiferis candidus Anxur aquis.

Et è lib. VI epigr. XLII:

Etrusci nisi thermulis lavêris,
Illotus morieris, Oppiane.
Nullæ sic tibi blandientur undæ:
Nec fontes Aponi, rudes puellis;
Non mollis Sinuessa, fervidique
Fluctus Passeris, aut superbus Anxur;
Non Phœbi vada, principesque Baiæ.

Omnibus istis locis, quorum nonnulla suprà in Venetiâ atque Etruriâ exposuimus, reliqua verò infrà in Campaniâ explicabimus, *calidæ* fuêre *aquæ*. Ergo TARRACINENSES istæ quoque AQVAE *salutiferæ* haud dubiè eiusdem fuêre naturæ. At hodiè circa Tarracinam nullæ reperiuntur aquæ calidæ; nisi quarum fontes apud ipsam urbem, quà Fundos itur, inter viam & contiguum montem, penè exstincti, odoratu tamen à transeuntibus percipiuntur. Vitruvius lib. VIII cap. III: *Etiamque inveniuntur aquæ genera mortifera, quæ, per maleficum succum terræ percurrentia, recipiunt in se vim venenatam: uti fuisse dicitur Tarracinæ fons, qui vocabatur Neptunius: ex quo qui biberant imprudentes, vitâ privabantur. quapropter antiqui eum obstruxisse dicuntur*. NEPTVNIVS hic fons mortiferus an idem fuerit cum Martialis salutiferis aquis apud Tarracinam, perquàm ambiguum est. quidque *mortiferus* poterant esse potentibus; balneantibus tantùm salutiferus. Livio certè eiusdem fontis NEPTVNIAE dicuntur AQVAE lib. XXXVIIII; ubi acta censuræ M. Porcii Catonis & L. Valerii Flacci recenset. *Opera deinde facienda ex pecuniâ in eam rem decretâ, lacum sternendos lapide detergendosque, quà opus esset, cloacas in Aventino & in aliis partibus, quà nondum erant, faciendas locaverunt. & separatim Flaccus molem ad Neptunias aquas, ut iter populo esset, & viam per Formianum montem*. Mons hic inter Fundos est & Formias, quod opidum nunc *Mola* dicitur: quà hodiè quoque via Romana silice nigro strata ad aliquot millia protenditur. Haud dubium igitur eodem regionis tractu & Neptunias istas fuisse aquas: nempe apud Tarracinam; ubi Neptunium fontem collocat Vitruvius. *Molam* autem isthanc jecit Flaccus inter mare & prædictum montem, ex cuius imis radicibus oriebantur calidarum aquarum fontes, protinus in mare effluentes. namque tam propè mons ad mare accedit, uti transversæ tantùm viæ spacium relinquatur.

LAVTVLAE, *locus.* Eædem angustiæ quum paullo longiùs secundùm viam in adscensum usque montis protendantur, quà Fundos versùs antiquæ viæ Appiæ ingens etiam nunc tractus est; saltus hic antiquitus vocabatur LAVTVLAE. Livius lib. VII; ubi de Romani præsidii, quod Capuæ in Campaniâ locatum erat, seditione agit: *Cohors una quum haud procul Anxure esset, ad Lautulas saltu angusto inter mare ac monteis consedit; ad excipiendos, quos consul aliis atque aliis causis mittebat*. Lib. VIIII: *Ad Lautulas ancipiti prælio dimicatum est. Ante eam pugnam ita dictator adfatur milites: Locis angustis deprehensi, nisi quam victoriâ patefecerimus, viam nullam habemus*. Apud Diodorum lib. XVIIII in eâdem historiâ corruptum fuerit vocabulum Λαυζόλας, pro Λαυτόλας, si potiorem habeamus fidem Livii, quàm Diodori exemplaribus: in quibus ut res Romanæ stri-

ctim ab-

ctim attinguntur, sic pleraque propria gentium urbiumque nomina vitiata esse deprehenduntur. Livius iterum lib. XXII: *Eo fortè die Minucius se conjunxerat Fabio, missus ad firmandum præsidio saltum, qui super Terracinam in arctas coactus fauceis, imminet mari: ne, immunito Appiæ limite, Pœnus pervenire in agrum Romanum posset.*

Sub ipso monte, quà è Lautulis Fundos versùs adscenditur, speluncæ hodiè visuntur, apud quas olim fuit VILLA GALBAE imperatoris. Svetonius in Vitâ eius, cap. IIII: *Ser. Galba imperator M. Valerio Messallâ, Cn. Lentulo, consulibus, natus est* VIIII *Kalend. Ianuarii, in villâ colli suppositâ, prope Tarracinam, sinistrorsum Fundos petentibus.* VILLA GALBAE *imperatoris*

Porrò apud Martialem suprà dicto lib. X epigram. LI. hæc leguntur verba:

Quos, Faustine, dies, qualem tibi Roma Ravennam
Abstulit! O soles! ô tunicata quies!
O nemus; ô fontes, solidumque madentis arenæ
Litus, & æquoreis splendidus Anxur aquis;
Et non unius spectator lectulus undæ:
Qui videt hinc puppeis fluminis, inde maris!
Sed nec Marcelli Pompeianumque, nec illic
Sunt triplices thermæ, nec fora juncta quater;
Nec Capitolini summum penetrale Tonantis;
Quæque nitent cælo proxima templa suo,
Dicere te lassum quoties ego credo Quirino,
Quæ tua sunt, tibi habe: quæ mea redde mihi.

Ergo *villam* heic habuit Faustinus in litore, inter Vfentis lævam ripam urbemque Tarracinam & mare. At nomen eius proprium fuisse idem, quod clarissimæ ad Padi ostia urbi *Ravennæ*, minimè credibile est: sed potiùs suspicandum, quum vocabulum eius apud Martialem obscuris literis esset perscriptum, aut temporis injuriâ ac longo situ exoletum; in proximam similitudinem restituisse imperitos omnis geographiæ exscriptores. Quin dubium etiamnum manet, an proprium heic loci perscripserit vocabulum; an verò rem aliquam vulgarem atque communem nominaverit: quomodò etiam *dies* & *soles* & *tunicatam quietem* & *nemus* ac *fonteis solidum*que *litus* adpellavit.

At apud tertium, ab Tarracinâ lapidem, quà Romam itur, apud ipsam viam Appiam fuit FERONIAE LVCVS cum FONTE ac TEMPLO. Virgilius Aeneid. lib. VII:

——— *Queis Iupiter Anxurus arvis*
Præsidet & viridi gaudens Feronia luco.

Horatius Satyrâ V libri primi; ubi navigationem describit, quæ juxta viam Appiam fossâ fiebat à Foro Appii ad Feroniæ usque fontem: ut suprà recitavimus:

Ora manusque tuâ lavimus, Feronia, lymphâ.
Millia tum pransi tria repimus; atque subimus
Impositum saxis latè candentibus Anxur.

Ad Virgilii verba sic commentatur Servius: *Circa hunc tractum Campaniæ colebatur puer Iupiter, qui Anxuris dicebatur; & Iuno virgo, quæ Feronia dicebatur. Est autem fons juxta Tarracinam.* Addit hinc fabulam, credo, magis, quàm rem gestam, his verbis: *Non vacat, quod addidit, Viridi. nam quùm aliquando huius fontis lucus fortuito arsisset incendio; & vellent incolæ exinde transferre simulacra; subitò reviruit.* Vetera ad Horatium scholia sic habent: *Fanum Feroniæ in tertio erat milliario à Tarracinâ.* Imò verò Feronia, Iovis Anxuris uxor, ibi colebatur: quemadmodùm Iupiter Anxur Tarracinæ. Milliaria quidem hæc perexigua sunt: ut ferè omnia olim Romani habuêre circa celebriores urbeis. *Fons* ipse Vibio inter *lacus* connumeratur. nimirum, quia copiosis aquis veluti in parvi stagni modum erumpit. tum aquæ etiam sunt salsulæ & corrupti seu medicati saporis. De origine cultus huius divæ Feroniæ, ita scribit Dionysius Halicarnassensis lib. II: Ἔστι δέ τις ἕτερος ἄλλος ὑπὲρ τὴν Σαβίνων ἐν ἱστορίαις ὀπτιχωρίοις λεγόμενος λόγος· ὡς Λακεδαιμονίων ἐποικησάντων αὐτοῖς, καθ' ὃν χρόνον Ὀπιτροπόων Εὔνομον, τὸν ἀδελφιδῆν, Λυκοῦργος· ἔθετο τῇ Σπάρτῃ τοὺς νόμους. ἀχθομένους γὰρ ἅπασι τῇ σκληρότητι τῆς νομοθεσίας, καὶ μεταστάσεις ἀπὸ τῶν ἑτέρων, οἴκοθεν τὸ πρόφασιν ἐκ τῆς πόλεως. ἔπεσε μὲν πολλοὶ φερόμενοι, ὕστατοι τοῖς θεοῖς, (πολὺ γὰρ ἦσαν ἐπελθεῖν αὐτοὺς

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

αὐτὰς ἐπίας δήπολε γῆς·) εἰς λῶ αὖ ἔλθωζι πεώτλω, ἐν αὐτῇ καλοικῆσαι. καλεχθέντας δ' ἐκ Γαλλίας φασὶ τὰ καλέμενα Παμφυτίνα πεδία, τό τε χωρίον, ἐν ᾧ πεῶτον ὥρμισανλο, Φερωνίαν ἀπὸ τᾶ Πελασγίδ Φωρήσεως ὀνομάσαι, καὶ θεᾶς ἱερὸν ἱδρύσασθαι Φερωνίας, ἢ πὰς δύχας ἔθεντο λῶ νυῶ, ἐνὸς ἀλλαγῆ γεάμματος, Φαρωνίαν καλέζιν. ἐκεῖθεν δ' ὁρμηθέντας αὐτῶν ἵνας, συνοίκους τοῖς Σαβίνοις γενέσθαι. Hoc est: *Sed & alia in domesticis Sabinorum historiis exstat narratio. Lacedæmoniorum scilicet eò veniſſe coloniam, quo tempore Lycurgus, tutor nepotis ſui ex fratre Eunomi, Spartanis leges condidit: quarum ſeveritatem pertæſos quosdam, ſeceſſione à cæteris factâ, urbem prorſus deſeruiſſe. deinde, enavigato longo maris tractu, qualiscumque terræ deſiderio, votum diis feciſſe; quocumque terrarum primùm adpellerent, id ſibi fore domicilium. quumque delati eſſent ad Pometinos Italiæ campos; locum, quò primùm adpulerant, vocaviſſe Feroniam; quod huc illuc per mare eos ferri contigerat. ædem quoque exſtruxiſſe divæ Feroniæ, cui vota fecerant: quam nunc, unicâ literâ immutatâ, Faroniam adpellant. Horum quosdam ex eo loco profectos, ſedeis cum Sabinis conjunxiſſe.* Quum nusquàm apud Latinos auctores nomen id per *a* ſcriptum reperiatur *Faronia*; ſed ubique pe *e* longum; ut ſuprà vidimus in Virgilii Horatiique verſibus: omnino ego mihi perſvadeo, Dionyſium ſcripſiſſe Φηρωνίαν. Quod autem ait, ἀπὸ τᾶ φέρειν ἀεὶ τᾶ πλάγας, id eſt, *à ferendo per mare*, dictam fuiſſe Græcis Φερωνίαν, id neſcio quàm probâ fide compertum habuerit; quando in Etruriâ quoque, non modò proximâ apud Tiberis ripam, ſed & ultimâ inter Liſas & Macram, Feronia dea culta fuerit; ut in eius regionis deſcriptione adnotavimus. Ipſe Dionyſius lib. III, de illo loquens templo Feroniæ, quod haud ita procul Româ in Tiberis ripâ erat ſitum: Ἱερὸν ἐστι κοινῇ πεμώμενον ὑπο Σαβίνων τε καὶ Λατίνων, ἄγιον ἐν τοῖς πάνυ θεαῖς Φερωνίας ὀνομαζομένης· λῶ οἱ μεταφράζοντες εἰς τλῶ Ἑλλάδα γλῶσσαν, οἱ μὲν Ἀνθηφόρον, οἱ δὲ Φιλοστέφανον οἱ δὲ Φερσεφόνλω καλέζιν. Hoc eſt: *Fanum eſt, quod Sabinis æquè ac Latinis ſummâ religione colitur, ſacrum deæ Feroniæ: quam Græci in ſuam linguam vertentes, alii* Ἀνθηφόρον, *alii* Φιλοστέφανον, *quidam* Φερσεφόνλω *dicunt*. Id eſt: *Florigeram, Sartis gaudentem, & Proſerpinam.* Longè aliam numinis pariter ac nominis originem prodidit M. Varro. Apud Virgilium Aeneid lib. VIII ſic ait Euander:

Qualis eram, quum primam aciem Præneſte ſub ipsâ
Stravi; ſcutorumque incendi victor acervos:
Et regem hac Herilum dextrâ ſub Tartara miſi;
Naſcenti cui treis animas Feronia mater,
(Horrendum dictu) dederat.

Ad hæc ita Servius: *Feronia mater. Nympha Campaniæ: quam etiam ſuprà diximus. Hæc etiam libertorum dea eſt: in cuius templo raſo capite pileum accipiebant. In huius templo Tarracinæ ſedile lapideum fuit, in quo hic verſus inciſus erat: Benemeriti ſervi ſedeant; ſurgant liberi. Quam* [malim, *Marcus*] *Varro libertatis deam dicit Feroniam; quaſi Fidoniam.* Meminêre præterea huius loci Plinius atque Tacitus, quorum hic ſuprà dicto Hiſtoriar. lib III, *Iisdem*, inquit, *diebus L. Vitellius, poſitis ad Feroniam caſtris, excidio Tarracinæ imminebat.* Plinius lib. II. cap. LV: *In Italiâ inter Tarracinam & ædem Feroniæ turres belli temporibus deſiêre fieri; nullâ earum non fulmine dirutâ.* Interiit haud dubiè cognomentum *belli*, cuius temporibus deſierint fieri: vel Hannibalici, vel Marſici: vel alius cuiuspiam.

Atque hactenus omne Volſcum litus ab Antio ad Tarracinam usque expoſitum eſt. Mediterranea eiusdem gentis antequàm dicantur, inſulæ litori objacentes indicandæ erunt. De his ita Mela lib. II cap. VII: *At Pithecuſa, Leucothea, Aenaria, Sinonia, Capreæ, Prochyta, Pontiæ, Pandataria, Phytonia, Palmaria, Italico lateri* [malim, *litori*] *citra Tiberina oſtia objacent.* Et adverſo litore incedens Plinius, lib. III cap. V: *Vltra Tiberina oſtia in Antiano Aſtura: mox Palmaria, Sinonia, & adversùm Formias Pontiæ. in Puteolano autem ſinu Pandataria.* Plinii epitomator Martianus Capella lib. VI: *Vltra Tiberina oſtia, in Antiano Palmaria, Sinonia; & in Firmiano Pontiæ, Pandataria, Prochyta, Aenaria:* Has equidem inſulas auctores iſti pariter omnes parum curatè collegerunt, minusque rectè ſuis quamque adſcripſerunt litoribus; ut in reliquo huius operis contextu videbimus. Ex univerſis tres Volſco objacent litori; ac maximè Circeio promontorio urbique Tarracinæ: Palmaria ſcilicet, Pontia, & Sinonia. PALMARIA vulgò hodiè vocatur *Palmaruola*; omnium maximè verſùs occidentem poſita. SINONIA eſt vulgò *Sanone*; in orientem verſùs Caietam ſita.

sita. In medio harum est PONTIA, omnium maxima, & antiquis auctorum monumentis celebratissima. Memoratur præterea Livio, Diodoro, Straboni, Svetonio, Ptolemæo, Eusebio, Paullo Diacono, Martyrologiis Romanis, & aliis. Sed Livio plurali numero dicitur PONTIAE *insula*, & Plinio plures sunt numero PONTIAE *insulæ*. scilicet, quia complures sunt; quarum maxima κατ' ἐξοχὴν sæpe adpellatur simpliciter Pontia. Plinius lib. XXXII cap. XI: *Adpellantur & pernæ concharum generis circa Pontias insulas frequentissimæ.* M. Varro Rusticar. rer. lib. III cap. V: *In insulis propinquis, Pontiis, Palmariâ, Pandatariâ.* Itinerarium insulare: *Insulæ numero tres Pontiæ, à Tarracinâ stadia* CCC. Livius lib. VIII sub L. Papirio Cursore quintùm & C. Iunio Bubulco iterum consulibus, anno urbis Romæ CCCCXLI, ante natum Iesum CCCXII: *Suessa & Pontia eodem anno coloniæ deductæ sunt. Volsci Pontias insulam, sitam in conspectu litoris sui incoluerant. Millia passuum fermè* XXX *ab litore abest.* Diodorus lib. XVIIII: Κατὰ τὴν Ἰταλίαν ὁ Ῥωμαίων δῆμος, κατὰ νοῦν τῶν πραγμάτων αὐτῷ προχωρούντων, ἀποικίαν ἀπέστειλεν εἰς τὴν νῆσον τὴν Ποντίαν καλουμένην. Id est: *In Italiâ populus Romanus, quum successus votis responderet, coloniam in insulam Pontiam misit.* Svetonius in Tiberio, cap. LIIII: *Indicatos hosteis fame necavit, Neronem in insulâ Pontiâ, Drusum in imâ parte Palatii.* In C. Caligulâ, cap. XV: *Tiberio cum plurimis lacrymis pro concione laudato funeratoque amplissimè, confestim Pandateriam & Pontias, ad transferendos matris fratrisque cineres, festinavit.* Olympiadum auctor αἰώνυμος· Ὀλυμπ. σ δ' ἔτει γ' Γαΐος τὰς ἰδίας ἀδελφὰς μοιχεύσας εἰς τὰς Ποντίας νήσους κατέπεμψε. Id est: *Olympiadis* CCIIII *anno* III *Caius sorores suas ab se constupratas in Pontias insulas amovit.* Strabo lib. II: Νῆσοι δ' εἰσὶν ἐν τῇ Τυρρηνίᾳ τῇ κατὰ τὸ Τυρρηνικὸν πέλαγος μέχρι τῆς Λιγυστικῆς συχναὶ μέγιστον ἡ Σαρδὼ καὶ Κύρνος μετὰ γε τὴν Σικελίαν· πολὺ δὲ τούτων ἐλάττους, πελάγιαι μὲν, Πανδαταρία καὶ Ποντία, πρόσχοροι δὲ, Αἰθαλία καὶ Πλανασία. Id est: *Insulæ verò sunt in orâ Etrusci maris ad Ligusticum usque crebræ: in quibus Sardinia & Corsicâ maximæ sunt secundùm Siciliam. his multo minores sunt; in alto mari Pandataria & Pontia; propiùs continentem Aethalia & Planasia.* Et lib. V: Τῶν δὲ Σπηλαίων ἐν ὄψει μάλιστα πεφύκασι δύο νῆσοι πελάγιαι, Πανδαταρία τε καὶ Ποντία, μικραὶ μέν, οἰκήσεως δὲ καλῶς, ἀπὸ πολὺ ἀπ' ἀλλήλων διέχουσαι, τῆς ἠπείρου δὲ ὀλίγον ἀπέσ. Hoc est: *In conspectu Speluncarum maximè sunt in alto pelago duæ insulæ, Pandataria & Pontia; parvæ quidem, sed benè cultæ, haud procul sibi invicem disjunctæ; à continente verò stadia* CCL. Id est: *Millia passuum* XXXI *cum stadiis* II. Eusebius Chronicor. lib. II: Πολλοὶ Χριστιανῶν ἐμαρτύρησαν κατὰ Δομετιανὸν, ὡς ὁ Βρέττιος ἱστορεῖ· ἐν οἷς καὶ Φλαβία Δομιτίλλα, ἐξαδελφὴ Κλήμεντος Φλαβίου ὑπάτου, ὡς Χριστιανὴ εἰς νῆσον Ποντίαν φυγαδεύεται. Hæc ita vertit divus Hieronymus: *Scribit Brutius, plurimos Christianorum sub Domitiano feciisse martyrium: inter quos & Flaviam Domitillam, Flavii Clementis consulis ex sorore neptem, in insulam Pontiam relegatam, quia se Christianam testata sit.* Idem attestantur omnia Martyrologia antiqua; & item Monachus Altissiodorensis in Chronico. apud quem tamen vulgata exemplaria corrupto vocabulo habent *Pontianam insulam.* At Dio lib. LXVII, ut habent Ioan. Xiphilini excerptæ historiæ, & item prædictus Olympiadum auctor, in *Pandatariam* relegatam Domitillam adfirmant; ut infrà suo loco videbimus.

CAP. VIII.

De VOLSCORVM *opidis, aliisque locis mediterraneis.*

Litore VOLSCORVM insulisque ei objacentibus hactenus explicatis, interiora nunc quoque obeamus; facto eorum initio ab Latinorum finibus.

Proximum igitur trans Albanum montem, in huius radicibus, erat *opidum* VELITRAE; quod nobile hodiè quoque, vulgò Velitri, Belitri, & Belletri dicitur. Memoratur Livio, Dionysio, Silio, Svetonio, Dioni, ac Zonaræ. Opidani inde

sunt Plutarcho in Marcio Coriolano Οὐελίτρανοὶ *Velitrani*. at Diodoro lib. XIIII Οὐελιτρῖνοι· atque ita Svetonio in Augusto VELITRINI. cap. I: *Gentem Octaviam Velitris præcipuam olim fuisse, multa declarant*. Et cap. XCIIII: *Velitris antiquitus tacta de cœlo parte muri, responsum est; Eius opidi civem quandoque rerum potiturum. qua fiduciâ Velitrini & tunc statim & posteà sæpiùs penè ad exitium sui cum populo Romano belligeraverunt. serò tandem documentis adparuit, ostentum illud Augusti potentiam portendisse*. Sed sicuti in numero collectivo trini promiscuè etiam dicuntur terni; ita Velitrini quoque plerisque auctoribus Latinis adpellati sunt VELITERNI. Plinius lib. III cap. V: *Tusculani, Verulani, Veliterni, Vlubrenses*. Valer. Maximus lib. VIIII cap. X: *M. Flavius, tribunus plebis, ad populum de Tusculanis retulit; quòd eorum consilio Veliternos Privernatesque rebellaturos diceret*. Plinius lib. XIIII cap. VI: *Veliternina Privernatiaque vina*. Atque ita Livio lib. VI sunt *Veliterni coloni*: & lib. II *Veliternus ager*; lib. XXXII *Veliterni legati*. At Stephani epitomatori nescio qua analogiâ sint Βελιτρανοὶ, *Velitriani*. Βέλιτρα, inquit, πόλις Ἰταλίας, ἀ Ῥώμης ἀπωτέρω, ὡς φησι Φλέγων, ὀλυμπιάσιν ἑκατὸν ἑβδομήκοντα πέντε. τὸ ἐθνικὸν Βελιτρανοὺς, τῷ εἴδει τῆς χώρας. Id est: *Velitra, opidum Italiæ, haud procul Româ, ut ait Phlegon, Olympiadibus* CLXXIIII. *Gentilitium inde Velitrianus more eius regionis*. Inepta sanè oratio; atque haud dubiè ab exscriptoribus depravata; quum esset scriptum ab Stephano: Βελίτρα, πόλις Ἰταλίας, Ῥώμης ἀπωτέρω, ὡς φησι Φλέγων ἐν Ὀλυμπιάσιν, ἢ ἑκατὸν ἑβδομήκοντα πέντε σταδίοις. Id est: *Velitra, opidum Italiæ, à Româ haud ampliùs, ut ait Phlegon in Olympiadibus, stadiis* CLXXIIII *distans*. Id est, computatione eius ævi, *millibus passuum* XXIII *cum sesqui stadio*. Millia ipse ego deprehendi hoc intervallo XXIIII. Tam fœdè igitur quam oratio isthæc corrupta sit; nihil causæ esse puto, cur credam, satis sana esse reliqua ista duo vocabula Βελίτρα & Βελιτρανός. pro quibus scripsisse potuerit Stephanus, Βελίτραι & Βελιτρῖνοι, *Velitræ*, ac *Velitrinus*. Certè omnibus aliis auctoribus plurali dicitur opidum numero. Livius lib. VI: *Circeiensium quidam & coloni etiam à Velitris*. Idque mox posteà repetitur. Item: *Colonis Circeiensibus & à Velitris*. Et posteà: *Præter Circeios & Velitras*. Iterum: *Velitras legiones duxêre*. Et: *Ad Velitras pugnatum est*. Et deinde: *Velitras exercitus ductus. eaque quoque expugnatæ*. Posteà: *Obsidebantur Velitræ*. Et mox: *Velitris in exercitu plebis magnam partem abesse*. Atque iterum: *Velitras obsidebat*. Et fine libri: *Velitrarum obsidio*. Lib. VIII: *Speciem antiquæ frequentiæ Velitræ receperunt*. Dionysium mox videbimus. Dio lib. XLV, & ex eo Zonara Annal. lib. II, in Octavio Augusto: ὁ δὲ Γάιος ὁ Ὀκτάβιος ἐκ Οὐελιτρῶν τῶν Οὐολσκίδων. id est: *C. Octavius Velitris, Volscorum opido, oriundus erat*. Volscorum fuisse opidum, locupletissimus præterea testis est Livius lib. II. *Volscis*, inquit, *devictis Veliternus ager ademptus est*. Et item Dionysius lib. III, his verbis: Ἐγένετο δὲ καὶ πρὸς τὸ τῶν Οὐολσκῶν ἔθνος τῷ Μαρκίῳ πόλεμος. καὶ στρατοῦ ἐπ' αὐτὸς μεγάλη δρμῇ, πολλὰ προσεβάλετο λείας. πολλὰ τε αὐτῶν Οὐελίτρας προσκαθεζόμενος, ἀπεβράξατο καὶ προσχαράκια, καὶ τειχομαχίαν συνίστατο τῶν καταίθρα λαβών. Hoc est: *Nec à Volscis pacata fuerunt omnia Marcio. quos cum exercitu alacriter adortus, magnam reportavit prædam: & urbe illorum Velitris obsessâ, fossisque ac valle cinctâ, occupatis sub dio campis, ad murorum oppugnationem se adcinxit*. Atque hæc vetustissima est Velitrarum mentio, sub Anco Marcio rege: id est, ante natum Iesum anno circiter IↃCXX. Coloniam fuisse eò deductam, auctor est Livius dicto lib. II: *Volscis*, inquit, *devictis Veliternus ager ademptus est: Velitras coloni ab Vrbe missi; & colonia deducta*. Nempe, *A. Virginio & T. Vetustio consulibus*: anno ab urbe Româ CCLX; ante natum Christum CCCCXCIII. Idem testatur & Dionysius lib. VI: ὁ μὲν ὑπὲρ Οὐολούσκων, inquit, πόλεμος ἔσχεν τέλος κρίσιν ἔλαβε. καὶ ὅτε χάραξ αὐτῶν ἑάλω, καὶ πόλις ἁπάντων ἐκ πολιορκίας παρέσχη. Οὐελίτραι ἦ ὄνομα αὐτῇ. * · * · Οὐαλέριος ὁ διπλασιαστὴς εἰς τὸ δορίκτητον, ὡς Οὐολούσκους ἀφείλοντο, κληρούχους ἀπέστειλεν, ἁπαλέξας αὐθημὶς ἐκ τῶν ἀστῶν, οἱ τὸ πολεμίαν φρουρήσειν ἔμελλον. Id est: *Cum Volscis citò debellatum est. simul castra vi capta, Velitræque obsidione domitæ, nobile gentis opidum*. Paullo pòst: *Valerius autem dictator in agrum de Volscis captum colonos misit, delectos ex egenâ multitudine; præsidium contra hostem*. Eam coloniam, biennio pòst pestilentiâ exinanitam, auxêre Romani. Livius eodem libro posteà: *Incommodo bello in tam arctis commeatibus vexati forent, ni Volscos, jam moventeis arma, pestilentia ingens invasisset. Eâ clade conterritis hostium animis, ut etiam, ubi ea remisisset, terrore aliquo tenerentur, Velitros auxêre numerum colonorum*

norum Romani. Eamdem pestilentiam coloniæque auctionem memorat Dionysius lib. VII: ubi etiam magnitudinem urbis & incolarum frequentiam adnotavit. Τὸ σῶτ⊙ γάρ ἰις, inquit, ἄφνω εἰς τὰς πόλεις τ̃ Οὐολούσκων φθορ⊙ ἐνέσκηψεν, ὅσ⊙ ἐν ὀδενὶ ἄλλῳ τόπῳ μνημονεύεται γεγονὼς, ἔτε βαρβάρε γῆς, ἐθ' Ἑλλάδ⊙, πῶσιν ἡλικίαις καὶ τύχαις καὶ φύσεσιν ἐρρωμένων τε καὶ ἀσθενῶν σωμάτων ὁμοίως διεργαζόμεν⊙. ἐδήλωζε δὲ τὴν ὑπερβολὴν τ̃ συμφορᾶς ἡ πόλις ἐπιφανὴς τ̃ Οὐολούσκων (Οὐελίτραι ὄνομα αὐτῇ) μεγάλη τε καὶ πολυανθρωπ⊙ ἐσα τότε· ἧς ὁ λοιμὸς μίαν ὑπελείπετο μοῖραν ἐκ τ̃ δέκα, τὰς δὲ ἄλλας ὑπολαβὼν ἀπώλεγκε. καὶ τελευτῶσιν οὖν, ὅσοι περῆζαν ἐκ τῆς συμφορᾶς, πρεσβεύσαμένοι, Ῥωμαίοις ἔφασαν τὴν ἐρημίαν καὶ παρέδοσαν τὴν πόλιν. ἔτυχον δὲ καὶ πρότερον ἐπικρεῖς ἐκ τῆς Ῥώμης ἐληλύθότες· ἀφ' ἧς αἰτίας καὶ τὸ δεύτερον οὗτ̃ κληρέχες παρ' αὐτῶν ἦτεν. Hoc est: *Tanta namque repentè Volscos invasit pestilentia, quanta nullibi nec apud Græcos nec apud Barbaros fuisse memoratur; nulli parcens ætati, nulli condicioni, nulli sexui; sive in debileis incideret, seu in validos. cuius cladis magnitudo satis liquere potest ex nobili eius gentis urbe Velitris: quæ magna priùs ac populosa, sic tum exhausta est; ut decima tantùm pars incolarum reliqua manserit; cæteris omnibus exstinctis. quare tandem, qui huic calamitati superfuêre, legatis missis, desolationem patriæ conquesti, se & sua dederunt in potestatem populi Romani. nam & antè colonos acceperant à Româ. ideóque tunc iterum novos submitti in vacantes agros postulabant.* Livius lib. VIII, in consulatu L. Furii Camilli iterum & C. Mænii Nepotis, anno urbis Romæ CCCCXVI, ita scribit: *In Veliternos, veteres civeis Romanos, quòd toties rebellassent, graviter sævitum. & muri dejecti & senatus inde abductus. jussique trans Tiberim habitare: ut eius, qui eis Tiberim deprehensus esset, usque ad mille pondo clarigatio esset. nec priùs, quàm ære persoluto, is, qui cepisset, extra vincula captum haberet. In agrum senatorum coloni missi. quibus adscriptis, speciem antiquæ frequentiæ Velitræ receperunt.*

Proxima hinc versùs ortum Solis æstivi est CORA *opidum*; hodiéque idem nomen servans: sed castellum haud perinde magnum. Memoratur Virgilio, Propertio, Livio, Dionysio, Straboni, Silio, Lucano, Solino, Martiano. Strabo lib. V: Ἐν δεξιᾷ δὲ τ̃ Λατίνης ὁδὸς πόλεις εἰσὶν, αἱ μεταξὺ ταύτης καὶ τ̃ Ἀππίας, Σητία τε καὶ Σιγνία· πρὸ δὲ ταύτης ἐστὶ Πρίβερνον καὶ Κόρα. Id est: *Ad dextrum via Latinæ latus, inter hanc & Appiam urbes sunt, Setia & Signia: ante hanc autem Privernum, & Cora.* De *Priverno* id longè falsissimum: de *Corâ* verum. Soram, Volscorum itidem opidum, quibusdam adpellatum fuisse per diphthongum *Sauram*, ut Claudius ac Plautius dicebantur etiam Clodius & Plotius; ad finem huius capitis videbimus. Ad eumdem igitur modum Coram quoque nonnullis dictum fuisse *Cauram*, Iul. Obsequens testis est in libro de Prodigiis. *Ap. Claudio*, inquit, *P. Metello consulibus Cauræ sanguinis rivi è terrâ fluxerunt.* Opidani inde sunt Plinio lib. III cap. V CORANI. *Corani*, inquit, *à Dardano Troiano orti.* Hunc opidi conditorem epitomatores quoque Plinii citarant, Solinus atque Martianus. quorum hic lib. VI, *Coram*, inquit, *condidit Dardanus.* Solinus cap. VIII: *Quis ignorat, conditam Coram à Dardanis.* Omnino hoc mendosum, à vero Dardano. nam non à Dardanorum gente, quæ incoluit suprà Macedoniam, sed à *Dardano*, viro *Troiano*, conditam *Coram* voluit Plinius. Virgilii versùs Aeneid. lib. VII sunt isti:

Tum gemini fratres Tiburtia mœnia linquunt,
Fratris Tiburti dictam cognomine gentem,
Catillusque acerque Coras, Argiva juventus.

Ad hæc ita Servius: *De Græciâ tres fratres venerunt ad Italiam, Catillus, Coras, Tiburtus vel Tiburnus. hi simul omnes unam fecêre civitatem; & eam de fratris maioris nomine Tibur adpellaverunt: licèt & alias fecerint singuli. Coras, à cuius nomine civitas in Italiâ.* Ergo non à Troiano Dardano, sed ab Græco Corâ conditum fuit hoc opidum. Longè tamen aliter ipse sensit poëta Virgilius; dum Aeneid. lib. VI Anchisen fingit, apud inferos filium Aeneam de posteris eius, Latinorum sive Albanorum regibus, edocentem, his verbis:

Hi tibi Nomentum & Gabios urbemque Fidenam,
Hi Collatinas imponent montibusque arceis;
Pometios Castrumque Inui Bolamque Coramque.
Hæc tum nomina erunt; nunc sunt sine nomine terræ.

Tibur equidem à Græcis erat conditum; scilicet Pelasgis; duce Catillo, præfecto classis Euandri, Pelasgorum simul & Aboriginum, postquàm in novum Latinorum nomen coivêre, regis; ut suprà cap. IIII demonstratum. qua ratione *Cora* etiam ab iisdem Pelasgis & Aboriginibus condita videri possit: utique, quia Dionysius quoque disertis verbis Latinorum nomini eam adscribit lib. III, res Talli regis exsequens. Αἱ δὲ τῶν Λατίνων, inquit, πόλεις Ῥωμαίοις ἐχθροντο τότε πρῶτον διάφοροι, οὐκ ἀξιοῦσαι καθεσταμμένης τῆς Ἀλβανῶν πόλεως τοῖς ἀνηρηκόσιν αὐτὴν Ῥωμαίοις τὴν ἡγεμονίαν παραδίδοναι. * — *. Καὶ αὐθὶς ἀπέστειλαν δύο στρατηγοὺς, αὐτοκράτορας αἱρεῖσθαι τὸν πόλεμον, Ἄγκον Πομπλίκιον ἐκ πόλεως Κόρας, καὶ Σπόσιον Οὐεκίλιον ἐκ Λαουινίου. Id est: *Latinæ urbes tum primùm à Romanis dissidere cœperunt: quòd, Albâ dirutâ, eversoribus eius Romanis imperium tradere recusarent*. Paullo pòst: *Moxque duos imperatores eligunt; penes quos sit pacis bellique arbitrium; Ancum Publicium Coranum, & Spusium Vecilium Lavinienſem*. At gravissimus Romanarum rerum auctor, T. Livius, disertis itidem verbis, contra Virgilii Dionysiique sententiam, extra Latinorum fineis *Coram* Volscis adscribit, lib. II. *Hac*, inquit, *irâ consules in Volscum agrum legiones duxêre. Volscos, consilii pœnam non metuenteis, nec opinata res perculit. Armorum immemores, obsides dant* CCC; *principum à Corâ atque Pometiâ liberos*. Ac sanè, situm Coræ quod attinet, magis is Volscorum, quàm Latinorum, finibus convenit; ut qui etiam Velitris interior est, remotiorque ab Româ, & aliis Latii opidis. Verum Virgilius *Pometiam* quoque eidem *Latio antiquo* adsignat; quam Volscorum fuisse, antequàm *Latii* nomen finesque ad Circæum usque promontorium prolati fuerint, satis gravibus firmisque ostendi potest documentis; ut mox infrà videbimus. Nihil igitur sit mirum, *Coram* eum etiam Latio tribuisse, quæ fuit Volscorum. Coloniam huc fuisse deductam Romanorum, tradit eodem lib. II Livius anteà. *Eodem*, inquit, *anno duæ coloniæ Latinæ, Pometia & Cora, ad Auruncos deficiunt*. Quando colonia deducta fuerit, nusquàm reperio. credibile tamen est, deductam fuisse circa idem tempus, quo Pometia; quam Tarquinius Superbus de Volscis primus cepit. Livius lib. I: *Is primus Volscis bellum in ducentos ampliùs post suam ætatem annos movit; Suessamque Pometiam ex his vi cepit*. Inter municipia posteà numeratur *Cora* eidem Livio lib. XXVI; ubi mendosus locus ita legitur: *Q. Fulvius, quum Hannibalem Latinâ viâ iturum satis comperisset; ipse per Appiæ municipia, quæque propter eam viam sunt, Setiam, Soram, Lavinium, præmisit, ut commeatus paratos & in urbibus haberent, & ex agris deviis in viam proferrent*. Quum Sora, ad Lirim amnem posita, longiùs non tantùm ab Appiâ, sed & ultra Latinam in septemtriones versùs sita sit; Lavinium verò fuerit prope mare; legendum esse, *Setiam, Coram, Lanuvium*, suprà cap. IIII in descriptione Lanuvii docui. De cætero, jam inde sub primis Romanorum imperatoribus desolatum fuisse opidum, testis est Propertius lib. IIII eleg. XI his versibus:

Cossus at insequitur Veientis cæde Tolumni;
Vincere quum Veios posse laboris erat.
Necdum ultra Tiberim belli sonus: ultima præda
Nomentum & captæ jugera terna Coræ.
Et Veii veteres & Volscûm regna fuistis:
Et vestro posita est aurea sella foro.
Nunc intra muros pastoris buccina lenti
Cantat; & in vestris ossibus arva metunt.

Hinc etiam Lucanus lib. VII: ——

Fabula nomen erit. Gabios Veiosque Coramque
Pulvere vix tectæ poterunt monstrare ruinæ.

Commemorat eam & Silius lib. VIII inter alias Volscorum urbeis:

At quos ipsius mensis sepostа Lyæi
Setia, & incelebri miserunt valle Velitræ;
Quos Cora, quos spumans inimico Signia musto.

Porrò ultra Coram, versùs Signiam euntibus, erat NORBA *opidum*; quod vulgò nunc incolis dicitur *Norma* & *Norme*; Memoratur Livio, Dionysio, & Appiano. Sed & hoc Dionysius Latino nomini adscribit lib. VII. Οὗτός τε δὴ ὁ φύλαξ ἀπεστάλη ἀνάγκη εἰς Οὐέλιτρας καταληφθεὶς ἀπιστάλη· καὶ ἕτερος αὖθις, ἐ πολλαῖς ἡμέραις ὕστερον, εἰς

Νώρβαν

Νώρβαν πόλιν, ἣ ἐσί Λατίνων ἔθνος οὐκ ἄφωνος. Id est: *Hæc itaque satis magna manus necessum habuit Velitras migrare. nec multis diebus post alia Norbam: quæ Latini nominis est urbs haud ignobilis.* Verùm de suo sæculo, quo *Latii* finis ad Lirim usque jam dudum prolatus esset, videtur loqui Dionysius. utitur quidpe instantis temporis verbo ἐσί· tum addit, πόλις οὐκ ἄφωνος· quum è diverso Livius lib. I, in eâdem historiâ, *arcem*, fuisse testetur *Volscorum, in Pomptino agro*. Verba eius hæc sunt: *Incommodo bello in tam arctis commeatibus vexati forent, ni Volscos, jam moventeis arma, pestilentia ingens invasisset. eâ clade conterritis hostium animis, ut etiam, ubi ea remisisset, terrore aliquo tenerentur; & Velitris auxêre numerum colonorum Romanorum, & Norbæ in monteis novam coloniam* (quæ arx in Pomptino est) *miserunt*. Factum hoc T. Geganio & P. Minucio consulibus; anno urbis Romæ CCLXIII; ante natum Iesum CCCCXCI. Hinc idem Livius posteà, fine libri VII: *Præter Latinorum infidum jam diu fœdus, Privernates etiam Norbam atque Setiam, finitimas colonias Romanas, incursione subitâ depopulati sunt*. Item lib. VIII: *Eodem anno Privernas bellum initum: cuius socii Fundani, dux etiam Fundanus fuit, Vitruvius Vaccus. adversùs hunc, vastantem effusè Setinum Norbanumque & Coranum agrum, L. Papirius profectus*. Meminit eius posteà Livius lib. XXXII, his verbis: *Petentibus Carthaginiensibus, qui non reddebantur obsides, ut ab Norbâ, ubi parum commodè essent, alò traducerentur concessum, ut Signiam & Ferentinum transirent*. Cætetùm opidani inde dicuntur Livio lib. VIII & XXVII, item Plinio lib. III cap. V, NORBANI. Apud Dionysium lib. V, inter alios Latini nominis populos, etiam Μωρσαίων fit mentio. verùm id vocabulum corrigendum esse Νωρβαίων, jam ante me docuêre alii. Plinio dicto cap. V posteà, præter jam dictos *Norbanos*, etiam *Norbe* narratur opidum inter eos populos, quos tum jam interiisse ait sine vestigiis. Equidem haud dubitaverim, quin eadem fuerit *Norba*, seu, Græcâ formatione, Norbe, cuius opidanos ibidem recenset Norbanos. id quidpe aliàs quoque Plinio usurpatum esse, uti bis unum eumdemque populum seu locum commemoraverit, infrà in Apuliâ maximè atque Calabriâ videbimus. In ruinis autem Plinii ætate jacuisse *Norbam*, fidem facit Appianus Civil. bellor. lib. I, his verbis: Νώρβα ἡ πόλις ἀντέσχεν ἐπ' ἐγκρατῶς, ἕς τε Αἰμιλίου Λεπίδου νυκτὸς ἐς αὐτὴν ὀκ προδοσίας ἐσελθόντος, ἀλαλαξάντες οἱ ἔνδον ὅτι τῇ προδοσίᾳ οἱ μὲν ἑαυτὺς ἀνῆρκον, οἱ δ' ἀλλήλοις ἐκόντες, οἱ δ' ὑπὸ βρόχοις συνεπλέκοντο, καὶ ταῖς θύραις ἐνιφλεγέσι ἔπειρον, καὶ ἐνεπίμπρασαν· αὔρημός τε πολὺς ἐμπεσὼν, ἐς πᾶσαν αὐτὴν ἐδαπάνησεν, ὡς μηδὲν ὀκ τῆ πόλεως λαφυρον γενέσθαι. τὰ οἴδε μὲν ἄτως ἐγκρατῶς ἀπέθανον. Hoc est: *Norba nihilo minùs resistebat totis viribus: donec Æmilio Lepido noctu per proditionem intromisso, indignabundi opidani, pars suâmet manu, pars mutuis vulneribus ceciderunt; alii præfocarunt se laqueis; aut, obturatis foribus, ignem tectis subdiderunt. quorum conatum fortuitus ventus adjuvit in tantum, ut præda omnis absumpta sit incendio*. Factum hoc refert Appianus in consulatu C. Marii Iunioris & Cn. Papirii Carbonis tertiùm; qui fuit annus post Romam conditam IↃCLXXXI; ante natum Iesum LXXXII.

Vltra Normam ergo versùs orientem est SIGNIA, vulgò nunc *Segni* dicta. Memoratur Plauto, Livio, Dionysio, Columellæ, Straboni, Plinio, Silio, Martiali, Plutarcho, Frontino, Stephani epitomatori. Plautus in Captivis:

HEG. *Iam diu?* ERG. Νὴ τὰν Πραινεστῖν. HEG. *Venit?* ERG. Νὴ τὰν Σιγνίαν.
HEG. *Certon?* ERG. Νὴ τὴ Φρασινῶνα. HEG. *Videsis.* ERG. Νὴ τὰ Λάτιον.
HEG. *Quid tu per barbaricas urbeis juras?*

Columella lib. X:

Prædia pariunt veteres cespeso litore Cumæ:
Quæ Marrucini, quæ Signia monte Lepino.

Silius lib. VIII:

Et quos ipsius mensis sepostia Lyæi
Setia, & incelebri miserunt valle Velitræ;
Quos Cora, quos spumans inimico Signia musto.

Apud Stephani epitomatorem ita scriptum: Σίγνια, πόλις Ἰταλίας, ὡς Στράβων τρίτῃ. τὸ ἐθνικὸν Σιγνῖνος. Id est: *Signina, urbs Italiæ; auctore Strabone in lib. III. gentilitium inde Signinus*. Omnino scriptum erat ab Stephano; Σιγνία πόλις Ἰταλίας· ὡς Στράβων πέμπτῃ. Id est: *Signia, urbs Italiæ; auctore Strabone in lib. V.* SIGNINI opidani cùm aliis tùm Plinio etiam dicuntur lib. III cap. V. Dionysii exemplaria habent lib. IIII Σιγναίαν.

at rectiùs lib. v Σίγνιαν. Originem eius tradit Dionysius dicto lib. iiii his verbis: Ταῦτα διατεταγμένου ἐν εἰρήνῃ τε καὶ πολέμοις ὁ Ταρκυίνιος, πόλιν ἀπῴκισε τὴν καλουμένην Σίγνιαν, οὐ κατὰ προαίρεσιν, ἀλλ' ἐκ αὐτομάτου, χειμασάντων ἐν τῷ πεδίῳ τὰ στρατιωτῶν, καὶ καταστρωσαμένων τὸ στρατόπεδον, ὡς μηδὲν διαφέρειν πόλεως. Id est: *His pace belloque gestis, coloniam Tarquinius deduxit Signiam: haud equidem consultâ operâ; sed casu fortuito: quum in eo campo milites hibernantes castra ita communissent, uti nihil ab opido differrent.* Igitur à signis, quæ illic in castris fixerant Romani milites, nomen opidum accepit. De eodem Tarquinio ita scribit Livius lib. i: *His laboribus exercitâ plebe, quia & Vrbi multitudinem, ubi usus non esset, oneri rebatur esse; & colonis mittendis occupare latiùs imperii fineis volebat; Signiam Circeiosque colonos misit; præsidia Vrbi futura terrâ marique.* Misit, postquàm interiectis campis nobilissimam Volscorum urbem Suessam Pometiam cepisset; ut ipse paullo antè auctor est Livius. At lib. ii, *Ap. Claudius*, inquit, *& P. Servilius consules facti.* Mox: *Eodem anno Signia colonia, quam rex Tarquinius deduxerat, suppleto numero colonorum iterum deducta est.* Annus hic erat ab Româ conditâ CCLVIIII. Apud Dionysium lib. v, in consulatu P. Valerii Poplicolæ iterum & T. Lucretii, anno Vrbis CCXLVI, ita scriptum est: Καὶ εἰς χωρίον Συγκήριον καλούμενον, Ῥωμαίων ἀπεστάλη φρουρὰ, διὰ φυλακῆς ἔχουσα τὸ φρούριον ὅλῃ τῶν Λατίνων τε καὶ Ἑρνίκων πόλεσι κείμενον, ὅθεν ὁ πόλεμον προσεδέχοντο. Id est: *Syncerium quoque milites missi, eius loci præsidio: quòd opportunè Latinorum Hernicorumque opidis immineret; unde bellum exspectabatur eo tempore.* Apud Plutarchum in vitâ Poplicolæ, eâdem historiâ, locus hic nominatur Σιγλικρία, *Sigliuria*. at horum neutrum aliàs lectum. ideóque plerique commentatorum hactenus maluerunt legere Σιγνίαν. quod equidem haud absurdum: quando præsidium haud facilè Hernicis simul & Latinis imponi potuit, nisi Latium heic intelligas, cuius fineis Tarquinius Superbus paullo antè ad Circæum usque montem, protulerat. Verùm tamen haud immeritò quis miretur, Dionysium ea castra adpellare χωρίον· quum ipse præcedenti libro testetur, ἀποικίαν, coloniam factam fuisse Signiam ab dicto Tarquinio. Cur enim non dixisset, additos fuisse colonis eis & alios milites, ad firmandum præsidium? Cæterùm meminit Signiæ coloniæ Frontinus quoque in libro de Coloniis. *Signia*, inquit, *muro ducta colonia, à militibus & triumviris munita.* Apud Livium lib. VIII, in vulgatis exemplaribus hæc leguntur: *P. Plautio Proculo & P. Cornelio Scapulâ consulibus, Fregellas (Signinorum is ager, deinde Volscorum fuerat) colonia deducta.* Legendum heic esse, *Sidicinorum*, posteà suo loco docebo. Lepinvs ille *mons*, Columellæ suprà scripto loco memoratus, quinam fuerit, incertum est. De *vino Signino* ita scribit Strabo lib. v: Σητία καὶ Σιγνία, φέρουσι οἶνον, ἡ μὲν τῶν πολυτελῶν ἕνα, ἡ δὲ τὰ χιλιοκύτους χιλίας, τὸν Σιγνῖνον καλούμενον. Id est: *Setia atque Signia: quæ vina producunt, illa è pretiosis unum; hæc, quod alvum maximè sistit; Signinum dictum.* Et Plinius lib. XIIII cap. VI: *Quod Signiæ nascitur, austeritate nimiâ continendæ utile alvo, inter medicamina numero.* Hinc & Martialis lib. XII epigram. CXVI:

Potabis liquidum Signina morantia ventrem.
Ne nimium sistant, sit tibi parca sitis.

Sacriportvs *locus.*

Prope Signiam fuit locus, cui nomen Sacriportvs; pluribus memoratus in bellis civilibus auctoribus. Orosius lib. v cap. XX: *Syllæ etiam & Marii adolescentis maximum tunc prælium apud Sacriportum fuit.* Epitomator Livii lib. LXXXVII: *Sylla C. Marium, exercitu eius fuso deletoque ad Sacriportum, in opido Præneste obsedit.* Velleius Paterculus lib. II: *C. Marius, septies consulis filius, apud Sacriportum pulsus à Sullâ acie, Præneste, quod antè naturâ munitum præsidiis firmaverat, se exercitumque contulit.* Florus lib. III cap. XXI: *Apud Sacriportum Collinamque portam debellatæ omnes hostium copiæ.* Auctor de Viris illustribus, in C. Mario filio: *In adparatu belli, quod contra Syllam parabatur, apud Sacriportum vigiliis & labore defessus sub dio requievit: & absens victus, fugæ, non pugnæ, interfuit. Præneste refugit.* Appianus Civil. bellor. lib. I: Ἡ δὴ ὠθεῖ Πραινεστὸν ἦσα ὧδε ἐγένετο· Σύλλα Σήτιον καταλαβόντος, ὁ Μάριος ἀγχοῦ στρατοπεδούμενος, ὑπεχώρει κατ' ὀλίγον. ὡς δ' ἦλθεν ὅθι τὸ καλούμενον Ἱερὸν λιμένα, ἐξέπεσεν ἐς μάχην, καὶ ἠγωνίζετο προθύμως · * · καὶ τοῦδε ὧθις ἦρχε τῷ Μαρίῳ δυσχερὴς ἥδης. κατέλυσε γὰρ ἐς Πραινεστὸν ἐφόδιον ἀπαλὲς, ἐπιθορὼν δὲ Σύλλα σὺν ὁρμῇ. Id est: *Cladis autem ad Præneste accepta est hoc modo: Occupato à Syllâ Setio, Marius eò copias admovit. deinpaullatim retrocedens, ubi ad Sacriportum pervênit, explicuit aciem. pugnatumque est magnis animis.* Mox: *Atque hoc initium fuit Mario adversæ pugnæ. victi enim*

enim effusâ fugâ universi Prænestæ petebant: Syllâ terga cædente. Hac de re ita legitur apud Plutarchum in Syllâ; Ἐκ τότε περὶ Σίγνιον Μάρλος, ὀγδοήκοντα καὶ πέντε σπείρας ἔχων, προύκαλεῖτο Σύλλαν· ὁ δὲ κἀκεῖνον ἐπῄει μάλα προθύμως. ἦν δὲ περὶ τὴν Μάρλου ἀπόλιν ὑπαίθριον χῶρον, ἀλλὰ γήπεμι πολὺς φόνος ἀμφοτέρων. Μάρλος ἔφυγεν εἰς Πραινεστόν. Hoc est: *Hinc apud Signium Marius,* LXXXV *cohortibus succinctus, lacessivit Syllam: qui perquàm paratus erat eo die dimicare.* Paullo pòst: *Haud diu substiterunt Mariani. sed ingens strages edita est fugientium. ipse Marius Prænestæ fugâ delatus est.* Sic equidem neutro genere apud Appianum est *Setium* opidum, apud Plutarchum *Signium*; quum omnibus reliquis auctoribus frequentissimâ mentione sint femininì generis *Setia* & *Signia*: nisi, quòd apud Plutarchum etiam in Cæsare, dicatur Σήϊον, *Setium*; & apud Priscianum lib. II: *Signium, Signinus*. Hoc verò opidum non Plutarchum modò, sed Appianum quoque perscripsisse, uti credam, situs persvadet. quidpe *Setia* longiùs à Prænestè versùs mare sita est. in medio autem utriusque est *Signia*. à qua recto itinere in occasum æstivum si proficiscaris, primum occurrit municipium Prænestè. Hoc postquàm Marius præsidiis firmaverat; *Signiam* adversùs Sullam profectus est. inde haud ita multum retrogressus, ad *Sacriportum* susus est; fugatusque, retro in opidum Prænestè concessit. Hinc, quum prope Signiam foret Sacriportus; apud ipsam Signiam victum Marium tradidit Plutarchus. Meminit eiusdem loci atque pugnæ. Lucanus quoque lib. II, hoc versu:

Iam quot apud Sacri cecidêre cadavera portum?

SETIA *colonia.*

At SETIA *opidum*, vulgò nunc vocatur *Sezza*. Memoratur Livio, Velleio, Straboni, Silio, Martiali, Plutarcho, Appiano, Frontino, Ptolemæo, & Stephani breviatori. At Plutarcho, ut paullo antè ostensum, & Appiano est neutro genere Σήτιον, SETIVM. Straboni quoque & Ptolemæo ac Stephani epitomatori in primâ syllabâ est η, Σῆτια. unde etiam Latini poëtæ, ut mox videbimus, eam syllabam fecêre longam. Dionysius lib. VIII an eamdem Σῆτιαν voluerit, ubi nunc exemplaria vulgata habent Κεῖτιαν, incertum est: & veri est similius *Vitelliam* eum nominasse, Aequorum opidum; ut suprà lib. II cap. XVI ostensum. Stephani epitomator: Σητία, πόλις Ἰταλίας. τὸ ἐθνικὸν Σητῖνος. *Setia, opidum Italiæ. gentilitium inde Setinus.* Verùm istud more illius sæculi, quo η sonabat ut ι. itaque vertendum erat, Setinus. nam opidani inde Livio quoque lib. VIII & Plinio lib. III cap. V sunt SETINI: & Ciceroni in oratione de Lege agrariâ contra Rullum ad populum primâ est *Ager Setinus*; Straboni verò lib. V οἶνος Σητῖνος, *vinum Setinum*. Coloniam Romanos huc deduxisse, auctores sunt Livius, Velleius, atque Frontinus. quorum hic in libro de Coloniis, *Setia*, inquit, *muro ducta colonia. triumviri munierunt*. Livius fine libri VII: *Privernates Norbam aeque Setiam, finitimas colonias Romanorum, incursione subitâ depopulati sunt*. Et lib. VIII: *Prætores tum duo Latini habebant, L. Annium Setinum & L. Numicium Circeiensem; ambos ex coloniis Romanis*. Sic libro etiam XXVII & item lib. XXVIIII inter alias colonias computatur. Quando deducta fuerit, ostendit Velleius lib. I, his verbis: *Post VII annos quàm Galli Vrbem ceperunt, Satricum deducta colonia est: & post annum Setia*. Deducta igitur fuit anno post Romam conditam CCCLXXIII, ante Christum natum CCCLXXX. Situm eius in montibus poëtæ annotarunt Iuvenalis Martialisque. quorum ille Satyrâ V ita canit:

Cras bibet Albanis aliquid de montibus, aut de
Setinis. cuius patriam titulumque senectus
Delevit, multâ veteris fuligine testæ.

Martialis lib. IIII epigr. LXIIII:

Vos nunc, omnia parva qui putatis,
Centeno gelidum ligone Tibur
Vel Prænestè domate: pendulamque
Vni dedite Setiam colono.

Lib. X epigram. LXXIIII:

Non Hybla, non me spicifer capit Nilus;
Nec quæ paludes delicata Pomptinas
Ex arce clivi spectat uva Setini.

Lib. XIII epigr. CXII:

Pendula Pomptinos quæ spectat Setia campos,
Exiguâ vetulos misit ab urbe cados.

Pendulam vocat Setiam, quia in montium jugo, quod juxta Pomptinos campos, de quibus paullo pòst plura dicentur, ad Asturam usque flumen protenditur, sita est; & ab extremâ orâ eius tamquàm ex crepidine quadam in subjectam planitiem despicit. Hæc igitur eius sedes Martiali vocatur CLIVVS SETINVS; Iuvenalique verò SETINI MONTES reliqui etiam circùm colles; in quibus generosissimum istud nascebatur vinum, quod alii etiam auctores prædicarunt. Strabo lib. v: Πάντες δ' εἰσὶν οἱ τόποι ἄπτοι σφόδρα οἶνοι. ὁ μὲν Καικυβος καὶ ὁ Φοῦνδανος καὶ Σητῖνος τῶν διωνομασμένων εἰσὶ, καθάπερ ὁ Φάλερνος καὶ ὁ Ἄλβανος. Id est: *Omnes isti loci optima producunt vina, in quibus maximè celebrantur, Cæcubum, Fundanum; Setinum, necnon Falernum atque Albanum.* Et posteà: Σηστία καὶ Σιγνία, φέρουσι οἶνον, ἡ μὲν τῶν πολυτελῶν ἕνα, ἡ δὲ πολὺ χαλκοῦν τιμὴ χιλίας. Hoc est: *Setia & Signia: quæ vina producunt, illa è pretiosis unum; hæc, quod alvum maximè sistit.* Plinius lib. XIIII cap. VI: *Divus Augustus Setinum prætulit cunctis: & fere sequuti principes: confessa propter experimenta; non temerè cruditatibus noxiis ab ea saliva.* Hinc illud Silii lib. VIII:

Et quos ipsius mensis sepostа Lyæi
Setia, & incelebri miserunt valle Velitræ.

Martialis iterum lib. IIII epigram. LXVIIII:

Tu Setina quidem semper vel Massica ponis,
Pamphile: sed rumor tam bona vina negat.

Lib. VI epigr. LXXXVI:

Setinum, dominaque nives, densique trientes;
Quando ego vos, medico non prohibente, bibam?

Lib. VIII epigr. LI:

Ceste, decus mensæ, misce Setina. vtdetur
Ipse puer nobis, ipse sitire caper.

Lib. X epigram. XXXVI:

Nec facili pretio: sed quo contenta Falerni
Testa sit, aut cellis Setia cara suis.

Iuvenalis Satyrâ X:

——— *Tunc illa time, quam pocula sumes*
Gemmata; & lato Setinum ardebit in auro.

Porrò in eodem jugi dorso, quà Velitras itur à Setiâ, consimili situ est opidum vulgari nunc vocabulo *Sarmonetta* id ego idem esse judico, quod Plinio lib. III cap. V, nomine SVLMO, inter ea antiqui Latii, cuius finis erat Circæus mons, recensetur opida, quæ jam tum interisse ait sine vestigiis. nam ut Pelignorum olim caput Sulmo vulgò nunc vocatur *Sarmona*; sic iste Latii Sulmo eodem dicitur vocabulo, sed diminutivo *Sarmonetta*. Vt autem hoc, ita etiam suprà dictam Norbam Plinius interisse sine vestigiis dixit: cuius tamen nomen hodiéque exstat. Apud Virgilium Aeneid. lib. VIIII, ubi pugnam narrat inter Rutulos Troianosque apud Tiberim pugnatam, hæc leguntur verba:

——— *Hasta volans noctis diverberat umbras;*
Et venit adversi in tergum Sulmonis; ibique
Frangitur, ac fixo transit præcordia ligno.

Vt complura alia, ad imitationem Homeri, Virgilius à fluminibus atque locis nomina desumpta, huius belli ducibus tribuit; sic hoc etiam antiqui illius ad Circæios usque Latii opidi vocabulo finxisse videtur *Sulmonem*. quo facto antiquitatem eius innuere voluit. Sed lib. X socium illi etiam adjungit eiusdem tractus amnem Vfentem. sic quidpe de Aenеâ canit:

——— *Sulmone creatos*
Quatuor hеic juvenes, totidem quos educat Vfens,
Viventeis rapit.

PRIVERNVM. Vltra Setiam, versùs Tarracinam euntibus, est opidum vulgari hodiè vocabulo *Piperno*; à quo ad duo circiter millia passuum, circa Amasenum amnem, quà itur Anagniam, ruinæ conspiciuntur ingentium ædificiorum antiquæ urbis, nomen hodierni opidi, tum situs dictarum ruinarum, apertè indicant, vetus hеic fuisse PRI-

VERNVM

VERNVM *opidum*, Virgilio, Livio, Valer. Maximo, Straboni, Silio, Ptolemæo Frontino, Festo, Stephani breviatori, memoratum. unde opidani dicebantur PRIVERNATES. Plinius lib. III cap. V: *Præneſtini, Privernates, Setini, Signini.* Et lib. XIIII cap. VI: *Veliternina Privernatiaque vina.* Silius lib. VIII:

Sylla Ferentinos Privernatumque maniplos
Ducebat, ſimul excitos.

Stephani breviator: Πεμέρνων, πόλις Ἰταλίας. τὸ ἐθνικὸν Πεμερνάτης. Id eſt: *Privernus, opidum Italiæ. gentilitium inde Privernates.* More illius ſæculi, ut reliqua ferè opidorum nomina, formavit in ων. at Ptolemæo, ut Romanis, eſt Πεμέρτον, *Privernum.* Silius lib. VI:

——*Lavinus ab alto*
Priverno.

Valer. Maximus lib. VI cap. II: *Priverno capto, interfectisque, qui id opidum ad rebellandum incitaverant, ſenatus, indignatione accenſus, conſilium agitabat, quidnam ſibi de reliquis quoque Privernatibus faciendum eſſet.* Lib. VIIII cap. X: *M. Flavius, tribunus plebis, ad populum de Tuſculanis retulit, quod eorum conſilio Veliternos Privernatesque rebellaturos diceret.* Ciceroni de Oratore lib. II & in oratione pro A. Cluentio, item in oratione de Lege agrariâ contra Rullum ad populum ſecundâ. *Privernas eſt ager.* Antiquitatem opidi innuere voluit Virgilius Aeneid. lib. X:, in his verſibus;

Pulſus ob invidiam regno virisque ſuperbas,
Priverno antiquâ Metabus quum excederet urbe;
Infantem, fugiens media inter prælia belli,
Sustulit, exſilio comitem; matrisque vocavit
Nomine Caſmillæ, mutatâ parte, Camillam.
Ipſe, ſinu præ ſe portans, juga longa petebat
Solorum nemorum. tela undique ſæva premebant;
Et circumfuſo volitabant milite Volſci.
Ecce fugæ medio ſummis Amaſenus abundans
Spumabat ripis. (tantus ſe nubibus imber
Ruperat:) ille, innare parans, infantis amore
Tardatur; caroque oneri timet.

Volſcorum gentis fuiſſe antiquitus Privernum, clarè ex hoc loco adparet. ſed clariùs tamen ex verſu, qui eodem libro præcedit, huiusmodi:

Eſt & Volſcorum egregiâ de gente Camilla.

Frequens hinc mentio eius fit apud Livium lib. VIII. ubi inter alia ita ſcriptum eſt: *Ad Privernum profectus, extemplò acie conflixit. haud magno certamine devicti hoſtes. opidum captum; redditumque Privernatibus.* Mox municipium Romanorum factum fuiſſe, oſtendit ibidem deinde Livius. *Ex auctoritate*, inquit, *patrum latum ad populum eſt, ut Privernatibus civitas daretur.* Factum id L. Aemilio Mamercino & Cn. Plantio Deciano conſulibus, anno poſt Romam conditam CCCCXXV, ante natum Ieſum CCCXXVIII. *Coloniam* item aliquando deductam, teſtatur Frontinus in libro de Coloniis. *Privernum*, inquit, *opidum muro ductum. colonia à militibus deducta ſine colonis.* Feſtus verò inter præfecturas connumerat. *Præfecturæ*, inquit, *adpellabantur in Italiâ, in quibus & jus dicebatur & nundinæ agebantur; & erat quædam earum reſpublica: neque tamen magiſtratus ſuos habebant. in quas legibus præfecti mittebantur quotannis, qui jus dicerent. quarum genera fuerunt duo: alterum, in quas ſolebant ire præfecti, quos prætor Vrbanus quotannis in quæque loca miſerat legibus: ut, Fundos, Formias, Cære, Venafrum, Allifas, Privernum, Anagniam, Fruſinonem.* De cætero ſitum Priverni perperam Strabo lib. V cis Signiam indicavit; ut ſuprà ad Coræ expoſitionem diximus.

Atque hactenus opida Volſcorum dicta ſunt, quæ ſupernè ex prædicto montium jugo Pomptino campo imminebant. nunc ipſe campus exponendus erit. *Vrbs* heic erat, unde illi nomen quæſitum, Volſcorum SVESSA, cognomine POMETIA, ad discrimen Sueſſæ Auruncæ; quæ erat ultra Lirim; ut infrà ſuo loco oſtendetur. ſed ſæpè illa ſimpliciter uſurpatur POMETIA. Atque ab hac urbe pars hæc Volſcorum antiquitus adpellati fuêre peculiari vocabulo Πωμεντῖνοι, POMENTINI. nam Græcis auctoribus, quos citatum imus, τὸ τῶν Πωμεντίνων ubique vocatur πεδίον, id eſt;

id est, POMENTINVS CAMPVS. unde ipsa urbs Dionysio lib. VI dicitur Σύεσσα Πωμφυλιακή, *Suessa Pomentiana*. Ab initio igitur urbs vocabatur Πωμφύα, POMENTIA. ex quo vocabulo N literâ elisâ, factum mox Πωμετία, POMETIA. unde Virgilio Aeneid. lib. VI POMETII, populi opidani, in his versibus:

Hi tibi Nomentum & Gabios urbemque Fidenam,
Hi Collatinas imponent montibus arceis;
Pometios, Castrumque Inui Bolamque Coramque.

At rectiùs Catoni in Origin. lib. II, ut refert Priscianus lib. IIII, dictus est POMETINVS *populus*; & Livio lib. I *Pometinæ manubiæ*. Hoc rursus vocabulum *Pometia*, quia *e* habebat breve, correptum est in POMTIA: unde POMTINVS ager sive campus; & in eo suprà explicatæ POMTINAE paludes. In hoc iterum vocabulo ne M proferretur volubiliore lingvâ in N, more jam inde antiquissimo, quem hodiéque Italicæ gentes retinent; ut suprà lib. I cap. XV..., in Carnis docui: interpositum fuit T, POMPTIA *urbs*, POMPTINVS *campus*, POMPTINAE *paludes*. Neque tamen ea scriptio adeò diligenter ab exscriptoribus observata est, quin hodiè passim in auctorum exemplaribus reperiantur, *Pontia urbs*, *Pontinus campus*, *Pontinæ paludes*. unde etiam Festus; *Pontina*, inquit, *tribus à Pontiâ urbe dicta: à qua & palus quoque Pontina adpellata est juxta Terracenam*. Cæterùm Virgilius loco proximè scripto fingit equidem Anchisen apud inferos Aeneæ filio de opidis, quæ posteri eius, Albanorum reges in Latio condituri sint, prædicentem. verùm id poëticâ licentiâ factum, qua ille Latium antiquum, non quibus finibus circa belli Troiani tempora inclusum fuit, sed ad Circæum usque montem intellexit: suprâ cap. I monuimus. alii sanè auctores, non Latinis, sed Volscis disertè adserunt Suessam Pometiam. Auctor de Viris illustribus, in Tarquinio Superbo: *Latinos Sabinosque domuit; Suessam Pometiam Volscis eripuit*. Livius lib. I, de Tarquinio Superbo narrans: *Is primus Volscis bellum in ducentos ampliùs post suam ætatem annos movit: Suessamque Pometiam ex his vi cepit*. Dionysius lib. IIII: Ὁ δὲ Ταρκυίνιος ὑπὲρ τοῦτον καλουμένας Πωμφυλίνας ἦγε τὴν δύναμιν, εἰ πόλιν μὲν Σύεσσαν ᾤκουν, δυσμενέστατοι δ' ἁπάντων ἐδόκουν εἶναι τοῖς πλησιοχώροις, καὶ διὰ τοῦτο πολλῷ κρείττονι παρεσκευασμένος λυπηρὸς ἦν καὶ βαρύς. Hoc est: *At Tarquinius contra Pomentinos duxit exercitum: qui Suessam incolebant; omnium finitimorum populorum florentissimi: eóque molesti atque graves cæteris omnibus*. Hinc Strabo lib. V caput eam fecit Volscorum gentis. Ὁ δ' ὑὸς, inquit, ἔσχε Ταρκυίνιος πρόσκαιρον τὴν Σύεσσαν εἷλε, τὴν μητρόπολιν τῶν Οὐόλσκων. id est: *Filius Tarquinii Prisci Suessam cepit, Volscorum caput*. *Antium* fuisse caput gentis, superiori capite ex Livii lib. VI ostendimus. hanc verò Dionysius, quem ibidem citavimus, lib. VI & VIII ἐπιφανεστάτην Volscorum vocat πόλιν, *urbem nobilissimam clarissimamque*: & Livius lib. II *opulentissimam*: sed addit, *Vt tum res erant*. De Pometiâ igitur ita tradit Dionysius lib. VI: Μεγέθει τε περιβόλου καὶ πληθύϊ οἰκητόρων, ἔτι δὲ δόξῃ καὶ πλούτῳ πολὺ τῶν ἄλλων ὑπερέχουσαν ἐδόκει, καὶ διὸ ὥσπερ ἡγεμὼν τῶν ἐθνῶν. Id est: *Magnitudine incolarumque frequentiâ, præterque divitiis & gloriâ longè cæteras præcellebat: eratque velut gentis caput*. Et dicto lib. IIII posteà, urbe ab Tarquinio jam captâ, sic pergit: Ἄργυρον δὲ καὶ χρυσὸν, ὅσον εὑρέθη, συναγαγὼν εἰς ἓν χωρίον, καὶ τοῦ δεκάτου ἐξελόμενος εἰς κατασκευὴν ἱεροῦ, τὰ λοιπὰ χρήματα τοῖς στρατιώταις διεῖλεν. Οὕτω δὴ ἄρα πολὺς καταληφθεὶς ἄργυρος καὶ ὁ χρυσὸς, ὥστε τῶν μὲν στρατιωτῶν ἕκαστον πέντε μνᾶς ἀργυρίου λαβεῖν, τὸ δὲ τοῖς θεοῖς δεκαδύο ἀργύρου τετρακοσίων ἡμίσεσιν ἐλάττων γενέσθαι τάλαντα. Hoc est: *Argentum aurumque, quod inveniri potuit, in unum locum collatum, decimis in templi ædificationem sepositis, reliquum divisit militibus. Tantum autem auri argentique repertum est, uti quinæ argenti minæ obvenerint singulis militibus; sacratæ autem argenti decimæ explerint quadringentûm talentorum numerum*. Differt haud modico Livius dicto lib. I, præscriptis hæc continenter subnectens: *Vbi quum divendita XL talenta argenti aurique recepisset, concepit animo eam amplitudinem Iovis templi, quæ digna deûm hominumque rege, quæ Romano imperio, quæ ipsius etiam loci majestate esset: captivamque pecuniam in ædificationem eius templi sepositi*. Et posteà: *Augebatur ad impensas regis animus. itaque Pometinæ manubiæ, quæ perducendo ad culmen operi destinatæ erant, vix in fundamenta suppeditavêre*. Eò magis Fabio, præterquàm quòd antiquior est, crediderim, XL ea sola talenta fuisse; quàm Pisoni: qui XL millia pondo argenti sepositа in eam rem scribit. quam summam pecuniæ neque ex unius tum urbis prædâ sperandam, & nullius ne horum quidem magnificentiæ operum fundamenta non exsuperaturam.

ram. Coloniam Romanorum eò deductam fuisse, postquàm à Tarquinio urbs capta, patet ex Livii lib. II: *Eodem*, inquit, *anno duæ Latinæ, Pometia & Cora, ad Auruncos deficiunt*. Et deinde: *Hac irâ consules in Volscum agrum legiones duxêre. Volscos, consilii pœnam non metuenteis, nec opinata res perculit. armorum immemores, obsides dant* CCC, *principum à Corâ atque Pometiâ liberos*. Dionysius lib. VI, Volscorum bellum, quod continuò inde subsequutum est, narrans. Ἐν ᾧ τούτῳ, inquit, Λατίνων ἱππεῖς καὶ ἀσπιδῖται ἐλαυνόντες σὺν ἵππῳ, παρῆσαν εἰς τὴν ἀγορὰν, ἐξεληλυθότας ἀγγέλοντες σὺν πολεμίᾳ μεγάλῃ φαλαγγὶ, καὶ ὄντας ἤδη τῆς ἐωθινῆς ὁδοῖς ἤδη. Id est: *Dum hæc Romæ fiunt, Latinî equites, citatissimo cursu in forum advolantes, Volscos magno exercitu exisse, jamque Latii fineis attigisse, nunciant*. Posteà: Παραλαβὼν ὁ Σερβίλιος τὸ στράτευμα, σπουδῇ ἀσπιδηφόρῳ, ἀφίκνεῖται πρὸς τὸν ἐσχατιὰν τῆς πολεμίους πεῖν εἰς τὴν Ῥωμαίων χώραν αὐτὸς εἰσβαλεῖν. καταλαβὼν δὲ τὸ Πωμεντῖνων χωρίον ἐσκηνοπηγοῦντας, καὶ τὴν Λατίνων χώραν πορθοῦντας, ὅτι ἀπεκαλέσθησαν αὐτοὺς ἐπὶ σπονδαῖς τοῦ πολέμου, δεῖλην ὀψίαν, δὲ λόφον τινὰ ὡς ἑκατὸν σταδίοις τοῦ στρατοπέδου αὐτῶν ἀφεστῶτα, ἵδρυται τὸν χάρακα. Hoc est: *Servilius, adsumpto exercitu, magnâ celeritate continuisque itineribus properat, ut hosti, antequàm in agrum Romanum inruat, obviam fiat. quem quum in Pomentino campo tendentem offendisset, agrosque Latinorum prædantem; quòd noluissent esse belli socii; sub vesperam, circa quemdam tumulum, XX fermè stadia ab Volscorum castris dissitum, & ipse castra posuit*. Volsci mox eâ ipsâ nocte impetum in Romanorum castra faciunt. Servilius proximâ luce hostem fundit fugatque; & intra castra compulsum oppugnat, deditioneinque facere cogit. ei facto subjungit Dionysius istud: Ὁ δὲ Σερβίλιος, ἀναπαύσας τοὺς στρατιώτας, καὶ τὸν χάρακα περὶ δὲς, αἰχμαλώτους τοὺς δυνάμεις, ἦγε ἐπὶ τὴν ἐγκαταλειφθεῖσαν πόλιν, Σύεσσαν Πωμεντινῶν. Hoc est: *Servilius, prædâ divisâ, & castris incensis, exercitum ad proximam urbem Suessam Pometiam duxit*. Eamdem historiam ita refert Livius dicto lib. II: *Consul copias contra hostem educit. parvo dirimente intervallo castra ponit. Proximâ inde nocte Volsci, discordiâ Romanâ freti, si qua nocturna transitio proditione fieri possit, tentant castra*. Paullo pòst: *Fugientibus, quoad insequi pedes potuit, terga cæsa: eques usque ad castra pavidos egit. mox ipsa castra, legionibus circumdatis, quum Volscos inde etiam pavor expulisset, capta direptaque. Postero die ad Suessam Pometiam, quò confugerant hostes, legionibus ductis, intra paucos dies opidum capitur*. En, Dionysius affirmat, Volscos in Pomptino campo, in finibus seu confinio Latii habuisse castra, atque inde ipsum depopulatos esse Latium: Livius verò tradit, Servilium consulem, castris Volscorum captis direptisque, postridiè ad *Pometiam* exercitum admovisse. patet igitur ex his, ipsam *Pometiam* haud procul Latii finibus fuisse sitam: scilicet, prope *Coram* atque *Velitras*. unde etiam illud Livii suprà scriptum; *Eodem anno duæ coloniæ Latinæ, Pometia & Cora, ad Auruncos deficiunt*: item istud eodem libro posteà: *Et Velitris auxêre numerum colonorum Romani, & Norbæ in monteis novam coloniam, quæ arx in Pomptino esset, miserunt*. Apud Strabonem dicto lib. V ita scriptum est in vulgatis exemplaribus: Ἐν δεξιᾷ δ' ἐστὶ Λατίνης οὐδὲ εἰσὶν πόλις αἱ μεταξὺ τῶν τε Ἀππίας, Σηλία τε καὶ Σιγνία· πρὸ δὲ ταύτης εἰσὶ Πρίβερνον καὶ Κόρα καὶ Σύεσσα, Τραπόντιόν τε καὶ Οὐελίτραι καὶ Ἀλέτριον ἔτι δὲ Φρεγέλλαι. Id est: *Ab dextro viæ Latinæ latere sunt opida, inter hanc & Appiam, Setia & Signia. ante hanc est Privernum & Cora & Suessa Trapontiumque ac Velitræ & Aletrium, item Fregellæ*. Locus hic sanè non erroribus tantùm ipsius auctoris, sed & exscriptorum mendis fœdatus. nam neque Privernum neque Aletrium nec Fregellæ citra Signiam sunt sitæ; nec Aletrium intra Latinam Appiamque vias: sed ad Latinæ sinistrum latus. vox autem ista Τραπόντιον jam ante me ab omnibus auctoris interpretibus commentatoribusque damnata est. pro qua alii Κλῶστρα, Ἄνιον, alii, præmissâ voce Σύεσσα, τῶν Πομπίων, restituere conati sunt. Verùm illis non animadversum fuit, Strabonem hoc velle opida ad Appiam Latinamque vias sita: Clostra autem & Antium in ipso fuisse litore: quorum hoc jam anteà Strabo diligenti expositione meminit. Qui verò Σύεσσα τῶν Πομπίων legunt, haud dubiè Suessam Pometiam intellexerunt. attamen hi non satis ad auctoris mentem adcessisse mihi videntur; quando apud eum legitur, primò τῶν Οὐόλσκων τὴν Πωμεντίαν, dein Πωμεντία· quorum hoc Πωμεντία, illud Πωμεντίνων esse legendum, ex suprà scriptis clarè patet. Quapropter haud est dubitandum, quin isto etiam loco scripserit Strabo Σύεσσα vel Σύεσσα τῶν Πωμεντίνων, *Suessa Pomentinorum*. De cætero & ipse, ut Livius atque Dionysius circa *Coram* & *Velitras* collocat eam. Itaque ab

his

his locis tota ista planities, quæ *Velitris*, *Coræ*, *Norbæ*, *Sulmoni*, *Setiæ*, atque *Priveno* subjacet, ad *Tarracinam* usque, quà *Pomptina erat palus*, CAMPVS sive AGER POMPTINVS adpellatus fuit. Hinc Strabo eodem lib. v anteà; Ἦν δὲ, inquit, τῶν Οὐόλσκων τῶν Πωμπτίνων ἔνδοξον πεδίον, ὅμορον Λατίνοις. Hoc est: *Erat autem præclarus Volscorum Pomentinorum campus, finitimis Latinis.* Dionysius verò lib. II, de *Feroniæ luco* loquens, qui III millia passuum aberat ab Tarracinâ; Καταχθέντας ἦ, inquit, τῆς Ἰταλίας πρὸς τὰ καλούμενα Πωμπτῖνα πεδία, τὸ χωρίον, ἐν ᾧ πρῶτον ὡρμίσαντο, Φερωνίαν ὀνομάσαι. id est: *Quumque delati essent ad Pomentinos Italiæ campos; locum, quò primùm adpulerant, vocasse Feroniam.* Et lib. IIII: Κιρκαίαν ἦ ἀπῴκισεν ὁ Ταρκύνιος κτ λογισμὸν, ὅτι τ Πωμπτίνων πεδίων, μεγίστου τ πρὸς τῇ Λατίνῃ, καὶ τ σωτηρίους αὐτῇ θαλάττης, ἔκειτο ἐν καλῷ. Hoc est: *Circæum autem consultò deduxit Tarquinius coloniam; quòd in Pomentinorum campo, totius Latii maximo, locus is opportunè ad mare situs esset.* Latium heic intelligit Dionysius, cuius finem Tarquinius recèns ad Tarracinam usque produxerat. Hic igitur est ille campus, sive ager, in quo Mutianus XXIII urbeis fuisse prodidit; teste Plinio lib. III cap. V. quas ipse Plinius, nescio qua supinâ negligentiâ, in arctissimum locum intra Circeios & Vfentem flumen compegit. Ipsam Pometiam inter ea eodem capite enumerat opida, quæ jam tum interierant sine vestigiis. inter quæ & pleraque alia ex XXIII illis urbibus recenseri, haud equidem dubito; licet incertum sit, quæ ea fuerint. At quæ ex his Dionysio ac Livio aliisque auctoribus memorantur, ea posthinc indicabo; unâ cum illis, quæ ex proximis montibus eidem campo imminebant.

MARCIVS *collis.*

Ac primùm quidem MARCIVS *mons* seu *collis* dicebatur prope Lanuvium: cuius nomen vitiatum legitur apud Livium lib. VI; ubi ita scriptum: *Nec diu licuit quietis consilia erigenda ex tam gravi casu reipublicæ secum agitare. hinc Volsci, veteres hostes, ad exstinguendum nomen Romanum arma ceperant: hinc Etruriæ principum ex omnibus populis conjurationem de bello ad Fanum Volumnæ factam, mercatores adferebant. novus quoque terror accesserat, defectione Latinorum Hernicorumque.* Et post aliquanto: *Tertiam partem exercitus Camillus ad Volscos duxit. nec procul ab Lanuvio (Ad Metium is locus dicitur) castra oppugnare est adortus.* Sic equidem cuncta Livii habent exemplaria. at legendum esse *Ad Martium*, sive *Ad Marcium*, Diodori pariter & Plutarchi testantur exemplaria, in eâdem Romanorum expeditione. Diodorus fine libri XIIII: Ταπεινῶν δ' ὄντων τ Ῥωμαίων διὰ τὴν πεσφημίαν συμφορὰν, οἱ Οὐολῦσκοι πρὸς αὐτὸς πόλεμον ἐξήνεγκαν. Οἱ μὲν χιλίαρχοι τῶν Ῥωμαίων καταγράψαντες στρατιώτας, καὶ παραλαβόντες τὴν δύναμιν εἰς ὕπαιθρον ἐν τῷ καλουμένῳ Μαρκίῳ καταστρατοπέδευσαν, ἀπέχοντες ἀπὸ τῆς Ῥώμης σταδίους διακοσίους. Hoc est: *Adflictis per eam, quam diximus, calamitatem fortunis Romanorum, Volsci bellum ipsis moverunt. Tribuni igitur consulares delectu militum habito, & copiis in apertum eductis, ad Marcium, quod vocant, castra posuêre, ducenta ab Româ stadia.* Quum res ipsa, cui cognomentum *Marcio*, non adscripta esset; interpres Latinus, omnis chorographiæ Romanæ ignarus, conjecturâ quadam inde fecit Campum Martium; qui ad ipsam fuit Romam: inter mœnia urbis & lævam Tiberis ripam. At ista CC stadia, id est, millia passuum XXV, rectè congruunt in Livii locum haud procul ab Lanuvio. quod opidum XX millia ab Româ abesse, suprà cap. IIII ostensum est. Editum fuisse locum in colle aliquo seu monte circa Albani jugi radices, patet ex Plutarchi maximè verbis, quæ talia sunt in Camillo: Οὕτω δὲ τ περὶ ταῦτα πεπωμένοις ἀσχολίας τοῖς Ῥωμαίοις ἐπιπίπτει πόλεμος, Αἰκανῶν μὲν ἅμα καὶ Οὐολούσκων Λατίνων εἰς τὴν χώραν ἐμβαλόντων, Τυρρηνῶν δὲ πλιορκούντων Σάτρικον, συμμαχίδα Ῥωμαίων πόλιν. Ἐπεὶ δ' οἱ τὴν ἡγεμονίαν ἔχοντες χιλίαρχοι στρατοπεδευσάμενοι περὶ τὸ Μάρκιον ὄρος ἀπὸ τ Λατίνων ἐπλιορκοῦντο, κ κινδυνεύοντες ἀποβαλεῖν τὸ στρατόπεδον, εἰς Ῥώμην ἔπεμψαν, ἀποδείκνυσι τὸ πρῶτον Κάμιλλος δικτάτωρ. * — * Ἀποδειχθεὶς δικτάτωρ ὁ Κάμιλλος, καὶ πυθόμενος μὴ τῶν χιλιάρχων στράτευμα πλιορκεῖσθαι ὑπὸ τῶν Λατίνων κ τ Οὐολούσκων, πρεσβεύεται μακρὰν περίοδον περὶ τὸ Μάρκιον ὄρος, καὶ λαθὼν αὐτοὺς πολεμίους, ἵδρυσε τὴν στρατιὰν κατόπιν αὐτῶν. Id est: *Hauddum his defunctos ærumnis Romanos repentè occupat bellum. Æqui simul & Volsci Latinique fineis Romanorum populabantur; Etrusci item Sutrium obsidebant, socium populi Romani opidum. Quum autem tribuni consulares, qui exercitui præerant, ad Marcium montem, ubi castra habebant, obsiderentur à Latinis; Romamque significassent, quanto in periculo castra versarentur; Camillus tertium dictator dictus est.* Aliquanto pòst: *Dictator postquàm dictus est Camillus,*

Camillus, nunciato, legiones cum tribunis consularibus à Latinis ac Volscis obsideri: longo flexu Marcium montem exercitum circumduxit; castraque à tergo hostium clam est metatus. Ergo v millia passuum ultra Lanuvium erat Marcius iste collis sive mons; unus scilicet ex iis collibus, qui ab hac parte Pomptinum campum includunt.

Circa idem Lanuvium simul Ariciamque & Ardeam fuit antiquissimis temporibus *urbs* plurali numero Latinis CORIOLI, Græcis singulari Κορίολα, CORIOLA, dicta; & ipsa quondam una inter primarias Volscorum habita. Opidani inde Κορίολανοὶ, CORIOLANI. Apud Stephani epitomatorem hæc leguntur: Κόριλλα, πόλις Λατίνων. Διονύσιος πρώτῳ Ῥωμαϊκῆς ἀρχαιολογίας. τὸ ἐθνικὸν Κορίλλανοί. Κορίολα, πόλις τῆς Ἰταλίας Διονύσιος. τὸ ἐθνικὸν Κορίολανός. Id est: *Corilla, urbs Latinorum; teste Dionysio Antiquitat. Roman. lib. IIII gentilitium inde Corillani. Coriolla, urbs Italiæ; auctore Dionysio. gentilitium Coriollanus.* Eorum lubens accedo sententiæ, qui unam eamdemque urbem heic significari volunt. habet quidpe Dionysius lib. v Coranos quoque & Norbanos ac Satricanos Setinosque & Veliternos, inter eos Latini nominis populos, qui conspirationem contra Romanos pro Tarquinii Superbi restitutione inierant. verùm isti populi ex Volscorum genere nuper Latii titulo ab ipso Tarquinio erant adjecti; ut sæpius jam antè dictum. Sic igitur lib. IIII etiam in concilio Latinorum memoratur, illi ἀνὴρ ἷς ἐν πόλει οἰκῶν Κορίλλῃ, Τύρρηνος Ἑρδόνιος ὄνομα. *vir quidam Corillæ habitans, nomine Tullus Herdonius* qui tamen Livio lib. I est *Turnus Herdonius ab Aricià.* De situ Coriolorum maximè audiendus est Livius: qui lib. III ita tradit: *Aricini atque Ardeates de ambiguo agro, quum sæpè bello certassent, multis invicem cladibus fessi, judicem populum Romanum cepere. Quum ad causam orandam venissent, concilio populi à magistratibus dato, magnâ contentione actum. jamque editis testibus, quum tribus vocari & populum inire suffragium opporteret; consurgit P. Scaptius, de plebe, magno natu: &, Silicet, inquit, consules, de republicâ dicere, errare ego populum in hac causâ non patiar. Quum, ut vanum, eum negarent consules audiendum esse, vociferantemque, prodi publicam causam, submoveri jussissent: tribunos adpellat. Tribuni, (ut ferè semper reguntur à multitudine magis, quàm regunt) dedère cupidæ audiendi plebi, ut, quæ vellet, Scaptius diceret. Ibi infit: Annum se tertium & octogesimum agere; & in eo agro, de quo agitur, militasse non juvenem, sed vicesimæ jam stipendia merentem, quum ad Coriolos sit bellatum. eò se rem vetustate obliteratam, cæterùm suæ memoriæ infixam, adferre. Agrum, de quo ambigitur, finium Coriolanorum fuisse, captisque Coriolis, jure belli publicum populi Romani factum. Mirari se, quonam more Ardeates Aricinique, cuius agri jus numquàm usurpaverint incolumi Coriolanâre, eum se à populo, quem pro domino judicem fecerint, intercepturos sperent.* Mox posteà: *Consules, quum Scaptium non silentio modò, sed cum assensu etiam audiri animadvertissent; deos hominesque testantes, flagitium in eam fieri, patres primores adcersunt. cum his circumire tribunos; orare, ne pessimum judicium peiore exemplo admitterent judices, in suam rem litem vertendo; quum præsertim, etiamsi fas sit, curam emolumenti sui judicii esse, nequaquàm tantum agro intercipiendo adquiratur, quantum amittatur alienandis injuriâ sociorum animis. nam famæ quidem ac fidei damna maiora esse, quàm quæ æstimari possent.* Mox: *Hæc consules, hæc patres vociferantur. sed plus cupiditas & auctor cupiditatis Scaptius valet. Vocatæ tribus judicaverunt, agrum publicum populi Romani esse.* Et lib. IIII: *Fabius & Aebutius consules, quò maiori gloriæ rerum domi forisque gestarum succedere se cernebant; maximè autem memorabilem annum apud finitimos socios hosteisque esse, quòd Ardeatibus in re præcipiti tantâ foret curâ subventum; eò impensiùs, ut delerent prorsus ex animis hominum infamiam judicii, senatusconsultum fecerunt; Vt, quoniam civitas Ardeatium intestino tumultu redacta ad paucos esset, coloni eò præsidii causâ adversus Volscos scriberentur. Hoc, palam relatum in tabulas, ut plebem tribunosque falleret, judicii rescindendi consilium initum. Consenserant autem, ut, multo majore parte Rutulorum colonorum, quàm Romanorum, scriptâ, nec ager ullus divideretur, nisi is, qui interceptus judicio infami erat. nec ulli prius Romano ibi, quàm omnibus Rutulis divisus esset, gleba ulla agri adsignaretur. Sic ager ad Ardeates rediit.* Superiori igitur judicio editis testibus, adparebat, non Aricinorum, sed Ardeatium eum esse agrum. Patet jam ex hac historiâ, Coriolos, seu Coriolanum agrum Ar-

deatino Aricinoque agris ab oriente fuisse conterminum: nempe sub Lanuvio, ad Antium versùs: qua Solonius campus eidem Coriolano agro fuit confinis. Atque huc rectè quadrat, quod Dionysius lib. VI ac Livius lib. II tradunt, quum Corioli ab Romanis oppugnarentur, auxilio venisse Antiates. Cæterùm Plutarchus in Cn. Marcio Coriolano; Ἐν δὲ τῷ Οὐολούσκων, inquit, ἔθνει ἡ Κορίολα πόλις ἀξίωμα μέγιστον εἶχεν. id est: *In Volscorum gente principatum obtinebat Coriolanorum urbs.* Et Dionysius lib. VI: Τῇ δὲ κατόπιν ἡμέρᾳ τὴν δύναμιν ἀναλαβὼν, ἐπῆλθε Κορίολα, πόλιν ἐπιφανῆ σφόδρα, καὶ ὥσπερ ἂν μητρόπολιν τῶν Οὐολούσκων. ἔνθα καὶ δύναμις ἦν συγκεκλημένη καρπερὰ καὶ τὸ τεῖχος ἀράδιον ἁλῶναι, καὶ τἄλλα πρὸς τὸν πόλεμον ἐπιτήδεια παρεσκευασμένα τοῖς ἐνδον ἐκ πολλοῦ. Hoc est: *Sequenti die cum exercitu Coriolam petiit; urbem nobilem, & Volscorum quasi caput. in qua & validæ erant copiæ, & firma mœnia, resque ad bellum necessariæ jam dudum ab opidanis præparatæ.* Marcium inde *Coriolani* cognomentum accepisse, præter alios auctores, Valer. Maximus testatur lib. IIII cap. III. *Cn. Marcius*, inquit, *cui Corioli Volscorum opidum captum cognomen adjecit.* Plinius lib. III cap. V, *Coriolos* inter ea enumerat opida, quæ jam tum *sine vestigiis interierant.* Certus igitur locus eius designari hodiè nullus potest.

Circa Coriolos fuere LONGVLA & POLVSCA opida. Livius lib. II: *Alter consul, [Postumus Cominius] ad Volscum bellum missus, Antiates Volscos fundit fugatque. compulsos in opidum Longulam persequutus, mœnibus potitur. Inde protinus Mucamitem Volscorum cepit. Tum magnâ vi adortus est Coriolos.* Eamdem historiam pluribus refert Dionysius lib. VI: quam paucis heic repetere visum est. Πόστμος δὲ Κομίνιος, κρίνας Οὐολούσκοις ἐπιχειρεῖν πρώτοις, πόλιν αὐτῶν Λογγόλαν ἐξ ἐφόδου καταλαμβάνει. Φρουρὰν δὲ ἐν τῇ πόλει καταλιπὼν, ἐξῆγε τὴν δύναμιν ἐφ' ἑτέραν πόλιν τῶν Οὐολούσκων, ἣ καλεῖται μὲν Πολυσκᾶ, κεῖται δὲ ἀπὸ μὲν τῆς Λογγόλας ἀπέχει. καταλιπὼν δὲ καὶ ταύτην βραχεῖαν τῶν στρατιωτῶν μοῖραν ἕνεκα φυλακῆς, τῇ κατόπιν ἡμέρᾳ τὴν δύναμιν ἀναλαβὼν, προῆγεν ἐπὶ Κορίολαν. πόλιν ἐπιφανῆ σφόδρα, καὶ ὥσπερ ἂν μητρόπολιν τῶν Οὐολούσκων. Id est: *Postumus Cominius primos Volscos adoriendos ratus, primo impetu cepit opidum eorum Longulam. Et, relicto ibi præsidio, cum exercitu ad aliud Volscorum nomine Poluscam contendit, haud procul ab Longulâ distitum. Heic quoque relictâ modicâ præsidiariorum manu, sequenti die exercitum ad Coriolos duxit, urbem admodùm nobilem, & Volscorum veluti caput.* Quum κῶ illud ante Διάσημα abundaret, nullumque posset habere locum; opidum verò in Volscis reperiretur apud alios auctores nullum nomine Πόλυσκα: peritissimè duas eas voces doctissimi viri ut vitiosas correxerunt in unum opidi vocabulum Πολῦσκα, *Poluscæ*. ne autem postrema syllaba ex vitiosâ voce κῶ omnis pereat; scribendum porrò ego censeo, τὸ Διάσημα. Confirmat hanc emendationem etiam sequens historia Dionysii lib. VIII; ubi ita scribit de Cn. Marcio Coriolano: Ἐπιβαλὼν δὲ τῇ καλουμένῃ Λογγόλᾳ, καὶ γρόμῳ αὐτῆς ἐγκρατὴς, ἐπὶ τὴν Σατρικανῶν ἤλαυνε πόλιν. ἑλὼν δὲ καὶ ταύτην, καὶ ἀναλαβὼν τὴν δύναμιν, ἦγεν ἐπὶ πόλιν ἄλλην τὴν καλουμένην Κετίαν. γρόμῳ δὲ καὶ ταύτης ἐγκρατὴς, καὶ διαρπάσας, εἰς τὴν Πολυσκανῶν χώραν ἐνέβαλεν. ἃ δυνηθέντων δὲ ἀντισχεῖν τοῖς Πολυσκανῶν, κατὰ κράτος ἑλὼν καὶ αὐτὰς, ἐπὶ τὰς ἑξῆς ἐχώρει. Hoc est: *Adgressus Longulam, eâ expugnatâ, adversùs Satricanorum urbem profectus est. hac quoque captâ, exercitum porrò duxit ad aliud opidum, Cetiam nomine. & hoc item expugnato, direptoque, in Poluscanorum agrum irrupit. qui quum ei resistere nequirent, expugnato eorum quoque opido, ad cætera perrexit.* In eâdem rerum à Marcio Coriolano gestarum historiâ Livius dicto lib. II posteà, *Satricum*, inquit, *Longulam, Polluſtiam, Coriolos, novella hæc Romanis opida ademit.* In his Polluſtiam sine mendo sic scribi, fidem quidem faciebant Plinii exemplaria. in his quidpe lib. III cap. V sunt incolæ eius opidi *Polluſtienses.* attamen superiori illo loco *Polluscam* scripsisse ipsum Livium, persvadet vox *Mucamitem*; pro qua scribendum haud dubiè ex priore Dionysii loco, *Poluscam item.* ut sensus integer sit hic: Inde protinus Poluscam item Volscorum cepit. Bifariam igitur formatum fuisse videtur huius opidi vocabulum; POLVSCA, & POLVSTIA, sive POLLVSTIA. ab hoc opidani erant POLLVSTINI, ab illo POLVSCANI; ut ab Longulâ LONGVLANI. Quod nam autem illud fuerit opidum Dionysii Κετία, CETIA; item, an satis sanum incorruptumque sit vocabulum, haud facilè quis dixerit. neque enim eorum placet sententia, qui emendare id conati sunt in Σητίαν. hoc quidpe opidum longiùs hinc distitum fuit. Longulæ iterum meminit Dionysius eodem lib. VIII posteà: Θάπρον δὲ, inquit, στρατόμα

λαβὼν

Λούκιος ἔχων, ἐπὶ τὴν Ἀντιατῶν ἦγε πόλιν. ἐγγὺς δὲ ὄντος τῶν ὀρέων, καὶ καλιδῶν τὰς τῶν πολεμίων δυνάμεις, πόρρω μὲν αὐτὸς καταπήδυσεν ἐπὶ λόφου. * — * · τῇ δ' ἐπιούσῃ νυκτὶ αἰσθόμενος τὴν φάλαγγα ὁ ὕπατος, ἀπῆγε σιγῇ καὶ ἐν κόσμῳ, λαθεῖν τὰς πολεμίους πειρώμενος, καὶ καταπήδυσε πρὸς πόλιν λεγομένην Λογγόλαν, ἐπὶ δείλῳ ὄφει, χηλοφοινίκαιον ἐρύκουσαν ἐπίνειαν ἐκλεξάμενος. Hoc est: *Alterum exercitum Lucius duxit ad Antium. jamque propinquus montibus, conspectis hostium copiis, ex adverso castra posuit in tumulo. Vincuntur heic Romani. itaque sequenti nocte consul exercitum servatis ordinibus silentio abduxit, datâ operâ, ne sentiret hostis. & sub vesperam demum castra posuit ad opidum Longulam in terreno quodam tumulo, ad arcendam vim idoneo.* At SATRICVM opidum frequenter memoratur Livio lib. VI: *Fugientium*, inquit, *ex agro Pomptino agmen, repentè illatum in Vrbem attulit, Antiates in armis esse.* Aliquanto pòst: *Furius ac Valerius ad Satricum profecti: quò non Volscorum modò juventutem Antiates ex novâ sobole lectam, sed ingentem Latinorum Hernicorumque conciverant ex integerrimis diutinâ pace populis.* Et posteà: *Senatus Satricum coloniam duo millia civium Romanorum deduci jussit. bina jugera & semissem agri adsignati.* Ac deinde: *Ab Antio Satricum, ab Satrico Velitras, inde Tusculum legiones ductas.* Iterum: *Iisdem opibus obtinuêre, ut adversùs Latinos Volscosque, qui conjunctis legionibus ad Satricum castra habebant, treis exercitus scriberent: unum ad præsidium Vrbis; alterum, qui, si qui alibi motus exstitisset, ad subita bella mitti posset; tertium, longè validissimum P. Valerius & L. Aemilius ad Satricum duxêre.* Paullo pòst: *Fusi hostes, quum Satricum, quod duobus millibus inde aberat, non castra peterent, ab equite maximè cæsi. castra capta direptaque. Ab Satrico nocte, quæ prælio proxima fuit, petunt Antium. & quum Romanus exercitus propè in vestigiis sequeretur; plus tamen timor, quàm ira, celeritatis habuit. priùs itaque mœnia intravêre hostes; quàm Romanus extrema agminis carpere aut morari posset.* Mox: *Ira & rabies Latinorum, quia nec Romanos bello lædere, nec Volscos in armis retinere potuerant, eò erupit, ut Satricum urbem, quæ receptaculum primum eis adversæ pugnæ fuerat, igni concremarent.* Et lib. VII: *Eodem anno Satricum ab Antiatibus coloniæ deducta: restitutaque urbs, quam Latini diruerant.* Mox: *Tertio anno post Satricum restitutum à Volscis M. Valerius Corvinus secundùm consul cum C. Retilio factus, ad Satricum exercitu infesto pergit. quo quum Antiates aliique Volsci præparatis jam antè, si quid ab Româ moveretur, copiis occurrissent, nulla mora inter infensos diutino odio dimicandi facta est. Volsci certamine victi, fugâ effusâ Satrici mœnia petunt. &, ne in muris quidem satis firmâ spe, quum coronâ militum cinctâ, jam scalis caperetur urbs, ad IIII. millia, præter multitudinem imbellem, sese dedidêre. opidum dirutum atque incensum. ab æde tantùm matris Matutæ abstinuêre ignem.* Restitutum id iterum fuisse opidum, patet ex initio libri VIII; ubi ita scriptum: *Volscorum item exercitum, duce Antiati populo, consedisse ad Satricum, allatum est.* Vnde illud multis annis posteà, lib. XXVIII: *Multa prodigia nunciabantur. Tarracinæ Iovis ædem, Satrici matris Matutæ de cœlo tactam. Satricanos haud minus terrebant in ædem Iovis foribus ipsis duo prolapsi angues.* Atque ex hactenus allatis satis jam patet, dicta Volscorum opida, *Satricum*, *Longulam*, *Polusçam*, unà cum *Coriolis*, sita fuisse inter Velitras, Lanuvium, Ardeam, & Antium, Asturamque flumen: eo scilicet ordine, quo modò recensui: ita, uti Satricum Velitris & Lanuvio, Corioli Ardeæ & Antio fuerint proximi; reliqua duo in eorum medio. Certum singulis dispicere locum, haud meæ divinationis est. De cæterò *Satrici* meminerant quoque Diodorus, Velleius, Stephanique epitomator: sed apud omnes nomen eius in vulgatis nunc exemplaribus corruptum est. Apud Stephani epitomatorem sic legitur: Σατρία, πόλις Ἰταλίας. τὸ ἐθνικὸν Σατρανὸς, ὡς Διονύσιος, id est: *Satria, urbs Italiæ. gentilitium inde Satrianus; ut habet Dionysius.* Quum nullos Dionysios habeat Satrianos; nec ullos alios populos, quorum nomen isti vocabulo adsimiletur; haud dubium est, quin ipse Stephanus ex Dionysii suprà scripto loco sumpserit Σατρικανούς, unde ipse nomen urbis formavit Σάτρικα. Apud Velleium lib. I ita scriptum est: *Post VII annos, quàm Galli Vrbem ceperunt, Sutrium deducta colonia est; & post annum Setia.* Quum suprà lib. II cap. III, in Etruriæ descriptione abundè ostensum sit, Sutrium circa istud tempus non fuisse deductam coloniam: Livius verò suprà dicto lib. VI Satricum colonis occupatum referat anno V post Romam à Gallis captam; haud dubium est, quin & ipse Velleius scripserit *Satricum*.

tricum. Porrò apud Diodorum lib. XIIII hæc leguntur: Ἐν Ῥώμῃ ἦ τ ὑπαλκίλιω ἐξελὼ δώκεν χιλιάρχοι τρεῖς, Μάρκ. Φούρ., Γάϊ. Αἰμίλι., καὶ Κάτλ. Βῆρ. * — * , Κατὰ ἦ τ Ἰταλίαν Ῥωμαῖοι πρὸς Φαλίσκους εἰρήνην ποιησάμενοι, πρὸς ἦ Αἰτωλὲς πόλεμον τὸ τέταρτον, ἐ Σάτρικον ἔδρι ὥρμησαν, ὁκ ἦ Οὐέρρηγίν. πόλεως ὑπὸ τ πολεμίων ἐξεβλήθησαν. Id est: *Romæ consulari potestate tribuni erant tres, M. Furius, C. Aemilius, & Catulus Verus.* Et ad finem rerum eo anno gestarum: *In Italiâ Romani post pacem cum Falisci firmatam, bellum cum Aetolis gesserunt quartum. & Sutrium quidem expugnarunt; ex Verregine autem opido ab hostibus ejecti sunt.* Pro vocibus istis: Φούρ., Αἰτωλὲς, Οὐέρρηγίνος, legendum esse Φούρ., Αἰκλὲς, Οὐέρρηγίν., patet haud obscurè ex Livii lib. v; ubi ita refert: *Creati tribuni militum consulari potestate L. Furius Medullinus sextùm, C. Aemilius, L. Valerius Poplicola, Sp. Posthumius, P. Cornelius iterum.* Et posteà, eodem anno: *Falisci in stipendium militum eius anni, ut populus Romanus tributo vacaret, pecunia imperata. pace data, exercitus Romam reductus.* Paullo pòst: *Eodem anno in Aequis variè bellatum: adeò, ut in incerto fuerit & apud ipsos exercitus & Romæ, vicissent victine essent. Imperatores Romani fuêre ex tribunis militum C. Aemilius & Sp. Posthumius. primò rem communiter gesserunt. fusis inde acie hostibus, Aemilium præsidio Verruginem obtinere placuit; Posthumium fineis vastare. ibi eum incomposito agmine negligentiùs ab re benè gestâ euntem adorti Aequi, terrore injecto, in proximos compulêre tumulos: pavorque inde Verruginem etiam ad præsidium alterum est perlatus.* Exiguo pòst: *Et hostes, nocturnam fugam ex tumulo Romanorum ut ab eâ viâ, quæ ferebat Verruginem, excluderent, fuêre obvii. prœliumque ante lucem commissum est: & haud incertius diurno prœlium fuit. sed clamor Verruginem perlatus, quum castra Romana crederent oppugnari, tantum injecit pavoris, ut, nequidquàm renitente atque obsecrante Aemilio Tusculum palati fugerent.* Non quartum hoc demum fuisse Romanis bellum cum Aequis, ex cunctis Livii præcedentibus patet libris. Sed Sutrium, Etruscorum opidum, nihil huc pertinere, ex ipso satis liquet Diodoro: quum manifestò adfirmet, Aequico isto bello Romanos opido quidem illo altero, cuius heic nomen corruptum in *Sutrium*, potitos esse, at Verruginem amisisse. Quapropter legendum ego putem Σάτρικον, *Satricum*. quod quum opidum fuerit in Volscis, Aequorum finitimis; facilè Diodorus, qui omnia ferè Romana, ut externa sibi & aliena, nimis confusè recenset, Aequorum historiæ admiscuisse potuit. Quin & ipsum opidum Verrvgo Volscorum fuit, in confinio Aequorum. Livius lib. IIII, in consulatu M. Genucii Augurini & C. Curtii Philonis, anno Vrbis CCCX: *Læti audière patres, Volscos Aequosque ab communitam Verruginem fremere.* Valer. Maximus lib. III cap. II: *C. Sempronio Atratino consule cum Volscis apud Verruginem parum prosperè dimicante, ne acies nostra jam inclinata propelleretur; equis delapsa juventus Romana, se ipsam centuriavit, atque hostium exercitum rupit.* Consul fuit C. Sempronius Atratinus cum Q. Fabio Vibulano anno Vrbis CCCXXXII. itaque Livius in horum consulatu de eâdem Romanorum cum Volscis pugnâ ita narrat: *Tantus ab imprudentiâ eventus utraque castra tenuit pavor, ut, relictis saucis & magnâ parte impedimentorum, ambo pro victis exercitus se in montes proximos reciperent.* Posteà: *Tempanius, priusquàm Volscos cognitus error reduceret, quibus poterat saucios ductis secum; ignarus, quam regionem consul petisset; ad Vrbem proximis itineribus pergit.* Et deinde: *Quum hæc [Romæ] agerentur, jam viâ Lavicanâ ad fanum Quietis erat. eò missa plaustra jumentaque alia ab Vrbe, exercitum, adfectum prœlio ac viâ nocturnâ, excepêre.* Posteà: *Non diutius fortuna Aequis indulsit: qui ambiguam victoriam Volscorum pro suâ amplexi fuerant. Proximo anno, ductu Fabii, quum trepidam tantùm ostendissent aciem Aequi, turpi fugâ funduntur.* Et iterum: *Nuncii veniunt, arcem Carventanam, dilapsis ad prædam militibus, qui in præsidio erant, Aequos, interfectis paucis custodibus arcis, invasisse.* Mox: *Consules ambo profecti sint ad arcem Carventanam, an alter ad comitia habenda substiterit, incertum diversi auctores faciunt. illa pro certo habenda, in quibus non dissentiunt; ab arce Carventanâ, quum diu nequidquam oppugnata esset, recessum: Varruginem in Volscis eodem exercitu receptam: populationesque & prædas & in Aequis & in Volsco agro ingenteis factas.* Deinde: *Tribuni militum [consulari potestate] creati sunt, L. Furius Medullinus, C. Valerius Potitus, Cn. Fabius Vibulanus, C. Servilius Hala.* Mox: *Et in Volscis accepta clades, amisso Verrugine præsidio.* Eamdem rem sub iisdem tribunis ita refert Diodorus prædicto lib. XIIII

antea:

anteà: κατὰ τ Ἰταλίαν Ῥωμαίων φρουρουμένων Ἔρρικαν πόλιν Οὐολσκῶν, ἐπελθόντες οἱ πολέμιοι, τ τι πόλεως ἐκράτησαν, καὶ τ φρουρῶν οὐ πολὺς αὐτῶν ἦν. Id est: *In Italiâ quum Romani Erricam, Volscorum opidum, præsidio tenerent, hostes id invadentes, & ipsum opidum capiunt & plerosque ex præsidiis cædunt.* Nisi Diodorus sua ex diversis habuerit auctoribus, quorum aliis opidum hoc VERRVCA, aliis VERRVGO adpellatum sit; haud levè heic etiam fuerit exscriptorum mendum. Sed ex hactenus allatis clarè patet, opidum hoc Volscorum fuisse in confinio Aequorum; inter Velitras, Coram, & Algidum, Aequorum opidum.

Eodem tractu, in Aequorum simul & Hernicorum confiniis, & alia Volscorum urbs fuit clarissima, Livio ECETRA, Dionysio cum adspiratione Ἐχέτρα, ECHETRA, dicta. unde opidani huic Ἐχετρανοὶ, ECHETRANI, illi ECETRANI. Apud Stephani epitomatorem hæc sunt: Ἐχέτρα, πόλις Ἰταλίας, ἀμφέρει Οὐολσκοις. τὸ ἐθνικὸν Ἐχετρανός· Διονύσι δεκάτῳ τ Ῥωμαϊκῆς ἀρχαιολογίας. Id est: *Echetra, opidum Italiæ, in Volscis opportuno loco situm. gentilitium inde Echetranus; auctore Dionysio Antiquitat. Rom. lib.* X. Apud eumdem breviatorem pusillo antè ita scriptum: Ἐχελία, πόλις Ἰταλίας· ὁ πολίτης Ἐχελιανός. Id est: *Echetia, opidum Italiæ: à quo opidanus Echetianus.* Quum innumera alia etiam opida hic auctor diversis eisque corruptis referat vocabulis; nec usquàm aliàs legatur Italiæ opidum *Echetia*; facilè crediderim, hoc etiam idem esse cum Echetrâ. De hoc ita tradit Dionysius lib. IIII Τυχὼν δὲ τ Λατίνων ἡγεμονίας ὁ Ταρκυίνιος, ἐπρεσβεύσατο πρὸς τὰς Ἑρνίκων πόλεις καὶ πρὸς τὰς Οὐολσκῶν, προκαλούμενος καὶ κατανεύσεις εἰς φιλίαν τε καὶ συμμαχίαν. ὧν οἱ μὲν Οὐολσκῶν ἔθνους δύο πόλεις ἐδέξαντο μόνας τὰς προκλήσεις, Ἐχετρανοί τε καὶ Ἀντιάται. Id est: *Tarquinius Latinæ gentis imperio potitus, legatos misit ad Harnicorum Volscorumque civitates: eorum quoque amicitiam ac societatem expetens. Volscorum duo tantùm populi adsenserunt, Echetrani atque Antiates.* Livius lib. II, in consulatu Ap. Claudii Sabini & P. Servilii Prisci: *Postero die ad Suessam Pometiam, quo confugerant hostes, legionibus ductis, intra paucos dies opidum capitur: captum prædæ datum. inde paullum recreatus egens miles. consul cum maximâ gloriâ suâ victorem exercitum Romam reducit. decedentem Romam Ecetranorum Volscorum legati, rebus suis timentes post Pometiam captam adeunt. his ex senatus consulto data pax; ager ademptus.* Dionysius lib. VI, in rebus eiusdem anni: Ἔτι δὲ πανηγυρίζουσιν αὐτοῖς, πεισθέντα παρῆσαν ἐξ ἔθνους Αὐρύγκων. ἔτος καταστάντες ἀπὸ τοῦ βωμοῦ, ἠξίουν τ Οὐολσκῶν τ καλουμένων Ἐχετρανῶν χώραν, ἣν ἀφελόμενοι οὗτοι Ἐχετρανοὺς Ῥωμαῖοι, κληρούχους εἰς φυλακὴν τοῦ ἔθνους ἐκπεμφθεῖσι δίνημαι, ἀποδιδόναι σφίσι, καὶ τοὺς φρουροὺς ἀπαγαγεῖν ἐξ αὐτῆς. Hoc est: *Nondum finito festo, legati ab Auruncorum gente veniunt. hi in senatum introducti, reposcebant Volscorum Echetranorum agrum, quem populus Romanus, Echetranis ademptum, colonis diviserat in præsidium contra eam gentem missis: deducique inde præsidium postulabant.* Livius lib. III: *Haud dubium erat, quin cum Aequis alter consulum bellum gereret. Itaque Aequi ab Ecetranis Volscis præsidium petiêre. quo cupidè oblato, bellum summâ vi parabatur. Sentiunt Hernici: & prædicunt Romanis, Ecetranum ad Aequos defecisse.* Et eodem libro posteà: *Hernici nunciant, Volscos & Aequos, etsi acciſa res sint, reficere exercitus. Antii summam rei positam: Ecetræ Antiateis colonos palam concilia facere. id caput, eas vires belli esse.* De hoc ita Dionysius lib. VIII: Ὡς δὲ, ἀπαλλαγέντες εἰς τὰς ἑαυτῶν ἕκαστοι πατρίδας, ἐδήλωσαν τοῖς ἄλλοις τ μεγαλαυχίαν, ὅτι μεῖζον ἐξαίρουσιν τὸ γεγονὸς, ἡγανάκτησέ τε πᾶσα πόλις, καὶ κατέχειν τ ὀργὴν οὐκ ἠδυνάτουν. ἀμφεσεβούλευόν τε ἄλλη πρὸς ἄλλην, εἰς μίαν ἀγορὰν πάντας ἠξίουν Οὐολσκοὺς ἐλθεῖν, ὅπως αὐτοῖς χρήσωνται γνώμῃ περὶ τ πολέμου. ἐσωθήσεσθαι ἐξ ἀπόρου πόλεως οἱ τι ἐν τέλει καὶ πολὺς ἄλλος ὄχλος εἰς τ Ἐχετρῶν πόλιν· αὕτη γὰρ ἐδόκει ἐν καλλίστῃ κεῖσθαι χώρᾳ τ ἄλλης ἡ πόλις. Hoc est: *Quum igitur, in suam quique patriam reversi, cæteris popularibus narrassent contumeliam, non sine facti exaggeratione; nulla civitas se ab irâ continuit. missisque opidatim legationibus, totius gentis indictum est concilium; in quo conlatis consiliis de bello ageretur. Convenerunt undique honoratiores pariter & magna reliquæ turbæ multitudo Echetram. hæc quidpe urbs ad cæterarum comitia aptissimo loco sita esse videbatur.* Dionysius iterum lib. X: Ἑρνίκων δὲ ἄγγελοι καὶ σὺν αὐτοῖς πρῆσβυς χρήσιμος, δηλοῦντες, ὅτι Οὐολσκῶν τε καὶ Αἰκανῶν δυνάμεις πολλὴ ἐξεληλύθει, καὶ ἔστι ἐν τῇ αὐτῶν ἤδη γῇ. Φάβιος μὲν οὖν ὅτι τοὺς ἐν τῇ Τυσκλανῶν οὔσας Αἰκανοὺς τ στρατιὰν ἦγε, καὶ ἔσχες ἐλαύνων. τ δὲ οἱ μὲν πλείους ἀπεληλύθεσαν, ἤδη διηρπακότες τ πόλιν, ὀλίγοι δέ τινες ὑπέμενον φυλάττοντες τ ἄκραν. ἀποδιδοὺς δὲ τοῖς Τυσκλανοῖς τὴν πόλιν φάβιος, περὶ δείλην ὀψίαν αὐτοῖσι τὴν στρατιὰν, καθ' ἣν εἶχε τάχος ἤλαυνεν ὅτι σὺν πλείστῃ, ἀκμῶν, περὶ πόλιν Ἀλγιδὸν ἀθρόας εἶναι τὰς τ Οὐολσκῶν

σκων τὴν Αἰκανῶν δυνάμιν. παραμιμψθεὶς δὲ ἡ δι' ὅλης νυκτὸς σωτήριον ὁδὸν, ἐπ' αὐτὸν τὸ ὄρθριον ἐπιφαίνεται τοῖς πολεμίοις ἐς ἑξαπέδιον κλίνοντι ἐν πεδίῳ. ἀλόντων δὲ ἑξαπέδων κατὰ πολλὴν ἀπείρειαν, ἐπόλιν ἐνταῦθα Δικαιάρχειαν χρόνον, ἐπὶ πλὴν Ἐχετραίων πόλιν ἦγε πλὴν δυνάμιν· ἡ τότε μὲν ἐν Οὐολέσκων ἔθνες ἐπιφανεστάτη τῇ ἐν τῷ κραδίῃ τόπῳ μάλιστα κειμένη. Ὁ δὲ ἕτερος τὸ κατάτων Κορνήλιος ἐπὶ τὸν ἐν Ἀντίῳ Ῥωμαίων τὴν Οὐολέσκων ἐλαιῶν. ἐπιτυγχανὲ ἑκάτερα τὰ τῶν ὁμῶν αὐτῶν ἐκδεχομένη. Hoc est: *Hernici quoque eodem tempore nunciabant, Volscos & Aequos, magnâ manu egressos, jam agros suos populari. Fabius itaque contra Aequos properavit Tusculum. Sed harum maior pars, opido direpto, jam discesserant. pauci ad arcis custodiam remanserant. Fabius, reddito civibus Tusculo sub vesperam, quantâ celeritate potuit, in hostem inde movit; audito, ad Algidum esse totum Volscorum Aequorumque exercitum. &, continuato per totam noctem itinere, sub lucem se ostendit hostibus, in campo stativa habentibus. Captis nullo negotio castris, Echetram exercitum duxit: quæ tunc clarissima erat Volscorum & optimo loco sita urbs. Alter consulum Cornelius Antium contra Volscos simul atque Romanos eductis copiis, offendit exspectanteis se in finibus.* Patet ex his, Ecetram longiùs ab Antiatum finibus fuisse disitam. alioquin unus idemque exercitus utramque unâ eadémque expeditione petere potuisset urbem. patet item, Ecetram ultra & Tusculum & Algidum fuisse, inter Coram Volscorum & Anagniam Hernicorum; quâ Volsci Aequis simul & Hernicis fuêre contermini. Atque hunc situm Ecetræ Livii quoque adsignat historia, suprà dicto lib. III, his verbis: *Haud dubium erat, quin cum Aequis alter consulum bellum gereret. Itaque Aequi ab Ecetranis Volscis præsidium petière. quo cupidè oblato, bellum summâ vi parabatur. Sentiunt Hernici: & prædicunt Romanis, Ecetranum ad Aequos descisse.* Et lib. IIII ita scribit idem Livius: *Interim tribunos militum in Volscum agrum ducere exercitum placuit. Tres tribuni postquàm nullo loco castra Volscorum esse, nec commissuros se prælio, adparuit, tripartitò ad devastandos fineis discesserè. Valerius Antium petit; Cornelius Ecetras. quacumque incesserè, latè populati sunt tecta agrosque; ut ita distinerent Volscos. Fabius, quod maximè petebatur ad Anxur oppugnandum sine ullâ populatione adcessit.* Item lib. VI: *Legionibus novis scriptis, placuit duos exercitus in agrum Volscum legionibus divisis duci. Sp. Furius & M. Horatius dextrorsus maritimam oram atque Antium, Q. Servilius & L. Geganius lævâ ad monteis Ecetram pergunt.* Ex his etiam liquet, longiùs ab Antio & orâ maritimâ disitam fuisse *Ecetram*; in montibus scilicet, qui erant in confinio Aequorum Hernicorumque, supra Norbam Signiamque versùs septemtriones. id quod disertiùs etiam testatur Livius dicto lib. IIII posteà, his verbis: *Cum Volscis inter Ferentinum atque Ecetram signis collatis dimicatum. Romanis secunda fortuna pugnæ fuit.*

Eodem tractu fuit & ARTENA *opidum*. Livius eodem lib. IIII proximè perscriptis hæc continuò subnectit: *Artena inde, Volscorum opidum ab tribunis obsideri cœpta.* Mox: *Dirutâ & arce & urbe Artenâ, reductæ legiones ex Volscis.* Sed certum

ARTENA *opidum.*

hûjc dare situm nequiverim,

Per ipsum Pomptinum campum Appia quum strata postmodùm foret via, iter hac in antiquis Itinerariis designatur huiusmodi:

Hierosolymitano:		Tabulæ:			
In urbe Româ		*Româ, via Appiâ*		*Appiâ ab Vrbe*	
Mu. Nono	IX.	*Bobellas*	X.	|	
C. Aricia	VII.	*Aricia*	III.	*Aricia*	XVI.
|		*Sub Lanubio*	....	|	
Mu. Sponsas	XIV.	|		|	
|		*Tres Tabernas*	....	*Tribus Tabernis*	XVII.
Mu. Appî Foro	VII.	. . . . .	X.	*Appî Forum*	XVIII.
Mu. Ad Medias	IX.	|		|	
C. Terracina	X.	*Terracina*	....	*Terracina*	XVIII.

Quum ab ipsâ Aricîâ ad Tarracinam usque XLV circiter sint millia passuum, numeros milliarium in omnibus pariter itinerariis hoc intervallo esse corruptos, certum est. FORVM tamen APPII, cuius nomen haud dubiè in Tabulâ etiam itinerariâ

per-

perſcriptum fuit, circa Nymphæum fuiſſe flumen, inter *Cloſtra*, *Aſturam*, & *Sulmonem*, ex Antonini XVIII, Hieroſolymitani verò itinerarii XVIIII millibus paſſuum, quæ ab *Appii foro* Tarracinam usque ſatis unanimo conſenſu ponunt, diſpicitur. Apud Antoninum quum toto illo inter Ariciam & Tarracinam itinere VII millia abundent; haud dubiè & ipſe in Treis Tabernas & Appii forum ſcripſerat X millia, quæ hoc ſpacio in Tabulâ itinerariâ exſtant. Ex hoc igitur millium numero, ſimulque ex illo, quem incorruptum Antoninus habet à Tribus Tabernis ad Ariciam XVII millium, ipſæ TRES TABERNAE apud Aſturam flumen fuiſſe deprehenduntur, ubi locus nunc vulgò vocatur *Ciſterna*. Memoratur Forum Appii Ciceroni quoque & Horatio ac Plinio Svetonioque & Actis Apoſtolorum. Tres autem Tabernæ memorantur eidem Ciceroni & Apoſtolorum actis. Cicero ad Atticum lib. I epiſt. XIII: *Accepi tuas treis jam epiſtolas. unam à M. Cornelio: quam à Tribus ei Tabernis, ut opinor, dediſti.* Et lib. II epiſt. II. *Emerſeram commodè ex Antio in Appiam ad Treis Tabernas, quum in me incurrit Româ veniens Curio meus.* Et Epiſt. XV. *Ludos Antii ſpectare non placet. quare ad Nonas Maias te in Formiano exſpectabo. nunc fac, ut ſciam, quo die te viſuri ſimus. Ab Appii Foro, horâ IIII. Dederam aliam paullo antè à Tribus Tabernis.* Acta Apoſtolorum capite ultimo, vers. XIIII & XV: Καὶ οὕτως εἰς τὴν Ῥώμην ἤλθομεν. κἀκεῖθεν οἱ ἀδελφοὶ ἀκούσαντες τὰ περὶ ἡμῶν, ἐξῆλθον εἰς ἀπάντησιν ἡμῖν ἄχρις Ἀππίου Φόρου καὶ Τριῶν Ταβερνῶν. Id eſt: *Atque ita contendimus Romam. unde fratres, quum de nobis audiviſſent, profecti ſunt nobis obviam ad Appii usque Forum & Treis Tabernas.* Horatius Satyrâ V libri primi:

Egreſſum magnâ me excepit Aricia Româ
Hoſpitio modico. rhetor comes Heliodorus,
Græcorum longè doctiſſimus, inde Forum Appî,
Diſſertum nautis cauponibus atque malignis.

Quinam hi fuerint *nautæ*, ſuperiori capite ad expoſitionem paludis ſimul & foſſæ Pomptinæ intellectum eſt. De cætero ita eſt in antiquis ad Horatium ſcholiis: *Forum Appii nomen eſt opidi.* Plinius lib. XIIII cap. VI: *Divus Auguſtus Setinum vinum prætulit cunctis. Naſcitur ſupra Forum Appii.* Heic ſanè etiam ſitus *Fori Appii* in XVIII illa millia paſſuum, quæ præſcripta Itineraria ab eo ad Tarracinam usque habent, egregiè congruit. nam rectè *Setia* è montibus ei loco imminet. Idem Plinius lib. III cap. V ita ſcribit: *In monte Albano Foropopulienſes. ex Falerno Fruſinates, Ferentinates, Freginates, Fabraterni, Ficolenſes, Fregellani, Foroappi, Forentani, Gabini.* Heic ipſos Appii Fori incolas adpellaſſe videtur Foroappios. at, qua id ei factum analogiâ, equidem diſpicere nequeo, & maximè miror: utique, quum & heic paullo antè ei dicantur Foropopulienſes, & eiusdem libri cap. IIII Foroneronienſes, & cap. XIIII Foroflaminienſes, Forojulienſes, Foroſempronienſes: cap. XVI Forovilienſes, & Forocornelienſes; cap. XVIIII alii Forojulienſes: à Populi, Neronis, Flaminii, Iulii, Sempronii, & Cornelii, Foris. ad quem modum, à Foro Appii etiam dicendi erant FOROAPPIENSES. Originem loco haud dubiè dedit Appius ille Claudius, quianno urbis Romæ CCCCXLII, M. Valerio Maximo & P. Decio Mare conſulibus, ante natum Ieſum anno CCCXI, cenſor cum C. Plautio creatus, *viam Appiam* ſilice ſtravit; teſte Livio lib. VIIII, Diodoro lib. XX, & aliis auctoribus. ſic quidpe & Forum Aurelii, & Forum Claudii, & Forum Caſſii, & Forum Flaminii, & Forum Aemilii, in Aureliâ, Claudiâ, Caſſiâ, Flaminiâ & Aemiliâ viis ab ipſarum viarum auctoribus fuêre & dicta & condita. Hinc illud Svetonii in vitâ Tiberii cap. II: *Claudius Druſus, ſtatuâ ſibi cum diademate ad Appii Forum poſitâ, Italiam per clientelas occupare tentavit.* Cæterùm Tres Tabernæ, præter ſuprà dictos auctores aliis quoque memorari creduntur. Paul. Diaconus Hiſt. miſcellæ lib. X: *Sed adversùm motum prætorianorum atque Maxentii Severus Cæſar miſſus Romam à Galerio, cum exercitu venit: obſidensque Vrbem, militum ſuorum ſcelere deſertus, ab Herculio ad Treis Tabernas exſtingvitur. funusque eius Gallieni ſepulcro infertur; quod ab Vrbe abeſt per viam Appiam millibus novem.* Et Paulli compilator, in Epitome de Cæſaribus, quæ Sex. Aurelii Victoris nomini vulgò adſcribitur: *Severus ab Herculio Maximiano Romæ ad Treis Tabernas exſtingvitur: funusque eius Gallieni ſepulcro infertur; quod ab Vrbe abeſt per viam Appiam millibus novem.* Sed aliter hanc rem refert gravior Diacono antiquiorque ſcriptor Zoſimus lib. II: Σεβῆρος, inquit, ἀνῃρέθη εἰς τὴν Ῥ᾽άβενναν, πόλιν

πάλιν ὀχυρὰν τὴ καὶ πλουσίαν θρεπτὸν, καὶ τροφῶν ἔχουσαν πλῆθος. παῦτα γνοὺς Μαξιμιανὸς ὁ Ἡρκύλιος, καὶ ὑπὲρ τῦ παιδὸς εἰκότως ἀγωνιῶν Μαξεντίυ, τὴ Λυκανίας ἐξορμήσας, ὅπῃ τῷ Ῥάβενναν ἤδη. σωιδῶν δὲ, ὡς οὐκ αὖ ἄκων τῦτης ἐκβληθείη Σεβῆρος, ἀσφαλῶς τε ἔσης ἐ τροφὰς ἐχούσης Ἡρκύσους, ὄρνισις ἀπατήσας, ὅπῃ τῷ Ῥώμῃ ἐλθεῖν ἔπεισε. διϊόντα τοίνυν αὐτὸν, καί εἰς τι χωρίον ἐλθόντα, ᾧ Τρία Καπηλεῖα προσηγορία, λόχος ἐγκαθίσας αὐτόθι ᾧδε Μαξεντίυ, συλλαβὼν καὶ βρόχῳ τ τράχηλον δήσας, ἀπέκτεινεν. Id est: *Severus fugâ Ravennam se contulit, urbem munitam atque populosam & alimentorum copiâ refertam. Id quum Maximianus Herculius intellexisset, & de filio Maxentio non abs re solicitus esset; Lucaniâ relictâ, Ravennam contendit. quum verò considerasset, Severum hac invitum ejici non posse; quòd munita esset, & annonis idoneis instructa: sacramentis circumvento, Romam uti veniret persuasit. quò ille pergens, quum ad locum quemdam venisset, quem Treis Tabernas vocant; ab insidiis, quas ibi Maxentius locaverat, comprehensus necatur, insertâ laqueo cervici.* Ex hac sanè narratione locus iste *ad Treis Tabernas* inter Romam fuit & Ravennam. Et fuisse heic eo nomine locum inter Interamnam Spoletiumque, suprà lib. II cap. VII intellectum est. Locum igitur interitus Severi diversitas tradentium incertum reddidit. De reliquo liquet ex Zosimi verbis *Treis* istas *Tabernas* in viis publicis nihil aliud fuisse, quàm treis cauponas seu tria diversoria publica. id enim propriè significant Græcis καπηλεῖα· quæ Strabo lib. V πανδοκεῖα æquipollenti vocabulo dixit in viâ Lavicanâ; quas *Pictas tabernas* Romanis adpellatas fuisse, suprà cap. IIII huius libri III intelleximus.

Porrò quum millia passuum, ut suprà perspectum, inter *Ariciam & Forum Appii* fuerint XXVII; in Hierosolymitano itinerario id intervallum sic consignatum fuisse censeo:

C. Aricia	
Mu. Sponsas	XIV.
Mu. Appî Foro	XII.

Locus igitur iste AD SPONSAS tria circiter millia passuum à *Tribus Tabernis* abfuit, Romam euntibus.

Alter verò ille locus AD MEDIAS medio ferè fuit itinere inter *Forum Appî* & *Tarracinam*. unde ei nomen quæsitum existimo. Adparet tamen ex prædicto itinerario, paullo longiùs ab Tarracinâ abfuisse, quàm ab Appii Foro.

Atque hactenus opida aliaque loca in Pomptino campo & circa eum sita nobis explicita sunt. Vltra hæc, in viâ Latinâ VII millia passuum ab Hernicorum opido Ferentino est *opidum* perantiquum Volscorum FRVSINO, vulgò nunc *Fraselone* dictum. Memoratur Plauto, Livio, Diodoro, Straboni, Silio, Iuvenali, Frontino, Ptolemæo, & Antonino. Opidani inde vocantur FRVSINATES. Cicero ad Atticum lib. XI epist. IIII: *Ex proximis [literis] cognovi, prædia non venisse. De Frusinati, si modò futuri sumus, erit mihi res opportuna.* Epist. XIII: *De fundo Frusinati intellexisti voluntatem meam.* Livius lib. XXVI: *Q. Fulvius consul, quum Hannibalem Latinâ viâ iturum satis comperisset; ipse per Appiæ municipia, quæque propter eam viam sunt, Setiam, Coram, Lanuvium, præmisit, ut commeatus paratos & in urbibus haberent & ex agris deviis in viam proferrent.* Aliquanto pòst: *Hannibal, infestiùs perpopulato agro Fregellano propter incisos ponteis, per Frusinatem Ferentinatemque & Anagninum agrum in Lavicanum venit.* Itineraria antiqua iter hoc sic referunt:

Antonini:		Antonini:		Tabulæ:	
Ferentino		*Ferentino*		*Ferentinum*	
Frusinone	VII.	*Frusinone*	VII.	.....	VII.
Fregellano	XIIII.	*Fregellano*	XIIII.	.....	....
		Fabraterias	III.	*Fabraterie*	....
				Melfel	IIII.
		Aquino	VIII.	*Aquino*	IIII.
		Casino	VII.	*Casinum*	VIIII.

In Tabulâ vocabulum *Frusinonis* interiisse, patet ex numero VII millium, quæ eo itinere sine loci nomine visuntur. Apud Strabonem equidem atque Ptolemæum legitur

legitur id tertiâ declinatione formatum, apud hunc τὸ Φρέσινον, apud illud τὸ Φαρέσινον. verùm quia & Plauto Diodoroque Græcè vocatur ὁ Φρεσινών, & Romanis pariter omnibus Latinè *Frusino*, *Frusinonis*: quis dubitet, quin illis etiam duobus scriptum fuerit eodem masculino genere? Plauti verba hæc sunt in Captivis:

HEG. *Iam diu?* ERG. Νὴ τὰν Περσικὸν. HEG. *Venit?* ERG. Νὴ τὰν Σιγλιᾶν.
HEG. *Certon?* ERG. Νὴ τὸ Φρεσινῶνα. HEG. *Videsis.* ERG. Νὴ τὸ Λάτιον.
HEG. *Quid tu per Barbaricas urbeis juras?*

Silius lib. VIII: ——— *Detritaque bellis*
Suessa, atque à duro Frusino haud imbellis aratro

Et lib. XII: ——— *Mox & vicinus Aquinas,*
Et quæ fumantem texere giganta Fregellæ
Agmine carpuntur volucri. fert concitus inde
Per juga celsa gradum, duris quà rupibus hæret
Bellator Frusino.

Iuvenalis Satyrâ III:

Si potes avelli Circensibus, optima Soræ
Aut Fabrateriæ domus aut Frusinone paratur.

Volscorum fuisse opidum, ex Livio colligo; qui sub initium lib. X ita tradit: *Frusinates tertiâ parte agri damnati, quòd Hernicos ab eis solicitatos compertum.* Ergo ipsi non fuêre Hernici. & gens heic ab austro nulla alia Hernicis contermina, nisi Volsci: quorum fuisse Fregellas, Soram, Atinam, opida Frusinoni propinqua, mox infrà videbimus. Quin & ipsum Ferentinum ab initio fuisse Volscorum gentis, posteà de his captum à Romanis & Hernicis donatum, suprà cap. VI intelleximus. Diodorus lib. XX eamdem cum Livio referens historiam: Φρεζινῶνα ἑλόντες ἐπολιόρκησαν οἱ Ῥωμαῖοι, ἀπέδοντο τὴν χώραν. Id est: *Romani Frusinone expugnato, agrum venum dedêre.* Atque hæc vetustissima opidi est memoria, in consulatu L. Genucii Aventinensis & Ser. Cornelii Lentuli, anno urbis Romæ CCCCL. Coloniam fuisse Romanorum, auctor est Frontinus in libro de Coloniis. *Frusino*, inquit, *opidum muro ductum. ager eius veteranis est adsignatus.* Festus inter *præfecturas* computat: uti suprà ad *Priverni* expositionem citatum.

Cæterò FREGELLANVM istud (sic namque scribendum gemino ll.) Fregellani agri puto fuisse diversorium, in viâ Latinâ, haud procul opido, quod Auctori ad Herennium, Livio, Straboni, Silio, plurali numero dicitur FREGELLAE; Dionysio autem, & ex hoc Stephani epitomatori, singulariter FREGELLA. Stephani epitomator: Φρεγέλλα, πόλις Ἰταλίας. τὸ ἐθνικὸν Φρεγελλανὸς, ὡς Διονύσιος ὁ ἐκ Ῥωμαϊκῆς ἀρχαιολογίας, καὶ ἄλλοι πλείους. Id est: *Fregella, urbs Italiæ. gentilitium inde Fregellanus: ut habet Dionysius Romanar. antiquit. lib.* VI, *& complures alii.* Credo, scriptum fuisse ab ipso Stephano ἐκκαιδεκάτῳ, id est, *lib.* XVI. nam lib. VI nihil tale exstat. Excerpta legationum hæc verba è Dionysio referunt: Ἀνταναλέσομέν τι ὑμᾶς, εἰ βούλεσθε τὰ δίκαια ποιεῖν, ἐκχωρεῖν Φρεγέλλης. Id est: *Vicissim à vobis postulamus, si, quod justum est, facere vultis, uti Fregella excedatis.* Auctor ad Herennium: *O perfidiosæ Fregellæ! quàm facilè scelere vestro contabuistis.* Silius lib. XII:

Et quæ fumantem texêre giganta Fregellæ.

Opidani inde Plinio lib. III cap. V & compluribus aliis auctoribus dicuntur FREGELLANI. Situm opidi leviter indicavit Strabo lib. V: Φρεγέλλαι, inquit, πρὸ λίθου ὁ Λῖρις ῥεῖ, ὁ εἰς τὰς Μινθούρνας ἐκδιδούς. Id est: *Fregellæ: quam urbem præterfluit Liris, ad Minturnas sese effundens.* Fluvius hic vulgò nunc vocatur *Il Garigliano.* Straboni consentiens Livius lib. XXVI, *Hannibal*, inquit, *quo die Vulturnum est transgressus, haud procul à flumine castra posuit. postero die præter Caleis in agrum Sidicinum pervenit. ibi diem unum populando moratus, per Suessulam Allifanumque* [omnino scribendum, *per Suessanum Venafranumque*]: quod infrà suo loco firmabitur] *& Casinatem agrum viâ Latinâ ducit. sub Casinum biduo stativa habita: & passim populationes factæ. inde præter Interamnam Aquinamque in Fregellanum agrum ad Lirim fluvium ventum: ubi interciſum pontem à Fregellanis, morandi itineris causâ invênit.* Paullo post: *Hannibal infestiùs perpopulato agro Fregellano propter interciſos ponteis, per Frusinatem Ferentinatemque & Anagninum agrum in Labicanum venit. inde Algido Tusculum petiit.* Eiusdem viæ Latinæ opida ita enarrantur Straboni dicto lib. V: Ἐπ' αὐτῆς τῆς Λατίνης εἰσὶν

Plinio-

Φρίσημοι καπικίαι Ϛ πόλις, Φερεντῖνον, Φρυζινῶν, παρ' ἰῶ ὁ Κόσας ῥεῖ παῤῥαμὸς· Φαβρατερία, παρ' ἰῶ ὁ Τρῆρ@ ῥεῖ· Ἀκυῖνον, μεγάλη πόλις, παρ' ἰῶ ὁ Μέλπις ῥεῖ παῤῥαμὸς μέγας. Ἰντεραμνίου, ἐν συμβολῇ δυοῖν παῤῥαμῶν κείμενον, Λείριός τε καὶ ἑτέρα· Κασῖνον, Ϛ αὕτη πόλις ἀξιόλογ@, ὑστάτη τ Λατίνων. τὸ γὰρ Τέανον, τὸ καλούμενον Σιδικῖνον, ἐφεξῆς κείμενον, ἐκ Ϛ ὀνόματος δηλοῦσι, ὅτι τ Σιδικίνων ἐστί· (ἕπεται Ὄσκοι·) καὶ αὕτη μεγίστη οὖσα τ ὑπὸ τῇ Λατίνῃ πόλεων· Ϛ ἡ ἐφεξῆς ἡ τ Καλενῶν, καὶ αὕτη ἀξιόλογ@, σαφάνισμα τῷ Καζιλίνῳ. Ε'φ' ἑκάτερα δὲ τ Λατίνης, ἐν δεξιᾷ μὲν εἰσιν αἱ μεταξὺ αὐτῆς καὶ τ Ἀππίας, Σητία τε Ϛ Σιγνία· πρὸ δὲ ταύτης ἐστὶ Πρίβερνον καὶ Κόρα Ϛ Σύεσσα Πωμητίνων καὶ Οὐέλιτραι καὶ Ἀλέτριον, ἔτι δὲ Φρεγέλλαι. Id eſt: *In ipsâ viâ Latinâ ſunt nobilia opida atque urbeis, Ferentinum, Fruſino; Cosâ amne præfluente: Fabrateria: quam Trerus præfluit: Aquinum, urbs magna: præter quam magnus fluvius Melpis labitur: Interamnium, ad confluenteis duorum amnium, Liris & alterius, ſitum: Caſinum: ipſa quoque memoratu digna urbs, Latinarum ultima. quidpe Teanum Sidicinum, quod ſequitur, ipſo cognomento oſtendit, ad Sidicinos ſe pertinere, qui ſunt Oſci. cæterùm urbium in Latinâ viâ maxima eſt. hanc ſequitur Calenorum urbs; ipſa quoque præclara, & Caſilino proxima. At ab utroque viæ Latinæ latere urbes ſunt, ad dextram, inter eam & Appiam viam, Setia & Signia: ante hanc verò Privernum, Cora, Sueſſa Pometiorum, Velitæ, Aletrium, & Fregellæ.* Sic locum hunc, quamplurimis mendis in vulgatis exemplaribus ſcatentem, eſſe legendum, infrà in cuiusque opidi expoſitione patebit. quamquàm ne illud ſatis placet, πρὸς ᾗ ταύτης ἐστὶ Πρίβερνον· pro quo legere malim, πρὸς ᾗ ταύτης ἐστὶ Πρίβερνον καὶ Κόρα καὶ Σύεσσα· id eſt: *ad hæc ſunt Privernum, Cora, Sueſſa.* Verùm, ut ſuprà ad *Sueſſæ*, expoſitionem dixi, præter librariorum menda, ipſius etiam Strabonis inſunt his verbis errores. nam & *Aletrium* & *Fregellæ* ad ſiniſtrum fuêre Latinæ viæ latus. De *Aletrio* nulla controverſia eſſe poteſt; quando id opidum eodem nomine etiam nunc exſtat. de Fregellis teſtis eſt Antoninus, in præſcripto itinere. ubi poſt Fruſinonem primò ponitur Fregellanum, locus ſub Fregellis, unde cognomen habuit, ſitus: dein *Fabrateria*; quæ hodiéque exſtat, vulgò *Falvaterra* dicta: tum Aquinum: & hinc Caſinum. quem ordinem Livius quoque præſcripto loco adcuratè obſervavit. quidpe adverſo itinere incedens, primò Caſinum, inde Interamnam, Aquinum, Fregellas, & hinc proximè Fruſinonem. Ex hoc igitur documento patet, fuiſſe Fregellas eo ſitu, ubi nunc opidum viſitur apud dextram Liris ripam, vulgari vocabulo *Ceperano*, inſcriptionibus antiquis aliisque vetuſtatis monumentis maximè clarum. Fuiſſe quondam coloniam Romanorum, auctor eſt Livius lib. VIII. *P. Plautio Proculo*, inquit, *P. Cornelio Scapulâ conſulibus, Fregellas (Signinorum is ager, deinde Volſcorum fuerat) colonia deducta.* Quomodò, quæſo, priùs Signinorum, deinde Volſcorum, is ager fuit? ipſa quidpe Signia in Volſcorum fuit agro ſita. &, ſi fuiſſe contendas Signinorum colonorum, quorum opidum Signia à Tarquinio Superbo, ut ſuprà intelleximus, fuit conditum; quis temerè crediderit, agros hisce colonis tam latos fuiſſe adſignatos, uti ab unâ tantùm parte coloniæ, quæ ortum Solis ſpectabat, ad XXX propè millia paſſuum extenſi fuerint? dein, quis crediderit, ſi *Signinis* colonis Volſci Fregellas ademiſſent, Romanos eas vel maximo exercitu non fuiſſe ſtatim repetituros? Lego igitur ego, *Sidicinorum is ager, deinde Volſcorum fuerat*. nam Sidicinos fuiſſe Oſcos, paullo antè teſtem audivimus Strabonem: Oſcos autem eosdem fuiſſe Opicos, proximo hinc capite oſtendetur. unde ita Stephani epitomator: Φρεγέλλαι, πόλις Ἰταλίας· ἡ τὸ μὲν ἀρχαῖον ἦν Ὀπικῶν, ἔπειτα Οὐελίσκων ἐγένετο. Id eſt: *Fregella, opidum Italiæ. quod antiquitus erat Opicorum: poſteà verò Volſcorum fuit factum.* Dirutum aliquando fuiſſe ab Samnitibus, antequàm coloniam eò deducerent Romani, auctor eſt idem Livius eodem libro paullo pòſt. *Non poſſe*, inquit, *diſſimulare, ægrè pati civitatem Samnitium, quòd Fregellas, ex Volſcis captas, dirutasque ab ſe, reſtituerit Romanus populus; coloniamque in Samnitium agro impoſuerit, quam coloni eorum Fregellas adpellent.* Ergo anteà aliud habuit nomen. Reſtitutum autem fuit prædictis conſulibus, P. Plautio Proculo & P. Cornelio Scapulâ; anno poſt Romam conditam CCCCXXVI, ante natum Ieſum CCCXXVII. Secundò hinc dirutum fuit ab ipſis Romanis. Strabo dicto lib. V: Φρεγέλλαι, νῦν μὲν κώμη, πόλις δὲ πάλαι γενομένη ἀξιόλογ@, καὶ τὰς πόλεις τ ἄρτι λεχθησῶν περοικίας πρότερον ἐσχηκυῖα, [locum, jamdudum commentatoribus ſuſpectum, ſic lego; καὶ τὰς πλείστας τ ἄρτι λεχθησῶν καληκόας πρότερον ἐσχηκυῖα] αἱ νῦν εἰς αὐτὴν συνέρχονται, ἀγορᾶς πανηγύρεις καὶ ἱερομηνίας ἄγουσαι. καλεσκάφη δ' ὑπὸ Ῥωμαίων ἀποστᾶσα.

Hoc

Hoc est: *Fregellæ; nunc quidem vicus; at olim urbs celebris, & plerarumque modò dictarum anteà caput. quæ nunc illic conventus ac sacra quædam petunt. Cæterò excisa est ab Romanis, quum defecisset.* Hinc illud Auctoris libri ad Herennium: *O perfidiosæ Fregellæ! quàm facilè scelere vestro contabuistis: ut, cuius nitor urbis Italiam nuper illustravit, eius nunc vix fundamentorum reliquiæ maneant.* Cicero de Lege agrariâ contra Rullum oratione primâ: *Bella cum sociis, Fregellanum, Marsicum.* Breviator Livii lib. LX: *Fulvius Flaccus primus omnium Transalpinos Gallos bello domuit, missus in auxilium Massiliensibus adversùs Salvios; qui populabantur fineis Massiliensium. L. Opimius prætor Fregellanos, qui defecerant, in deditionem accipit; Fregellas diruit.* Consulatum gessit M. Fulvius Flaccus cum M. Plautio Hypsæo anno urbis Romæ ıocxxvıı: ante natum Iesum cxxv. Velleius lib. II: *L. Opimus consul, qui Fregellas exciderat,* Iul. Obsequens in libro de Prodigiis: *P. Plautio, M. Fulvio consulibus, Fregellæ, quæ adversùs Romanos conjuraverunt, dirutæ.* Valer. Maximus lib. II cap VIII: *L. Opimius Fregellanis ad deditionem compulsis, triumphandi potestatem à senatu petiit.* Cæterò apud Diodorum lib. XVIII ita scriptum est in historiâ Samnitici belli: Οἱ μὲν οὖν Ῥωμαίων ὕπατοι μέρος τῆς δυνάμεως ἀναλαβόντες, κατεστρατοπέδευσαν Ῥ τῶν πολεμίων παρεμβολαῖς· καὶ πρὸς μὲν μάχην καιρὸν ἐπετήρουν οἰκεῖον, Ῥ ἡ συμμαχὶς πόλις παρεῖχοντο τὴν ἀσφάλειαν. Τὸ δὲ λοιπὸν στρατόπεδον ἀναλαβὼν Κόϊντος Φάβιος, ὃς ἦν αὐτοκράτωρ ἠρημένος τῶν τε Φρετομανῶν πόλιν εἶλε, καὶ τῶν ἀλλοτρίως διακειμένων πρὸς τὴν Ῥώμην σὺν ὀπφανεστάτοις ἐζώγρησε. τούτους δὲ τὸν ἀριθμὸν ὄντας πλείους τῶν διακοσίων, ἀπήγαγεν εἰς Ῥώμην· ἐ πεδαγωγὼν εἰς τὴν ἀγορὰν, ῥαβδίζας ἐπελέκισε καὶ τὸ πάτριον ἔθος. μετ' ὀλίγον δὲ ἐμβαλὼν εἰς τὴν τῶν πολεμίων χώραν, Κελίαν ἐ τὴν Νωλανῶν ἀκρόπολιν ἐξεπολιόρκησεν. Οἱ δὲ δῆμος, καὶ νεὼν τῶν πραγμάτων ἀπὸ πεχωρούντων, ἀποικίαν ἀπέστειλεν εἰς τὴν νῆσον τὴν Ποντίαν καλουμένην, Id est: *Consules atque Romani, parte copiarum adsumptâ, castris hostium sua objiciunt: & in opportunam pugnandi occasionem intenti, tutam ab hoste sociis urbibus quietem præstant. Cum reliquis copiis Q. Fabius, dictator tum creatus, Fretomanorum urbem occupat; & clarissimos opidanorum, Romanis infensos, capit: & ducentos amplius Romam abductos, in forum produxit; virgisque cæsos more patrio, securi percutit. paullo verò pòst in hostilem irruptione factâ, Celiam & Nolanorum arcem expugnat. Populus itaque, quum successus votis responderet, coloniam in insulam Pontiam misit.* Sic equidem interpres etiam Latinus corruptum vocabulum Φρετομανῶν vertit in *Fretomanorum* nomen: quum corrigendum esset Φρεγελλανῶν, *Fregellanorum*. sic enim Livius lib. VIIII: *Ab novis consulibus L. Papirio Cursore V, C. Iunio Bubulco iterum, nominatus dictator C. Petilius, cum M. Follio, magistro equitum, exercitum accepit. Is, quum audisset, arcem Fregellanam ab Samnitibus captam; omisso Boviano, ad Fregellas pergit. unde, post nocturnam Samnitium fugam, sine certamine receptis Fregellis, præsidioque valido imposito, in Campaniam reditum, maximè ad Nolam armis repetendam. eò se intra mœnia sub adventum dictatoris & Samnitium omnis multitudo & Nolana agrestis contulerant. dictator urbis situ circumspecto, quò apertior aditus ad mœnia esset, omnia ædificia circumjecta muris incendit. nec ita multo pòst, sive à Petilio dictatore, sive à C. Iunio consule (nam utrumque traditur) Nola est capta. Qui captæ decus Nolæ ad consulem trahunt, adjiciunt, Atinam & Calatiam ab eodem captas. Suessa & Pontia eodem anno coloniæ deductæ sunt. Suessa Auruncorum fuerat: Volsci Pontias insulam, sitam in conspectu litoris sui, incoluerant.* Res hæ à variis auctoribus variè traditæ fuêre. unde factum uti C. Petilium dictatorem heic retulerit Livius; Diodorus verò Q. Fabium. Sed diversitas auctorum vel ex hoc maximè adparet, quòd cædem illam ducentûm amplius captivorum non in Fregellanis, sed Soranis factam tradit Livius. sic enim eodem libro haud multo antè scribit: *Ad Soram inde reditum. novique consules, M. Petilius & C. Sulpicius, exercitum ab dictatore Fabio accipiunt.* Et deinde: *Iam Sora capta erat, quum consules primâ luce advenêre: & quos reliquos fortuna ex nocturnâ cæde ac fugâ fecerat, in deditionem accipiunt. ex his CXXV, qui omnium consensu destinabantur, & infandæ colonorum cædis & defectionis auctores vinctos Romam deducunt: cæteram multitudinem incolumem, præsidio imposito, Soræ relinquunt. omnes, qui Romam deducti erant, virgis in foro cæsi ac securi percussi.* Dubium igitur nullum esse potest, quin vox illa apud Diodorum Φρετομανῶν emendanda sit in Φρεγελλανῶν. Sed & alteram illam Κελίαν vitiatam esse è genuinâ Καλατίαν, paullo antè è Livio intelleximus. neque verò ulla umquàm in his oris fuit urbs *Celia*.

Hinc

FABRATERIA, *colonia.* Hinc FABRATERIA opidum, Ciceroni, Velleio, Straboni, Silio, Iuvenali, ac duobus suprà scriptis Itinerariis memorata, vulgò nunc, ut dixi, vocatur *Falvatera* & *Falvaterra*. Cicero Famil. lib. VIIII epist. XXIIII: Nam & Aquini & Fabrateriæ consilia sunt inita de me. Silius lib. VIII:

Sylla Ferentinos Privernatumque maniplos
Ducebat, simul excitos; Soræque juventus
Addita fulgebat telis. heic Scaptia pubes;
Heic Fabrateriæ vulgus.

Iuvenalis Satyrâ III:

Si potes avelli Circensibus, optima Soræ,
Aut Fabrateriæ domus, aut Frusinone paratur.

Strabo lib. V: Εἶθ' ἑξῆς ἐπ' αὐτῆς τῆ Λατίνης ὁδοῦ εἰσιν Ἔπικομοι κατοικίαι καὶ πόλεις, Φερεντῖνον, Φρουσινών, παρ' ὃν ὁ Κόσας ῥεῖ ποταμός, Φαβρατερία, παρ' ὃν ὁ Τρῆρος ῥεῖ. Id est: *Posthinc in ipsâ Latinâ viâ opida sunt nobilia atque urbes, Ferentinum, Frusino, præfluente Cosâ amne; & Fabrateria; quam Trerus præterlabitur.* Opidani inde dicuntur Livio atque Plinio Priscianoque FABRATERNI. Priscianus lib. II: *Fabrateria, Fabraternus.* Livius lib. VIII: *Creati consules L. Papirius Cursor iterum, L. Plautius Venox. cuius principio anni legati ex Volscis Fabraterni & Lucani Romam venerunt; orantes, ut in fidem reciperentur. si à Samnitium armis defensi essent, se sub imperio populi Romani fideliter atque obedienter futuros.* Annus hic urbis Romæ fuit CCCCXXIIII; ante natum Christum CCCXXVIIII. Hæc igitur antiquissima *Fabrateriæ* est memoria. Coloniam posteà factam Romanorum, testis est Velleius lib. I. *Cassio*, inquit, *Longino & Sextio Calvino, qui Sallues apud aquas, quæ ab eo Sextiæ adpellantur, devicit, Fabrateria colonia deducta est.* Id est, anno post Romam conditam IↃCXXVIII, ante natum Iesum CXXIIII. Plinio lib. III cap. V referuntur *Fabraterni novi, Fabraterni veteres.* Et Romæ inscriptio antiqua marmorea hæc habet verba: FABRATERNOR · NOVOR. Et apud Lirim amnem in ipso opido *Falvatera* alii inscriptioni hæc insunt: FABRATERNI · NOVANI. At *Novam* istam *Fabrateriam* haud magni præ veteri fuisse momenti, vel ex eo colligas, quòd suprà citatis auctoribus una tantùm, sine aliquo cognomine, ut per se satis nota, citatur. & in fragmento Kalendarii antiqui, ubi *nundinæ* recensentur Interamnæ, Minturnis, Romæ, Capuæ, Casini; & ipsa sine cognomine adponitur *Fabrateria*. tum & apud Ceperanum in lapide exstat. IIVIR · AVGVR · FABRAT · sine cognomento. In re tamen tam incertâ certi aliquid statuere nolim.

Reliquum hinc per Volscorum agrum viæ Latinæ iter, quod suprà perscripsi, repetere heic haud abs re fuerit. id sic habet:

Tabulæ:		Antoninus:	
Fabraterie		*Fabrateriæ*	
Melfel	IIII.	|	
Aquino	IIII.	*Aquino*	VIII.
Casinum	VIIII.	*Casino*	VII.

Idem iter Strabonem quoque & Livium referre; nisi, quòd inter *Aquinum* & *Casinum* interponant *Interamnam*: suprà ad Fregellarum expositionem vidimus.

AQVINVM *colonia & municipium.* Infra Treri igitur confluentem, medio itinere inter Fabrateriam & Aquinum Melfes fluvius in eumdem confluit Lirim, sed ab lævâ ripâ: vulgò nunc Melfa dictus; de quo plura infrà in expositione ipsius *Liris* dicentur. AQVINVM, tenue nunc opidum, at episcopali dignitate insigne, vulgò vocatur *Aquino*. Memoratur Ciceroni, Livio, Straboni, Silio, Plinio, Ptolemæo, Spartiano, & præscriptis Itinerariis. Cicero Famil. lib. VIIII epist. XXIIII: Nam & Aquini & Fabrateriæ consilia sunt inita de me. Livius lib. XXVI: *Inde prater Interamnam Aquinumque in Fregellanum agrum ad Lirim fluvium ventum.* Silius lib. VIII:

At qui Fibreno miscentem flumina Lirim
Sulfureum, tacitisque vadis ad litora lapsum,
Adcolit Arpinas, accità pube Venafro,
Alatrinatum dextris socia hispidus arma
Commovet, atque viris ingens exhaurit Aquinum.

Opidani

Opidani inde dicebantur AQVINATES. Idem Silius lib. XII:

——— *Mox & vicinus Aquinas*
Et quæ fumantem texêre giganta Fregellæ
Agmine carpuntur volucri.

Cicero in Philippicâ II: *Ab hac perturbatione religionum advolas in M. Varronis fundum Casinatem.* Paullo pòst: *Casino salutatum veniebant, Aquino, Interamnâ. admissus est nemo. Quum inde Romam proficiscens ad Aquinum accederet; obviam ei processit (ut est frequens municipium) magna sanè multitudo. at iste opertâ lectîcâ latus est per opidum, ut mortuus. Stultè Aquinates. sed tamen in viâ habitabant.* In oratione pro Cn. Plancio: *Nemo Arpinas non Plancio studuit, nemo Soranus, nemo Casinas, nemo Aquinas.* Strabo lib. V: Ἀκυῖνον μεγάλη πόλις ἐστὶ, παρ' ὃν ὁ Μέλπις ῥεῖ ποταμὸς μέγας. id est: *Aquinum urbs est magna; quam magnus præterfluit amnis Melpis.* Haud perinde magnus est amnis. de urbis autem magnitudine idem satis apertè testatur Cicero, dum ait, *frequens esse municipium.* Hinc igitur inscriptio antiqua:

II VIRO · I · D
OB · MVNIFICENT
ET · MERITA · ERGA · REMPVBLICAM

Coloniam etiam quondam fuisse deductam à Romanis, auctores sunt Frontinus, Plinius, atque Tacitus. Frontinus in libro de Coloniis: *Aquinum muro ducta colonia, à triumviris deducta.* Plinius lib. III cap. V: *Intus coloniæ, Capua, Aquinum, Suessa, Venafrum, Sora.* Tacitus Histor. lib. I: *Sepositus per eos dies Corn. Dolobella in coloniam Aquinatem.* Et lib. II: *Occîdi Dolobellam jussit; quem in coloniam Aquinatem sepositum ab Othone retulimus.*

Sequitur hinc INTERAMNA, ad discrimen *Interamnæ* in Vmbriâ LIRINAS cognominata ab *Liri* amne. Memoratur Ciceroni, Livio, ac Straboni. sed huic neutro genere dicitur Ἰντεράμνιον, INTERAMNIVM; ut & illa Vmbriæ urbs Tabulæ itinerariæ vocatur. Opidani ab Interamnâ Lirinate erant INTERAMNATES LIRINATES; & alio cognomine SVCCVSANI. Cicero suprà dictâ Philippicâ II: *Casino salutatum veniebant, Aquino, Interamnâ.* Livius lib. XXVI: *Sub Casinum biduo stativa habita. inde præter Interamnam Aquinumque in Fregellanum agrum ad Lirim fluvium ventum.* Et lib. X: *In agro Interamnati.* Strabo lib. V: Εἶθ' ἑξῆς μὲν ἐπ' αὐτῆς τῆς Λατίνης ὁδοῦ εἰσιν Ἔρητμοι κατοικίαι καὶ πόλεις. Φερεντῖνον, Φρουζινὼν, παρ' ὃν ὁ Κόσας ῥεῖ ποταμός. Φαβρατερία, παρ' ὃν ὁ Τρῆρος ῥεῖ· Ἀκυῖνον μεγάλη πόλις, παρ' ὃν ὁ Μέλπις ῥεῖ ποταμὸς μέγας· Ἰντεράμνιον, ἐν συμβολῇ δυοῖν ποταμῶν κείμενον, Λείριός τε καὶ ἑτέρου· Κασῖνον, καὶ αὕτη πόλις ἀξιόλογος, ὑστάτη τῶν Λατίνων. Hoc est: *Posthinc in ipsâ viâ Latinâ opida sunt nobilia atque urbes, Ferentinum, Frusino, præterfluente Cosâ amne; Fabrateria, quam Trerus præterlabitur; Aquinum, urbs magna, quam Melpis præterfluit fluvius magnus Interamnium, intra confluentes duorum amnium, Liris atque alterius. Casinum, & ipsa illustris, Latinorum ultima.* Hic situs Interamnæ quum tam disertè ab Livio pariter ac Strabone describatur; nempe inter Casinum & Aquinum ad amnem Lirim; miror ego, qua ratione plerique hactenus eam interpretati sint id opidulum, quod longè extra viam Latinam, versûs septemtriones, è regione Arpini opidi apud Lirim, vulgò nunc vocatur *L'Isola:* de quò plura dicam infrà ad Arpini expositionem. Opidum hodiè, haud procul viâ Latinâ, apud dextram Liris ripam vulgari adpellatione dicitur *Ponte Corvo*, antiquis inscriptionibus, quæ heic exstant, maximè clarum. unde multi id Fregellas esse hactenus putarunt. quas tamen nos certis documentis hinc ad Ceperanum opidum removimus. Ex adverso autem Pontis Curvi in lævam Liris ripam influit amnis, ab Casino & S. Eliæ opido delatus; inter quem & Lirim antiquæ urbis vestigia nonnulla hodiéque visuntur. quas veteris Interamnæ Lirinatis esse reliquias prædicta Livii Straboniisque descriptio apertè docet. Atque hinc haud dubiè prædictæ inscriptiones antiquæ in novum opidum Pontis Curvi translatæ fuêre. Chronicon Casinense lib. I cap. XL, sub Ludovico II imperatore: *Eo etiam tempore Rodoaldus Gastaldus in Aquinensi villâ secus Pontem Curvum castrum ædificavit; quod ab eiusdem pontis nuncupatione Pons Curvus adpellatum est.* Et lib. III cap. XLVI: *Huic monasterio concesserunt, Fructam castrum, & Teramen, &*

Pedemontis, & Mortulam, & Tucurigium, & Turrem ad mare. Cap. LX: *Terras, quas homines noſtri de caſtro Teramenſi & Plumbariolâ & Pedemontiô ab Aquinenſibus emerant.* Lib. IIII cap. XXXIIII: *Hoc tempore Lândo & Adenulfus, Aquinenſes comites, caſtrum Terame ruſticorum proditione ingreſſi, & eiusdem habitatores caſtri in ſuam fidem jurare facientes, opida monaſterii prædari cœperunt.* Vt illa Vmbriæ Interamna cognomine Nartis ad Narem amnem vulgò nunc dicitur *Térami, Térani, Terni*; & Prætutiorum Interamnium, quod in Piceni regione deſcripſimus *Téramo*; ſic haud dubiè hæc quoque *Interamna Lirinas* poſteriori ſæculo vulgariter vocitata eſt *Terame caſtrum*. Hanc verò Chronicon iſtud Caſinenſe non Arpino ſed Aquino facit conterminam. Plinio unde eadem SVCCVSANA cognominata ſit, parum adhuc exploratum habeo: niſi, quòd hæc reperierim apud Varronem de Latinâ lingvâ lib. IIII; ubi de regionibus urbis Romæ ei ſermo eſt: *Eidem regioni attributa Subura, quòd ſub muro terreo Carinarum. Iunius ſcribit ab eo, quòd fuerit ſub antiquâ urbe. cui teſtimonium poteſt eſſe, quòd ſubeſt ei loco, qui terreus murus vocatur. Sed ego à pago potiùs Sucuſano dictam puto Sucuſam. Nunc ſcribitur litera b, non c. Pagus Sucuſanus, quòd ſuccurrit Carinis.* Et apud Pompeium Feſtum hæc ſunt: *Suburam Verrius à pago Succuſano dictam ait. hoc verò maximè probat eorum auctoritate, qui aiunt, ita adpellatam & regionem urbis & tributum à ſtativo præſidio, quòd ſolitum ſit ſuccurrere Eſquiliis; infeſtantibus eam partem urbis Gabinis. indicioque eſſe, quòd adhuc ea tribus per c literam non per b ſcribatur.* An aliqua urbis regio vel Iunii iſtius vel Varronis vel Verrii tempore vocitata fuerit Pagus Succuſanus, ex iſthac relatione incertum manet. at verò id vulgò conſtat, *tribus* populi Romani, quæ complures numero fuêre, à regionibus ſive pagis circa urbem Romam ſubinde perdomitis nomina traxiſſe: cuius rei etiam exempla nonnulla ſuprà in Etruriâ, Sabino agro, Latio, relata ſunt: & item noviſſimè in ipsâ hac Volſcorum regione *Pomptinæ tribus* exemplum. Credibile igitur eſt, SVCCVSANVM fuiſſe PAGVM circa hanc noſtram *Interamnam Lirinatem*; à quo *tribus* dominata fuit. nam & ultra hæc loca ex *Falerno* ac *Stellate* agris duæ tribus, *Falerna* & *Stellatina*, cognomenta accepere; ut infrà videbimus. Plinii igitur verba hæc ſunt lib. III cap. V: *Interamnates Succuſani, qui & Lirinates vocantur.* Et lapis antiquus, qui haud longè hinc apud opidum S. Germani exſtat, ſic habet: CVR·R·P·INTERAMNAT·LIRIN. Coloniam fuiſſe Romanorum in primis antiquam, teſtis eſt Livius, & item Olympiadum auctor ἀνώνυμος. Livius lib. X: *Samnites Interamnam, coloniam Romanam, quæ viâ Latinâ eſt, occupare conati.* Annum deductæ coloniæ adnotaverat anteà lib. VIIII: ſed is locus poſteà ab exſcriptoribus corruptus eſt. Vulgata exemplaria ſic habent: *Sueſſa & Pontia eodem anno coloniæ deductæ ſunt. Sueſſa Auruncorum fuerat: Volſci Pontias inſulam, ſitam in conſpectu litoris ſui, incoluerant. Et in tertiam Caſinum ut deducerentur coloni, ſenatus conſultum factum eſt. ſed triumviros creavêre ac misêre colonorum IIII millia inſequentes conſules, M. Valerius, P. Decius.* Sic equidem locum hunc corrigere conatus eſt Sigiſmundus Gelenius; quum vulgò eſſet, *Minturnæ & Caſſinum ut deducerentur.* at Carolus Sigonius ad eadem verba ita commentatur: *Veteres libri alii habent, Et Minturna & Caſinum; alii, Veternam & Caſinum: alii Internam & Caſinum. Ego reſtituendum puto ita; Et ut Interamnam & Caſinum deducerentur coloniæ.* Firmat hanc lectionem ſuam Sigonius præſcripto Livii loco lib. X. Ac ſanè adeò vera eſt, ut teſtimonio etiam Olympiadum auctoris ἀνωνύμου comprobetur: qui ita habet: ὁ Ὀλυμπιάδος ρι ζ' ἔτη β' ὑπὸ Ἰντεράμναν πόλιν ἄποικος ἀπέσταλλαν. Id eſt: *Olympiadis CXVII anno II Romani in urbem Interamnam misêre colonos.* Scilicet hoc anno conſules Romæ fuêre M. Valerius Maximus & P. Decius Mus: in quorum conſulatu coloniam Interamnam deductam fuiſſe, teſtatur Livius. Hinc Frontinus in libro de Coloniis: *Interamna, opidum muro ductum, à triumviris eſt munitum. Ager eius militis merito eſt adſignatus in lacinîis limitibus interciſivis.*

CASINVM, colonia & municipium.

Vltimum Novi Latii ſeu Volſci agri in viâ Latinâ fuit CASINVM *opidum*; quod in multis auctorum exemplaribus geminato SS invenitur CASSINVM. ſed inſcriptiones antiquæ pariter omnes, quotquot in meam pervenerunt notitiam ſimplex habent S. Memoratur Catoni, Varroni, Ciceroni, Livio, Columellæ, Straboni, Silio, Plinio, Itinerariis antiquis. Opidani inde dicebantur CASINATES. Opidi meminit M. Cato Rer. ruſticar. cap. CXXXV, Plinius lib. III cap. V & lib. VII cap. IIII.

Cicero

Cicero in Philippicâ 11: *Casino salutatum veniebant, Aquino, Interamnâ.* Et anteà, *L. Rubrius Casinas.* In oratione pro Cn. Plancio: *Nemo Arpinas non Plancio studuit, nemo Soranus, nemo Casinas.* Cato Rer. rust. cap. CXXXVI & CLIII: *In agro Casinate.* Reliquos auctores subinde, ut res postulabit, producemus. Cæterùm de nominis origine ita legitur apud M. Varronem de Latinâ lingvâ lib. VI: *Casicum significat vetus. eius origo Sabina: quæ usque radices in Oscam lingvam agit. Casicum vetus significat Ennius, quum ait;*

Quam primùm casci populi genuêre Latini.

Eo magis, Manilius quòd ait, Casicum duxisse casicam, non mirabile est; quoniam canoras conficiebant nuptias. Item ostendit Papinii epigrammation, quod in adolescentem fecerat Casicam;

Ridiculum est, quum te Casicam tua dicit amica
Casica Philotonis, ipsa senex puerum.
Dic tu illam pusam: sic fiet, Mutua muli.
Nam verè pusus tu, tua amica senex st.

Item ostendit, quòd opidum vocatur Cassinum. hoc enim à Sabinis orti Samnites tenuerunt; & nunc nostri. unde & Cassinum forum, vetus. Item, significant in Atellanis aliquot papum senem; quod Osci Casnar adpellant. Samnites equidem hæc loca tenuisse, ex iis colligere licet, quæ suprà ad Fregellarum expositionem ex Livii lib. VIII allata sunt. sed an ex Casini solo illi Volscos expulerint, ut ab Fregellis, incertum est. & hoc etsi certum foret; tamen non constaret, utrùm Samnites novum tunc heic condiderint opidum, an ex Volscis captum novo tantùm hoc nomine *Casinum* adpellaverint. Quia posteà Novo Latio adcensitum fuit; quod testatur dicto lib. V Strabo; & ipsum haud dubiè à Volscis aliquando habitatum fuit. Coloniam Romanos deduxisse jam inde Olympiadis CXVII anno II, id est, anno urbis Romæ CCCCXLII, M. Valerio Maximo ac P. Decio Mure consulibus; hoc est, ante natum Iesum CCCXI: paullo antè ad *Interamnæ* expositionem intelleximus. Hinc Frontinus in libro de Coloniis: *Casinum, muro ducta colonia, triumvirali in jugeribus est adsignata. milites legionarii deduxerunt.* Et lapidis inscriptio, apud opidum S. Germani: PATRON · COL · Municipium etiam posteà factum, testis est alius lapis, his verbis: QVINC · IN · MVNICIPIO · SVO · CASINI. Sed situs eius erat indicandus. Dicto S. Germani opido imminet excelsus mons, in quo cœnobium, divo Benedicto exstructum consecratumque, vulgò dicitur *Monte Casino:* de quo ita legitur in Privilegio Benedicti papæ VIII, anno Christi CIↃXXIII dato: *Monasterium & S. Benedicti, quod situm est in monte, qui dicitur Castrum Casinum.* Paullus Diaconus Langobard. rer. lib. I cap. XXVI, & Aimoinus Francicar. rer. lib. II cap. XVI, in rebus sub Iustiniano imperatore gestis: *His diebus beatissimus Benedictus pater, prius in loco, qui Sublacus dicitur, & posteà in Castro Casino, quod Harum adpellatur, & magnæ vitæ meritis & Apostolicis virtutibus effulsit.* Et Paullus eodem capite posteà: *Huc autem in Casini arcem perveniens, in magnâ se semper abstinentiâ coarctavit.* Et lib. IIII cap. XVIII: *Circa hæc tempora cœnobium beati Benedicti patris, quod in Castro Casino situm est, à Langobardis noctu invaditur.* Aimoinus dicto lib. I cap. II: *Huius principis* [Theudiberti, regis Francorum] *temporibus à Cenomanicâ urbe legati, ad Castrum Casinum profecti, beatissimum patrem Benedictum, post eremiticam vitam in illo sancto degentem cœnobio, omnigenâ poposcerunt prece, ut fratres in monasticâ probatos conversatione ad occidentaleis dirigeret parteis.* Sigebertus in Chronico, anno Christi IↃCLI: *Cœnobium Floriacense à Leodobaldo abbate fundatur. & non multo post corpus S. Benedicti abbatis, ab Agiulfo monacho à Castro Casino delatum, illuc transportatur.* Paul. Diaconus Langobard. rer. lib. VI cap. II: *Circa hæc tempora quum in Castro Casino, ubi beatissimi Benedicti sacrum corpus requiescebat; aliquantis jam elapsis annis vasta solitudo exsisteret, venientes de Cenomannicorum vel Aurelianensium regione Franci, dum apud venerabile corpus pernoctare se simulassent; eiusdem venerabilis patris, pauciterque eius germanæ veneranda Scholasticæ ossa auferentes, in suam patriam absportarunt.* Meminit iterum Castri Casini eiusdem libri cap. XL; & Sigebertus in anno IↃCCXIIII; item Aimoinus lib. IIII cap. LX, ac Regino in Chronico, an. IↃCCXLVI. Gregorius verò Magnus Dialogor. lib. II cap. VIII ita scribit: *Castrum, quod Casinum dicitur, in excelsi montis latere situm est. qui videlicet mons diffenso sinu hoc idem castrum recipit. sed per tria millia in altum se subrigens, velut ad æra cacumen tendit; ubi vetustissimum fanum fuit, in quo ex antiquorum more genti-*

gentilium à ſtultorum ruſticorum populo Apollo colebatur. Illuc vir Dei S. Benedictus perveniens, contrivit idolum, ſubvertit aram: atque in ipſo templo Apollinis oraculum beati Martini, ubi verò ara eiusdem Apollinis fuit, oraculum S. Ioannis conſtruxit. Hoc igitur loco, in latere ſeu ſinu montis, antiquum illud fuiſſe opidum Caſinum, cùm nomen ipſum caſtri Caſini, tum ſitus in ſublimi, quem veteres auctores Caſino tribuunt, apertè declarant. Silius lib. IIII:

——— *Et nebuloſi rura Caſini.*

Livius ſuprà dicto lib. XXVI: *Per Sueſſanum Venafranumque & Caſinatem agrum viâ Latinâ ducit. ſub Caſinum biduo ſtativa habita. inde præter Interamnam Aquinumque in Fregellanum agrum ad Lirim fluvium ventum.* Sic & Varro Ruſticar. rer. lib. III cap. IIII & V dixit, *Sub Caſino*; & eodem cap. V poſteà, *Sub opido Caſino*.

De cætero ſub Caſino opido fuit M. TERENTII VILLA; ipſi Varroni ac Ciceroni memorata. Cicero in Philippicâ II: *Ab hac perturbatione religionum advolas in M. Varronis, ſanctiſſimi atque integerrimi viri, fundum Caſinatem.* Paullo pòſt: *At quàm multos dies in eâ villâ turpiſſimè es perbacchatus? Ab horâ tertiâ bibebatur, ludebatur, vomebatur. O tecta ipſa miſera, quàm dispari domino. Quamquàm, quomodò iſte dominus? Sed tamen, quàm à dispari tenebantur! Studiorum enim ſuorum M. Varro voluit eſſe illud, non libidinum, diverſorium. Quæ in illâ villâ antè dicebantur? quæ cogitabantur? quæ literis mandabantur? Iura populi Romani: monumenta maiorum: omnis ſapientiæ ratio, omnisque doctrina.* Ipſe Varro Ruſticar. rer. lib. III cap. V: *Cui ego; Quum habeam ſub opido Caſino flumen, quod per villam fluat liquidum, & altum, marginibus lapideis, latum pedes* LVII, *& è villâ in villam pontibus transeatur, longum pedes* IↃCCCCL, *directum ab inſulâ in Muſeum, quæ eſt ab Vinio fluvio; ubi confluit altera amnis ad ſummum flumen; ubi eſt Muſeum.* Deſcribit hinc omnem villam parteisque eius. Sed neſcio, an minor iſte amnis, qui villam hanc perfluebat, idem fuerit Plinii lib. II cap. CIII SCATEBRA fluvius. *In Caſinate*, inquit, *fluvius adpellatur Scatebra, frigidus, abundantior æſtate.* Certè hac naturâ hodiéque amnis in ipſo S. Germani opido & ſub mœnibus eius plurimis uberrimisque fontibus erumpens, poſt duo fermè millia paſſuum in maiorem influit fluvium, qui IIII millia ſupra S. Germani opidum ad opidum S. Eliæ exortus, poſt XIII circiter millia in Lirim confluit, ex adverſo opidi Pontis Curvi. Circa confluentem minoris illius amnis, duo circiter millia infra S. Germani opidum, hodiéque rudera viſuntur antiquarum fabricarum. quas ego reliquias reor eſſe *villæ M. Varronis*. Maioris autem fluminis, quod in Lirim influit, nomen neſcio an ſatis incorruptum ſit apud Varronem VINIVM. quidpe nonnulla exemplaria habent, *ab Vimo fluvio*. apud Columellam verò Ruſt. rer. lib. VIII cap. XVI ita legitur: *Et jam cum avorum memoriâ circumfertur M. Philippi, velut urbaniſſimum, quod erat luxurioſiſſimum, factum atque dictum. nam is fortè Caſini quum apud hoſpitem cœnaret, adpoſitumque è vicino flumine lupum deguſtaſſet, atque expuiſſet: improbum factum dicto proſequutus; Peream, inquit, niſi piſcem putavi.* Hæc ſanè vox *vicino* haud longè abeſt ab illâ *Vinio*: ita, uti, & ipſum Varronem ſcripſiſſe, facilè quis ſuſpicetur, *ab vicino fluvio*. Verùm ex minore flumine, quod Varronis perfluebat villam, lupum hunc piſcem adpoſitum fuiſſe Philippo, diſertè teſtatur ipſe Varro eodem lib. III cap. III. *Non Philippus*, inquit, *quum ad Immidium hoſpitem Caſini divertiſſet; & ei è tuo flumine lupum piſcem formoſum adpoſuiſſet, atque ille guſtaſſet, & exſpuiſſet, dixit; Peream, ni piſcem putavi eſſe?* Cæterùm copioſos hoſce frigidosque Scatebræ amnis fonteis Silius quoque innuere voluit lib. XII, his verbis:

——— *Nymphisque habitata Caſini*
Rura evaſtantur.

Porrò ſupra Caſinum Aquinumque verſùs ſeptemtriones circa Melſis fluvii fonteis eſt antiqua in primis Volſcorum *urbs* ATINA, hodiéque nomen id retinens; niſi quod interdum dicatur *Atino*. Memoratur Virgilio, Livio, Silio, ac Martiali. Opidani inde ſunt Ciceroni in oratione pro Cn. Plancio, & Virgilio lib. XI & XII, ac Plinio lib. III cap. V, ATINATES. Vetuſtiſſima opidi memoria eſt apud Virgilium lib. VII; ubi Aeneæ rebus id immiſcet his verſibus:

Quinque adeò magnæ, poſitis incudibus, urbes
Tela novant; Atina potens, Tiburque ſuperbum,
Ardea, Cruſtumerique, & turrigeræ Antemnæ.

Hinc

Hinc Martialis lib. x epigr. XCII:

Mari, quietæ cultor & comes vitæ;
Quo cive priſca gloriatur Atina.

Virgilius Aeneid. lib. XI; ubi in pugnâ cecidit *Camilla* Volſcorum regina:

Turbati fugiunt Rutuli, fugit acer Atinas.

Lib. XII: *Soli pro portis Meſſapus & acer Atinas*
Suſtentant aciem.

Silius lib. VIII:

Sylla Ferentinos Privernatumque maniplos
Ducebat, ſimul excitos: Soræque juventus
Addita fulgebat telis. hèic Scaptia pubes,
Heic Fabrateriæ vulgus: nec, monte nivoſo
Deſcendens, Atina aberat; detritaque bellis
Sueſſa, atque à duro Fruſino haud imbellis aratro.

Ad Virgilii lib. VII ita commentatur Servius: *Atina potens. Civitas eſt juxta Pomptinas paludes: dicta Atina à morbis, qui Græcè ἄτη dicuntur: quos paludes vicinitas creat.* Sanè curioſum magis grammaticum, ut haud rarò aliàs, heic quoque ſe prodit Servius, quàm geographum. Pomptinæ paludes quo tractu fuerint, abundè ſuprà demonſtratum eſt. ab iis certè longè remota eſt *Atina*, apud ipſum Apenninum montem in edito &, ut Silius ait, *nivoſo* colle ſita. Cæterùm in hiſtoriis antiquiſſima eius memoria exſtat apud Livium lib. VIII, ſub L. Papirio Curſore quintùm & C. Iunio Bruto Bubulco iterum conſulibus, anno urbis Romæ CCCCXLI, ante natum Ieſum Chriſtum CCCXII. *Qui captæ*, inquit, *decus Nolæ ad conſulem trahunt, adjiciunt, Atinam & Calatiam ab eodem captas.* Fuiſſe poſteà municipium Romanorum, teſtatur lapis, qui heic repertus, inter alia verba MVNICIPI vocabulum ferens. At Cicero in oratione pro Cn. Plancio *præfecturam* adpellat. *Tu es*, inquit, *ex municipio antiquiſſimo Tuſculano. hic eſt è præfecturâ Atinati: non tam priſcâ, non tam honoratâ, non tam ſuburbanâ. Vtrum magis facere putas Atinateis an Tuſculanos ſuis?* Paullo pòſt: *Tui municipes ſunt illi quidem ſplendidiſſimi homines; ſed tamen pauci; ſiquidem cum Acinatibus conferantur. huius præfectura plena virorum fortiſſimorum: ſic, ut nulla totâ Italiâ frequentior dici poſſit.* Tandem etiam coloniam factam, auctor eſt Frontinus in libro de Coloniis, *Atina*, inquit, *muro ducta colonia. deduxit Nero Claudius Cæſar.*

ARPINVM *municipium & præfectura.*

Ab Atinâ verſùs Solis occaſum, intet Melſem & Lirim, ſed propiùs hunc, eſt antiquiſſimum itidem opidum ARPINVM, vulgò nunc *Arpino* dictum. Memoratur Ciceroni, Salluſtio, Livio, Diodoro, Val. Maximo, Plinio, Martiali, divo Hieronymo, Feſto. Opidani inde Plinio lib. III cap. V, Ciceroni de Legibus lib. I, & alibi, tum aliis etiam auctoribus, ARPINATES. Opidi frequenter meminit Cicero in Epiſtolis: ut cuius patria erat. Hieronymus in Euſebii Chronicor. lib. II: *Cicero Arpini naſcitur, matre Helviâ, patre equeſtris ordinis, ex regio Volſcorum genere.* Hinc Silius lib. VIII:

At, qui Fibreno miſcentem flumina Lirim
Sulfureum, tacitisque vadis ad litora lapſum,
Adcolit Arpinas, adcitâ pube Venafro,
Alatrinatum dextris ſocia hiſpidus arma
Commovet, atque viris ingens exhaurit Aquinum.
Tullius æratas raptabat in agmina turmas
Regia progenies, & Tullo ſanguis ab alto.

Et lib. XII: ——— *Tu converte cohorteis*
Ad lævam patrias, Alatrinatia ſigna,
Clarum Volſcorum, Tulli decus.

Plutarchus in vitâ Ciceronis: Κικέρωνος ἡ μὲν μητέρα λέγουσιν Ὁλβίαν καὶ γεγονέναι καὶ καλῶς βεβιωκέναι· περὶ δὲ τὸν πατέρα οὐδὲν ὁμοίως μέτριον. οἱ μὲν γὰρ ἐν κναφείῳ τινὶ καὶ γναφείοις ἐκτρέφεσθαι τὰ παιδία λέγουσιν· οἱ δ' εἰς Τύλλιον Ἄππιον ἀναγουσι τὸν ἀρχαῖον καὶ γένους καὶ δυναστείας λαμπρᾶς ἐν Οὐολούσκοις. Id eſt: *Ciceronis verò matrem quidem Helviam tradunt claro genere & honeſtâ vitâ fuiſſe; de patre autem, nihil mediocre fertur: alij enim in fullonicâ officinâ natum, & educatum dicunt; alii ad Appium Tullium, clarum Volſcorum regem, generis principium referunt.* Sed eadem & C. Marii, ſepties conſulis fuit patria.

tria. Salluſtius in libro de Bello Iugurthino, de Mario: *Is natus & omnem puritiam Arpini altus*. Valerius Max. lib. II cap. II: *Quapropter non es damnandus ruſtici rigoris C. Mari, qui geminâ lauro coronatam ſenectutem tuam, Numidicis & Germanicis illuſtrem trophæis, victor devictæ gentis facundiâ politiorem fieri noluiſti. credo, ne alienigenâ ingenii exercitatione patrii ritus ſervus transfuga exſiſteres. Quis ergo huic conſvetudini, qua nunc Græcis actionibus aures curiæ exſurdantur, januam patefecit? Vt opinor, Molo rhetor: qui ſtudia M. Ciceronis acuit. eum namque ante omneis exterarum gentium in ſenatu ſine interprete auditum, conſtat; quem honorem non immeritò cepit; quoniam ſummam vim Romanæ eloquentiæ adjuverat. Conſpicuæ felicitatis Arpinum; ſive unicum literarum glorioſiſſimum contemptorem, ſive abundantiſſimum fontem iutueri velis*. Et lib. VI cap. VIIII: *Iam C. Marius maxima fortunæ luctatio eſt. omnes enim eius impetus tam corporis quàm animi robore fortiſſimè ſuſtinuit. Arpini honoribus judicatus inferior, quæſturam Romæ petere auſus eſt. patientiâ deinde repulſarum irrupit magis in curiam, quàm venit*. Mox: *Ex illo Mario tam humili Arpini, tam ignobili Romæ tamque faſtidiendo candidato, ille Marius evaſit, qui Africam ſubegit, Iugurtham regem ante currum egit: qui Teutonorum Cimbrorumque exercitus delevit*. Iuvenalis Satyrâ VIII, de eodem Mario ac Cicerone:

Quis, Catilina, tuis nâtalibus atque Cethegi
Inveniet quidquam ſublimius? Arma tamen vos
Nocturna & flammas domibus templisque paraſtis;
Vt Braccatorum pueri Senonumque minores,
Auſi, quod liceat tunicâ punire moleſtâ.
Sed vigilat conſul; vexillaque veſtra coërcet.
Hic novus Arpinas, ignobilis, & modò Romæ
Municipalis eques, galeatum ponit ubique
Præſidium attonitis; & in omni gente laborat.
Tantum igitur muros intra toga contulit illi
Nominis & tituli, quantum non Leucade, quantum
Theſſaliæ campis Octavius abſtulit udo
Cædibus adſiduis gladio. ſed Roma parentem,
Roma patrem patriæ Ciceronem libera dixit.
Arpinas alius Volſcorum in monte ſolebat
Poſcere mercedes alieno laſſus aratro;
Nodoſam poſt hæc frangebat vertice vitem
Si lentus pigrâ muniret caſtra dolabrâ.
Hic tamen & Cimbros & ſumma pericula rerum
Excipit; & ſolus trepidantem protegit Vrbem.

Sed vetuſtiſſima opidi mentio eſt apud Livium lib. VIIII, in conſulatu L. Poſthumii Megelli & Ti. Minucii Augurini; anno poſt conditam Romam CCCCXLVIII, ante natum Ieſum CCCV. *Eodem*, inquit, *anno Sora, Arpinum, Conſentia, recepta ab Samnitibus*. Vna ſanè totâ Italiâ fuit Conſentia; caput Bruttiorum; qui extimum Italiæ angulum apud fretum Siculum incoluerant. Ea autem urbs nihil huc facere poteſt; quando eâ tempeſtate Romani arma ſua nondum eò usque pertulerant. Lege itaque *Aeſerniam:* quod hoc tractu circa Atinam Caſinumque apud Vulturnum amnem eſt opidum, vulgò nunc *Iſernia* dictum. Apud Diodorum in eâdem hiſtoriâ lib. XX ita legitur: Οἱ δ' ὕπατοι πολέμοις κατειλημμένοι χρησίμοις, τὰ συμμαχίδων πόλεων τὰς ἀλλόσας ἀνεκτήσαντο, Σώραν, καὶ Σερεννίαν. Id eſt: *Conſules itaque, rebus ita proſperè geſtis, de ſociis urbibus, quæ captæ fuerant, Soram, Arpinam, & Serenniam recuperarunt*. Heic quoque non modò ex Σερεννίαν faciendum Αἰσερνίαν, ſed ex Ἀρπίναν etiam Ἀρπῖνον. Biennio pòſt, L. Genucio Aventinenſi & Ser. Cornelio Lentulo conſulibus, municipium factum fuiſſe Romanum, oſtendit Livius ſub initium libri X. *Eodem*, inquit, *anno Arpinatibus civitas data*. Et lib. XXXVIII, annis CXIIII pòſt, in conſulatu M. Valerii Meſſalæ & C. Livii Salinatoris, ante Chriſtum natum CLXXXVIIII: *De Formianis Fundanisque municipibus & Arpinatibus C. Valerius Tappo, tribunus plebis, promulgavit, ut iis ſuffragii latio (nam antè ſine ſuffragio habuerant civitatem) eſſet. Huic rogationi quatuor rribuni plebis, quia non ex auctoritate ſenatus ferretur, quum intercederent; edocti, populi eſſe, non ſenatus, jus, ſuffragium, quibus velit,*

velit, impartiri, destiterunt incæpto. Relatio perlata est, ut in Æmiliâ tribu Formiani & Fundani, in Corneliâ Arpinates ferrent. Hinc Cicero in oratione pro Cn. Plancio: *Nemo Arpinas non Plancio studuit, nemo Soranus, nemo Casinas, nemo Aquinas. totus ille tractus celeberrimus, Venafranus, Allifanus, tota denique nostra illa aspera & montosa & fidelis & simplex & fautrix morum regio, se huius honore ornari, se augeri dignitate arbitratur. iisdemque nunc à municipiis adsunt equites Romani publicè cum legationis testimonio.* Et Famil. lib. XIII epist. XI: *Non dubito, quin scias non solùm, cuius municipii sim; sed etiam, quàm diligenter soleam meos municipes Arpinates tueri.* Pompeius Festus: *Tertio modo municipium dicitur, quum id genus hominum definitur, qui ad civitatem Romanam ita venerunt, uti municipes essent suæ quisque civitatis & coloniæ; ut Tiburtes, Prænestini, Pisani, Arpinates.* Hoc modo haud dubiè municipes erant Arpinates ab initio; quum etiamdum sine suffragio civitatem haberent. Idem Festus etiam inter præfecturas Arpinum connumerat; nempe eas, in quas ibant præfecti, quos præter Vrbanus quotannis in quæque loca miserat legibus.

Cæterùm vicus in Arpinati agro memoratur Plutarcho Κιρραιάτων, CIRRAEATO, in vitâ C. Marii, his verbis: Ὀψὲ πόλιν εἶδε, καὶ τὸν πολὺ μᾶλλον βίον ἐγεύσατο. ἦν δὲ ἄλλον χρόνον ἐν κώμῃ Κιρραιάτων τῶν Ἀρπίνης οἰκείων ἔχει. Hoc est: *Serò tandem Vrbem vidit, & Vitam gustavit vrbanam. Reliquum ætatis in vico agri Arpinatis Cirrhæatone egit.* Verùm vicus iste quo situ fuerit, planè incertum est. Quin & ipsum vocabulum, ut multa alia propria nomina apud eumdem auctorem, nescio quid mendosi miniméque Volscum sive Latinum sapit.

Ciceronem quoque fundum habuisse in eodem agro Arpinati, cùm ipse testis est, tum Martialis. Cicero in oratione de Lege agrariâ contra Rullum ad populum secundâ: *Meus paternus avitusque fundus Arpinas.* Et de Legibus lib. II: ATTICVS; *Sed visne, quoniam & satis jam deambulatum est, & tibi aliud dicendi initium sumendum est, locum mutemus, & in insulâ, quæ est in Fibreno (nam id opinor illi alteri flumini nomen esse) sermoni reliquo demus operam sedentes?* MARCVS: *Sanè quidem. nam illo loco libentissimè soleo uti; sive quid mecum ipse cogito, sive aliquid scribo aut lego.* Paullo pòst: MARCVS; *Ego verò, quum licet plureis dies abesse, & amœnitatem & salubritatem hanc sequor. Sed nimirum me alia quoque causa delectat: quæ te non attingit ita.* ATTICVS: *Quæ tandem ista causa est?* MARCVS: *Quia, si verum dicimus, hæc est mea & huius fratris mei germana patria. heic enim orti stirpe antiquissimâ sumus: heic sacra, heic genus, heic maiorum multa vestigia. quid plura? hanc vides villam, ut nunc quidem est, lautiùs adificatam patris nostri studio. qui, quum esset infirmâ valetudine, heic ferè ætatem egit in literis. Sed hoc ipso in loco, quum avus viveret, & antiquo more parva est villa, ut illa Curiana in Sabinis, me scito esse natum.* Et posteà: ATTICVS: *Sed ventum in insulam est. Hac verò nihil est amœnius. ut enim hoc quasi rostro finditur Fibrenus; & divisus æqualiter in duas parteis, latera hæc adluit; rapidéque dilapsus, citò in unum confluit; & tantùm complectitur, quod satis modicæ palæstræ loci. quo effectò, tamquàm id habuerit operis ac muneris, ut hanc nostram efficeret sedem ad disputandum; statim se præcipitat in Lirim; &, quasi in familiam patriciam venerit, amittit nomen obscurius, Lirimque multo gelidiorem facit. nec enim aliud hoc frigidius flumen attigi, quum ad multa adcesserim; ut vix pede tentare id possim.* Huc puto pertinere & illud ad Quintum fratrem lib. III epist. I: *Ego ex magnis caloribus in Arpinati summâ cum amœnitate fluminis me refeci.* Vt & illud ad Atticum lib. XII epist. XIII: *Insula Arpinas habere potest germanam ἀποθέωσιν.* Sed ex isthac descriptione FIBRENVS amnis, insulam, quæ patria fuit Ciceronum, apud Liris confluentem efficiens, nullus alius esse potest, quàm qui hodiè vulgari adpellatione dicitur *Il Fiume della Posta.* in hoc quidpe eadem insula eodem manet situ; cui ab oriente haud procul objacet Arpinum opidum: quod Silius etiam indicare voluit his versibus:

—— Qui Fibreno miscentem flumina Lirim
Sulfureum, tacitisque vadis ad litora lapsum,
Adcolit Arpinas.

Cæterò prædium hoc posteà tenuisse *Silium*, testis est Martialis lib. XI epigram. XLVIIII, his versibus:

Silius hæc magni celebrat monumenta Maronis,
Iugera facundi qui Ciceronis habet.

Haredem dominumque sui tumulique Larisque
Non alium mallet nec Maro nec Cicero.

Et epigram. LI:

Iam prope desertos cineres & sancta Maronis
Nomina qui coleret, pauper & unus erat.
Silius Arpino tandem succurrit agello:
Silius & vatem non minùs ipse tulit.

Porrò inter Arpinum atque Aquinum prædium memoratur eidem M. Tullio Ciceroni, quod Quincti fratris fuit, nomine ARCANVM. Verba eius ad Quinctum fratrem lib. III epist. I hæc sunt: *In Arcano fui. ibi Messidiam cum Philoxeno aquamque, quàm ii ducebant non longè à villâ, bellè sanè fluentem vidi.* Et lib. V epist. I: *Vt veni in Arpinum* [rectiùs sanè *Arpinate*] *quum ad me frater venisset, in primis nobis sermo atque multus de te fuit.* Mox: *Postridiè ex Arpinati profecti sumus. Vt in Arcano Quinctus maneret, dies fecit: ego Aquini. sed pransimus in Arcano. nosti hunc fundum.* Posteà: *Ego inde Aquinum: Quinctus in Arcano remansit; & Aquinum ad me postridiè manè.* Mox: *A. Torquatum amantissimè dimisi Minturnis.* Nempe ex Arpinati iter agebat M. Cicero Minturnas versùs; atque inde in Campaniam; ut ex sequentibus disertè patet epistolis. De eodem fundo ita lib. XVI: *Verti me à Minturnis Arpinum versus. Constitueram, ut pridiè Idus aut Aquini manerem aut in Arcano.* Est hodiè opidum prædicto situ inter Aquinum Arpinumque, vulgari vocabulo *Arce* dictum, ducatus titulo nobile; quod haud dubiè antiquum, est & opidum & vocabulum, à quo isti Ciceroniano fundo cognomentum derivativâ dictione quæsitum. Latinum vocabulum opidi videtur fuisse ARX. ab huius quidpe casu ablativo vulgaris hodiè loci adpellatio more Italicæ nunc lingvæ, facta est *Arce*. Apud Paul. Diaconum Longobard. rer. lib. VI cap. XXVII: *Hac ætate Gisulfus, Beneventanorum ductor, Suram, Romanorum civitatem, Hirpinos, atque Auxinium, cepit.* Alia exemplaria manu scripta habent, *Hirpinum atque Arcem.* Omnino scriptum fuisse censeo *Soram, Arpinum, Arcem, atque Aquinum.* Apud Martyrologium Romanum: *Quarto Calend. Iunii Arcani in Latio S. Eleutherii confessoris. Huius historiam habent antiqua quædam Aquinatis ecclesiæ monumenta.* Apud Ptolemæum ita habetur: Μάρσων πόλεις, Αἶξ, Ἀλφαβυκλίς. id est: *Marsorum urbes sunt, Aex, Alfabucelis.* Hoc vocabulum corruptum esse ab verâ opidi adpellatione Ἄλβα Φυκήτις, *Alba Fucentis*, suprà lib. II cap. III. in Marsis docui. Consimiliter alterum etiam vocabulum esse vitiatum, à germano Ἄρξ, *Arx*, haud equidem dubitaverim. & opida alienis gentibus adtribuere, haud novum nec inusitatum est Ptolemæo. Apud Livium lib. VIII ita scriptum est: *Creati consules L. Papirius Crassus iterum, L. Plautius Venox. cuius principio anni legati ex Volscis Fabraterni & Lucani Romam venerunt; orantes, ut in fidem reciperentur. si à Samnitium armis defensi essent, se sub imperio populi Romani fideliter atque obedienter futuros.* Neque à Lucâ Etruriæ apud Auxerem amnem neque à Luco Marsorum ad Fucinum lacum opido dicti fuêre opidani Lucani; sed ab utroque Lucenses; ut suprà lib. II cap. V & VI patuit: quemadmodùm etiam per Hispaniam Galliamque & reliquas Romanorum provincias passim huius nominis opidorum incolæ. *Lucani* autem dicebantur *Lucaniæ* regionis in Italiâ populi. Quapropter vehementer ego suspicor, scripsisse ipsum Livium, Legati ex Volscis Fabraterni & Arcani. Neque enim ullos alios opidi alicuius in Volscis populos reperio, quorum nomen exierit in *cani*.

Suprà Arpinum & Ciceronis villam Fibrenique confluentem apud dextram Liris ripam situm est opidum antiquissimum, cui nomen etiam nunc manet SORA. Memoratur Plauto, Livio, Diodoro, Strabone, Silio, Plinio, Iuvenali, Ptolemæo, Stephani epitomatori. Sed apud hunc est Σαῦρα, *Saura*; ut apud Iul. Obsequentem eorumdem Volscorum Cora dicitur Caura; quod suprà ostensum. Σαῦρα, inquit Stephani breviator, πόλις Σαυνιτῶν. τὸ ἐθνικὸν, Σαυρανός. Id est: *Saura, opidum Samnitium. gentilitium Soranus.* Samniteis hoc quoque aliquando tenuisse opidum, mox ex Livio cognoscemus. Ad eundem igitur modum hæc opidorum vocabula variata fuêre per ω & diphthongum αυ, ut virorum etiam nomina Πλαύτιος, Πλωτιος, & Κλαύδιος, Κλώδιος. Latinis, *Plautius, Plotius*, & *Claudius, Clodius*: item Latii opidum Laurentum; quod plerique Græci, ut suprà cap. III perspectum, fe-

cêre

cêre Λώρεντον, *Lorentum*; quemadmodùm lauretum dicebatur etiam loretum. At cæteris auctoribus pariter omnibus dicitur opidum Sora. Silius lib. VIII:

Sylla Ferentinos Privernatumque maniplos
Ducebat simul excitos: Soræque juventus
Addita fulgebat telis.

Iuvenalis Satyrâ III:

Si potes avelli Circensibus, optima Sora,
Aut Fabrateriæ domus aut Frusinone paratur.

Apud Plautum igitur etiam reponendum est ω, ubi nunc in vulgatis exemplaribus legitur Σόρᾳ. Verba eius in Captivis hæc sunt:

HEG. *Et captum illum Aulidensem?* ERG. Μὰ τὸν Ἀπόλλω, HEG. *Et servolum.*
Meum Stalagnum, meum qui natum surripuit? ERG. Νὴ τὼν Σώρᾳν.
HEG. *Iam diu?* ERG. Νὴ τὰν Περινεσίν. HEG. *Venit?* ERG. Νὴ τὰν Σιγλίαν.
HEG. *Certon'?* ERG. Νὴ τ' Ὀρσινώνα. HEG. *Videsis.* ERG. Νὴ τὸ Ἀλάτριον.
HEG. *Quid tu per Barbaricas urbeis juras?*

Strabo lib. V: Σώρα, παρ' ὃν ὁ Λεῖρις παρεξιὼν εἰς Φρεγέλλας ῥεῖ καὶ Μινθούρνας. Id est: *Sora; juxta quam Liris ortus Fregellas Minturnasque petit.* Satis longè supra Soram exoritur Liris. sed hæc usitata est Straboni loquutio. sic quidpe de *Arno* dixit, ἐκ τῶν Ἀρρητίνων· sic de Aniene, ἐξ Ἄλβας· quum longè eæ urbes ab dictorum amnium fontibus absint. Opidani à *Sora* dicebantur SORANI. Cicero in oratione pro Cn. Plancio: *Nemo Arpinas non Plancio studuit, nemo Soranus, nemo Casinas.* Livius lib. VIIII: *Ad Soram inde reditum.* Mox: *Soranus transfuga, clam ex opido profectus.* Et posteà: *Fregellana arx Soranaque.* Volscorum fuisse opidum, disertè testatur idem Livius lib. VII. *Consules*, inquit, *dictatoris exercitu ad bellum Volscum usi, Soram ex hostibus, incautos adorti, ceperunt.* Atque hæc vetustissima eius est memoria; in consulatu M. Fabii Dorsonis & Ser. Sulpicii Camerini: anno urbis Romæ CCCCVIIII; ante natum Iesum CCCXLIIII. Coloniam Romanos huc deduxisse, idem testatur Livius sub initium libri X, in consulatu L. Genucii Aventinensis & Ser. Cornelii Lentuli, anno urbis Romæ CCCCL, ante natum Iesum CCCIII. *L. Genucio*, inquit, *Ser. Cornelio, consulibus, ab extremis fermè bellis ocium fuit. Soram atque Albam coloniæ deductæ. Sora agri Volsci fuerat: sed possederant Samnites. eo IIII millia hominum missa.* Sed jam anteà deductam fuisse *coloniam*, auctor est idem Livius lib. VIIII. *Samnites*, inquit, *duce amisso, & per equestre certamen tentatis viribus, omissâ Satriculâ, quam nequidquam defendi rebantur, ad Plistiæ obsidionem redeunt. intraque paucos dies Satriculâ Romanus per deditionem, Plistiâ per vim Samnis potitur. Mutata inde belli sedes est. ad Soram è Samnio Apuliâque traducta legiones. Sora ad Samnites defecerat: interfectis colonis Romanorum.* Idem bellum refert Diodorus lib. XVIIII. Livius id narrat, ab consulibus L. Papirio Cursore quartùm & Q. Publio Philone quartùm: qui fuêre anno urbis Romanæ CCCXXXVIII; ante natum Iesum CCCXV. at Diodoro, qui sæpè in Romanis errat, sunt Λεύκιος Παπίριος τὸ πέμπτον, καὶ Κόϊντος Πόπλιος τὸ δεύτερον, *L. Papirius quartùm & Q. Publius iterum.* Livius sub finem eiusdem libri VIII, in consulatu L. Postumii Megelli & Ti. Minucii Augurini, anno Vrbis CCCCXLVIII; biennio antè, quàm colonia iterum deducta: *Eodem anno Sora, Arpinum, & Aesernia recepta à Samnitibus.* Diodorus lib. XX sub his iisdem consulibus tria hæc opida recuperata Romanis ex Samnitibus narrat: at præcedenti anno Soram ab Samnitibus occupatam scribit. nec tamen tradit, quando iterum à Romanis capta fuerit, postquàm L. Papirio Cursore quartùm & Q. Publilio Philone quartùm amissa fuisset. Colonia posteà etiam adpellatur Livio lib. XXVII & XXVIIII, in rebus belli Punici secundi. & Plinius lib. III cap. V, *Intus*, inquiunt, *coloniæ, Capua, Aquinum, Suessa, Venafrum, Sora.* Sed novam tunc deduxerat coloniam Augustus imperator. Frontinus in libro de Coloniis: *Sora, muro ducta colonia; deducta jussu Cæsaris Augusti.*

Hactenus igitur cuncta Volsci agri loca, quæ veteribus memorantur auctoribus, summâ diligentiâ exposuimus.

CAP.

CAP. VIIII.

De AVSONIBVS.

IN litore igitur ad *Tarracinam* usque, in mediterraneo ad *Casinum*, incoluêre olim *Volsci*. Hinc reliquum *Italiæ*, ad fretum usque Siculum, apud inferum juxta & superum mare tenuêre antiquissimis temporibus AVSONES, gens Græcorum etiam sententia, ut suprà lib. I cap. I ostensum, totius Italiæ vetustissima, à qua illi omne reliquum etiam terrarum spacium, à freto ad Alpeis, adpellavêre Ausoniam. Plinius lib. III cap. V; ubi maris Interni varias parteis atque nomina recenset: *Gallicum mare, ante Narbonensem provinciam. hinc Ligusticum. ab eo ad Siciliam insulam Tuscum. ultra Siciliam, ad Salentinos, Ausonium Polybius adpellat.* Et eodem libro cap. X: *A Locris Italiæ frons incipit, Magna Græcia adpellata; in treis sinus recedens Ausonii maris: quoniam Ausones tenuêre primi.* Negat hoc Strabo. Verba eius hæc sunt lib. II; ubi de duobus fretis egit, quorum alterum inter Siciliam est & Africam; alterum, inter Siciliam & Italiam, fretum Siculum dicitur: Μετὰ δὲ τὴν Σικελίαν καὶ οὗτοι ἐκατέρωθεν πορθμοὶ, ἄλλα πελάγη συνάπτει, τό τε πρὸς τὴν Σύρτιν καὶ τὴν Κυρηναίαν Λιβυκὸν, καὶ τὸ Αὐσόνιον μὲν πάλαι, νυνὶ δὲ καλούμενον Σικελικόν. Id est: *Vltra Siciliam & utrumque ad eum fretum alia jam maria continenter sequuntur: id scilicet, quod ante Syrteis & Cyrenaicam regionem Africum dicitur: tum quod Ausonium olim, nunc verò Siculum vocatur.* Et eodem libro posteà: Ποιεῖ δὴ τὴν Ἰταλίαν χερρόνησον τό τε Τυρρηνικὸν πέλαγος, ἀρξάμενον ἀπὸ τοῦ Λιγυστικοῦ, καὶ τὸ Αὐσόνιον, καὶ ὁ Ἀδρίας. Id est: *Italiam in peninsulæ formam redigunt maria, Tyrrhenum a Ligustico incipiens, & Ausonium ac Hadriaticum.* Et lib. V: Τῶν δ' Αὐσόνων ἁπάντων οἰκησάντων ποτὲ τὴν Σικελικὴν θαλάττην, τὸ πέλαγος ὅμως Αὐσόνιον καλεῖται. Hoc est: *Ausones quamvis numquàm mare Siculum adcoluerint; tamen mare id vocatur Ausonium.* Verùm Plinio fidem auctoritatemque firmant longè antiquiores Strabone auctores. Dionysius Halicarnassensis lib. I: Ἐκ Δηϊανείρας καὶ Πελασγοῦ γίνεται Λυκάων γένεσθαι· τούτῳ δὲ Οἰνωτρὸς, ἐπακμάζοντι ἑπτακαίδεκα γενεαῖς πρότερον τοῦ ἐπὶ Τροίαν στρατεύσαντος. ὅτος Πελοπόννησον ἐκλιπὼν, ἐκ καταασκευασάμενος ναυτικὸν, διαίρει τὸν Ἰόνιον πόντον ἐσω αὐτοῦ πλέων, τῶν ἀδελφῶν εἷς. * * Πλέων μὲν οὖν ἔνθα τὸ πρῶτον ὡρμίσατο τῆς Ἰταλίας ὑπὲρ ἄκρας Ἰαπυγίας ἐκβιβάσας τὸν λεὼν, αὐτὸς καθορύσσεται, καὶ ἀπ' αὐτοῦ οἱ πρῶτα πρὸς τὰ χωρία οἰκήσαντες, Πευκέτιοι ἐκλήθησαν. Οἰνωτρὸς δὴ τὸν πλείω καὶ κράτιστον μοῖραν ἀγόμενος, εἰς τὸν ἕτερον ἀφικνεῖται κόλπον, τὸν ἀπὸ τῶν ἐσπερίων μερῶν τοῦτον τὸν Ἰταλίαν ἀναχεόμενον, ὃς τότε μὲν Αὐσόνιος ἀπὸ τῶν πρωτοικησάντων Αὐσόνων ἐλέγετο ἐπεὶ δὲ Τυρρηνοὶ θαλασσοκράτορες ἐγένοντο, μετέβαλεν οὗτος ἐκ τοῦ νῦν πρωτηγορίαν. ἐκαλεῖτο δὴ ἡ χώρα πᾶσα, πλὴν ὅσα, ὅσον κατέσχεν, Οἰνωτρία. Id est: *Ex Deianirâ & Pelasgo prognatus est Lycaon: cuius filius fuit Oenotrus, XVII ætatibus antè, quàm ad Troiam bellatum est. is, relictâ Peloponneso, & classe paratâ, trajecit mare Ionium; unâque cum eo Peucetius, unus è fratrum numero.* Mox: *Itaque Peucetius, quò primùm adpulerunt in Italiâ, super Iapygiæ promontorium suis expositis, sedem ibi fixit: & ab eo horum locorum incolæ adpellati sunt Peucetii. Oenotrus verò cum maiore parte exercitus in alterum sinum pervenit, qui adluit occidentale latus Italiæ. is tunc ab adcolentibus Ausonibus dicebatur Ausonius: deinde, Tyrrhenis maris imperio potitis, mutavit nomen, quod nunc obtinet.* Exiguo pòst: *Id totum, quantum agri obtinuit: quod sanè non exiguum fuit: Oenotria vocatum est.* Et eodem libro infrà; postquàm narravit, qua ratione Oenotri, sive, ut posteà adpellabantur, Aborigines, unà cum Pelasgis Siculos expulerint suis sedibus, quas habuêre antiquitus in Latio & agro Sabino: Τὸ μὲν οὖν Σικελικὸν ἔθνος ὅτως ἐξέλιπεν Ἰταλίαν, ὡς μὲν Ἑλλανικὸς ὁ Λεσβίος φησιν, τρίτῃ γενεᾷ πρότερον τῶν Τρωϊκῶν· δύο γὰρ πεῖσι φῦλα Ἰταλικὰ διαβαίνοντα εἰς Σικελίαν. τὸν μὲν πρότερον, Ἐλύμων, ὕς φησιν ὁ Οἰνώτρων ἐξαναστῆναι. τὸν δὲ μετ' τούτων ὑποφαίνει Σικελὸν, ἀφ' ἑαυτοῦ μα τῆς τε ἀνθρώπης καὶ τῆ νήσῳ τεθῆναι. ὡς δὲ Φίλιστος ὁ Συρακούσιος ἔγραψε, χρόνου μὲν τῆς διαβάσεως οὐ ἔτος ὀγδοηκοστὸν πρὸ τοῦ Τρωϊκοῦ πολέμου, ἔθνος δὲ τὸ διαπεραιωθὲν ἐξ Ἰταλίας, ὅτε Σικελῶν, ὅτε Αὐσόνων, ὅτε Ἐλύμων, ἀλλὰ Λιγύων, ἄγουσι αὐτὸς Σικελοί· τοῦτον δ' εἶναί φησιν ἡγεῖν Ἰταλοῦ, καὶ οὗτοι ἀνθρώπους ὑπὸ τούτου δυναστεύοντος ὀνομασθῆναι Σικελούς· ἐξαναστῆναι δὲ ἐκ τῆς ἑαυτῶν οὗτοι Λίγυας ὑπό τε Ὀμβρικῶν καὶ Πελασγῶν. Ἀνίσχει δὲ ὁ Συρακούσιος χρόνου μὲν ἀδηλοῖ τῆς διαβάσεως, Σικελὸς δὲ οὗτοι μεταναστάντας

ὑποφαίνει

ἀπὸ Φαίνλ, βιαθέντας ὑπό τε Οἰνώτρων καὶ Ὀπικῶν ἐξαυτῶν, ἡγεμόνα τὸν ἀπικίας πεντεμοίρους ..... Θουκυδίδης ἢ Σικελὸς μὲν χρόφ οὐκ ἀπανασείσας, Ὀπικὸς ἢ οὐκ ἐκβαλόντας. Hoc est: *Atque ita Siculum genus reliquit Italiam: ut Hellanicus Lesbius auctor, ante bellum Troianum atate tertiâ. namque duas tradit factas migrationes ex Italiâ in Siciliam: priorem Elymorum; quos ait sedibus suis ejectos ab Oenotris: alteram verò anno pòst quinto Ausonum, Iapygas fugientium. horum regem dicit fuisse Siculum: à quo nomen sit inditum genti simul & insulæ. Philistus autem Syracusanus scribit, trajecisse illos anno* LXXX *ante bellum Troianum: gentem verò transvectam ex Italiâ, nec Siculos nec Ausonas fuisse, nec Elymos; verùm Ligures duce Siculo: hunc Itali filium, imposuisse nomen suum subditis. Antiochus Syracusanus migratores fuisse ait Siculos, vi exactos ab Oenotrorum Opicorumque copiis; duce sibi electo deducendæ coloniæ ..... [nomen ducis interiisse videtur.] Thucydides eos, qui migrarunt, vocat Siculos; eos verò, qui expulerunt, Opicos.* Et iterum eodem libro posteà; de Capitolino monte in urbe Româ loquens: Ὡς δὲ ἐγὼ συμβαλλόμενος εὑρίσκω, καὶ πρὶν Ἡρακλέα ἐλθεῖν εἰς Ἰταλίαν, ἱερὸς ἦν ὁ τόπος ὃς Κρόνου, καλούμενος ὑπὸ τῶν ἐπιχωρίων Σατόρνιος. καὶ ἄλλη ἡ ἀκτὴ σύμπασα, ἡ νῦν Ἰταλία καλουμένη, τῷ θεῷ τότε αἰνέκτο, Σατορνία τε ὑπὸ τῶν ἐνοικούντων ὀνομαζομένη. Ἰταλία ἡ αὐτὰ χρόνον ὠνομάσθη, ἐπ' ἀνδρὸς δυνατοῦ, ὄνομα Ἰτάλου. τοῦτον δέ φησιν Ἀντίοχος ὁ Συρακούσιος, ἀγαθὸν καὶ σόφον γεγενημένον, καὶ τῶν πλησιοχώρων οὐκ μὲν λόγοις αἰσπεύσαντα, οὐκ ἢ βίᾳ τε προσαγόμενον, ἅπασαν ἐφ' ἑαυτῷ ποιήσασθαι τὴν γῆν, ὅση ἐντὸς μὲν τοῦ κόλπου τοῦ τε Λαμητίνου καὶ τοῦ Σκυλητικοῦ. μὲν δὴ πρώτην κληθῆναι Ἰταλίαν, ἀπὸ τοῦ Ἰτάλου. εἶναι δ' αὐτὸν Οἰνώτρου τὸν γόν. Hoc est: *Sed quantum ego ex conjecturis colligo; etiam ante adventum Herculis in Italiam sacer erat Saturno is locus, Saturnius incolis dictus. Quin & universa ora, quæ nunc vocatur Italia, dicata erat huic deo; vocabaturque incolis Saturnia. Italia verò pòst nominata est, à viro potente, Italo. hunc Antiochus Syracusanus ait bonum ac sapientem fuisse; & propinquarum regionum hominibus partim oratione persuasis, partim vi coactis, totam eam terram sub imperium suum redigisse, quanta patet Lametinum inter & Scyleticum sinus: eamque primam vocatam Italiam, ab Italo. fuisse autem hunc Oenotrum genere.* Ac tandem deinde: Εἰ δέ τις ἀποδεῖν βούλοιτο τὰ πρόσω τέρα, καὶ τρίτην τις, ἀρχαιοτέραν τούτων; εὑρεθήσεται Ῥώμη, γνωσθήν πρὸν Αἰνείαν καὶ Τρῶας ἐλθεῖν ἐν Ἰταλίᾳ. Οὕτω ἢ ὑπὸ τοῦ συμπεσόντων τις ἀδηλένεων συγγραφεὺς ἰσόρηκεν. ἀλλ' Ἀντίοχος ὁ Συρακούσιος, ὃς καὶ πρότερον ἐμνήσθη. Φησὶ δὲ, Μόργητος ἐν Ἰταλίᾳ βασιλεύοντος, (τοῦ δὲ τότε Ἰταλία, ἡ ἀπὸ Ταραντίνου ἄχρι Ποσειδωνίας πρὸς ἑσπέραν.) ἐλθεῖν πρὸς αὐτὸν ἄνδρα φυγάδα ἐκ Ῥώμης, λέγει δὲ ὧδε. Ἐπεὶ δὲ Ἰταλὸς κατεσκήσε, Μόργης ἐβασίλευσεν. ὑπὸ τούτου δὲ αὖθις ἀφίκετο ἐκ Ῥώμης φυγάς. Σικελὸς ὄνομα αὐτῷ. Id est: *Quod si quis rem altiùs velit repetere, tertiam etiam Romam his antiquiorem, inveniet: ut quæ ante Aeneæ Troianorumque in Italiam adventum exstiterit. Hoc autem nec vulgaris aliquis nec recens scriptor prodidit; sed Antiochus Syracusanus: cuius jam anteà memini. Is ait, Morgete in Italiâ regnante, (Italia tum erat ora, quàm longa à Tarento Pæstum usque protenditur) venisse ad eum quemdam Romanum exsulem. Verba ipsius sunt ista: Postquàm Italus consenuit, Morges pro illo regnavit. huius tempore Româ venit vir quidam profugus nomine Siculus.* Aristoteles Πολιτικῶν lib. VII cap. X: Τὰ δὲ περὶ τὴν Ἰταλίαν πολλῷ παλαιότερα τούτων. Φασὶ γὰρ οἱ λόγιοι τῶν ἐκεῖ κατοικούντων, Ἰτάλου γενομένου βασιλέως τῆς Οἰνωτρίας, ἀφ' οὗ τὸ ὄνομα μεταβαλόντα Ἰταλοὺς αὐτοὺς Οἰνώτρων κληθῆναι· καὶ τὴν ἀκτὴν ταύτην τὴν Εὐρώπης Ἰταλίαν τὸνομα λαβεῖν, ὅση τυγχάνει ἐντὸς ἑσπερτῶν τῶν κόλπων τοῦ Σκυλητικοῦ τε καὶ Λαμητικοῦ. Hoc est: *Quæ verò in Italiâ celebrantur, multo his esse antiquiora. aiunt enim ex iis, qui illic habitant, viri docti atque eloquentes, & rerum antiquarum scriptores, Italum quemdam Oenotriæ regem fuisse: à quo, nomine mutato, Italos pro Oenotris esse adpellatos, & hanc Europæ oram, quæ Lametico Scylleticoque sinubus continetur, Italiæ nomen esse consequutam.* Strabo ipse lib. VI: Τὴν δ' ἐξῆς παραλίαν Βρέττιοι μέχρι τοῦ Σικελικοῦ κατέχουσι πορθμοῦ. Φησὶ δ' Ἀντίοχος ἐν τῷ περὶ Ἰταλίας συγγράμματι, ταύτην Ἰταλίαν κληθῆναι, καὶ περὶ ταύτης συγγράφειν· πρότερον δ' Οἰνωτρίαν προσαγορευθῆναι. ὄρεσιν δ' αὐτῆς ὑποφαίνει τῷ Τυρρηνικῷ πελάγει, τὸ αὐτὸ, ὅπερ καὶ τὸ Βρεττίας ἔφαμεν, τὸ λαῖον παραμόν· πρὸς δὲ τῷ Σικελικῷ, τὸ Μεταπόντιον, τὴν δὲ Ταραντίνην, ἡ συνεχὴς τῷ Μεταποντίῳ ἐστὶν, ὀκτὼ τῆς Ἰταλίας ὀνομάζει, Ἀπυγας καλῶν. ἔτι δ' αὐτὸν Οἰνώτρους τε καὶ Ἰταλοὺς ἔφη καλεῖσθαι τοὺς ἐντὸς τοῦ ἰσθμοῦ, πρὸς τὸ Σικελικὸν κεκλιμένους πορθμόν. ἔστι δ' αὐτὸς ὁ ἰσθμὸς μεταξὺ δυοῖν κόλπων, τοῦ τε Ἱππωνιάτου, ὃν Ἀντίοχος Λαμητῖνον ἔρηκε, καὶ τοῦ Σκυλητικοῦ. Μετὰ δὲ ταῦτα ἐπεκτείνεται, φησι, τὸνομα καὶ τὸ τῆς Ἰταλίας καὶ τὸ τῶν Οἰνώτρων μέχρι τοῦ Μεταποντίνης καὶ τοῦ Σιρίτιδος. Id est: *Reliquam adusque fretum Siculum oram Bruttii tenent. Antiochus in opere, quod de Italiâ conscripsit,*

scripsit, hanc regionem ait Italiam adpellatam fuisse: ac de eâ se scribere: priùs autem dictam Oenotriam. terminos verò ei constituit, ad mare Tyrrhenum, eumdem quem nos Bruttiorum adsignavimus agro, Laum amnem; ad Siculum mare, Metapontum. cæterò Tarentinum agrum, Metaponto conterminum, extra Italiam sub Iapygiæ nomine censet. At verò anteà eos tantùm tradit, Oenotros atque Italos fuisse dictos, qui, intra isthmum positi, versus Siculum vergerent fretum. Is isthmus inter duos extenditur sinus; Hipponiaten; qui Lametinus dicitur Antiocho; & Scylleticum. Posteà verò Italiæ nomen ait, & item Oenotriæ, propagatum fuisse adusque Metapontinam ac Siritin regiones. Et initio libri v: Μετὰ δὲ τὴν ὑπώρειαν τὴν Ἄλπεων ἀρχὴ τῆς νῦν Ἰταλίας. οἱ γὰρ παλαιοὶ τὴν Οἰνωτρίαν ἐκάλουν Ἰταλίαν, ἀπὸ δὲ Σικελικοῦ πορθμοῦ μέχρι δὲ Ταραντίνης κόλπου καὶ δὲ Ποσειδωνιάτου διήκουν. Hoc est: *Post Alpium radices initium est eius quæ nunc adpellatur Italia. priscí enim Oenotriam vocarunt Italiam, à Siculo freto usque ad Tarentinum Posidoniatemque sinus extensam.* Hodiè *Posidoniates* sinus vocatur *Salernitanus*: ad quem rudera etiam nunc visuntur opidi *Pæsti*, quod anteà dicebatur Posidonia; ut infrà suo loco ostendetur. Hinc Herodotus etiam lib. I Veliam opidum tradit conditum fuisse ἐν τῇ Οἰνωτρίῃ, *in Oenotriâ*. unde & Plinius lib. III cap. VII; ubi insulas ad Italiam recenset; *Contra Veliam*, inquit, *Pontia & Iscia: utræque uno nomine Oenotrides; argumentum possessæ ab Oenotris Italiæ.* Ergo Oenotri, ex Peloponneso classe in Italiam advecti, primò eam tenuêre regionem, quàm posteà Bruttii incoluerunt: mox eam etiam, quæ postmodùm Lucania dicta est, à Bruttio agro ad Pæstum usque & Metapontum; ut infrà suo loco patebit. Dionysius tradit, Peucetios consedisse in Iapygiâ; ubi posterioribus etiam sæculis, ut infrà videbimus, nomen eorum duravit in *Apuliâ*: Oenotros verò ei adpulsos fuisse litori, quod ab incolis tunc Ausonium vocabatur. ergo Ausones tunc Lucaniam Bruttiumque tenuêre agrum. Hellanicus ait, *Elymos* ab Oenotris ejectos fuisse Italiâ, ab Iapygibus verò Ausonas. hoc licèt Antiochus atque Philistus non probaverint: & omnes alii scriptores Elymos à Troiâ deduxerint; ut Siciliæ lib. I cap. II à nobis ostensum: tamen haud obscurè inde adparet, Iapygiam quoque, quæ inter superum mare Tarentinumque sinum & Bradanum Frentonemque (vulgò hic nunc est *Fortore*) amneis protendebatur, ante Oenotrorum Peucetiorumque adventum incoluisse Ausonas. Disertè illud testatus est antiquus in primis auctor Nicander; ex cuius περὶ τῶν Ἑτεροιωμένων, id est, de Immutatis, lib. II ita refert Antoninus Liberalis Μεταμορφώσεων cap. XXXI: Λυκάονος ἐγένοντο παῖδες, Ἰάπυξ δὲ Δαύνιος δὲ Πευκέτιος. ἅτε λαὸν ἀθροίσαντες, ἀφίκοντο τὴν Ἰταλίας πρὸς τὴν Ἀδρίαν. ἐξελάσαντες δὲ τοὺς ἐνταῦθοῖ οἰκοῦντας Αὔσονας, αὐτοὶ κατῴκησαν. Id est: *Lycaoni filii fuêre, Iapyx, Daunius, & Peucetius. hi collectâ hominum multitudine ad eam Italiæ partem adpulerunt, quæ Hadriatico alluitur mari. pulsisque Ausonibus, qui ibi tum habitabant, sedeis ipsi illic posuêre.* Iapygum nomen pòst invectum fuisse, infrà in eius regionis descriptione patebit. Quod igitur de Elymis tradidit Hellanicus, ab Oenotris ejectis, id ipsum quoque ad Ausonas pertinebat. Horum autem nomen umquàm in Siciliam perveniisse, nemo alius tradidit auctor. Pulsos ab Oenotris atque Peucetiis in superiora concessisse Italiæ loca, maximè credibile est. Inde verò remigrasse in pristinam sedem sub Lucanorum Bruttiorumque nominibus, postquàm Oenotri veterem illam Siciliam sive Italiam, quam Siculi, ut suprà cap. I huius libri III demonstratum, in Latio & Sabino agro tenebant, petere cœperunt, mox clariùs indicabitur. Hæc igitur, ut ego opinor, unica causa fuit, cur Græci, ut suprà lib. I cap. I ostensum, antiquissimam totius Italiæ atque indigenam censuerint Ausonum gentem; nempe, quia hi, ex omnibus Italicis gentibus Græciæ proximi, primi illis innotuerunt. unde etiam ab eorum nomine totam reliquam Italiam, abusque freto Siculo ad Alpeis, Ausoniam adpellavêre; quod posteà plerique Romanorum pariter ac Græcorum imitati sunt poëtæ; ut dicto lib. I cap. I demonstratum est. Sed & suprà Lucaniam Apuliamque tenuisse *Ausones* regionem, quæ postmodùm à Samnitibus Samnium dicta fuit, & item Campaniam, alii testantur auctores. Pompeius Festus: *Ausoniam adpellavit Auson, Vlyssis & Calypsus filius, eam primùm partem Italiæ, in qua sunt urbes Beneventum & Cales. deinde paullatim tota quoque Italia, quæ Apennino finitur, dicta est Ausonia ab eodem duce. à quo etiam conditam fuisse Auruncam urbem ferunt.* Poëticâ hoc de Ausone, Vlyssis & Calypsûs filio, confictum esse licentiâ, vel eo argumento patet, quod Suessam

Auruncam

Auruncam. non Vlyssis filius, sed annis ampliùs 1000 post Troiam captam ipsi condidêre Aurunci populi; ut infrà suo loco ex Livii historiâ ostendetur. Sed ist- hæc tamen de *Ausone* fabula satis antiqua est. Marcianus Heracleensis in Περιηγήσει.

—— Αὐσονίς τε μεσόγαιον τόπον
Ἔχουσιν· Αὔσων ἧς σωοικίσαι δοκεῖ,
Ὀδυσσέως παῖς Ϲ Καλυψῶς ἡμόρδιος.
—— *Tum Ausones mediterranea loca*
Tenent. quos Auson condidisse creditur,
Vlyssis filius atque Calypsûs.

Posterioris hinc maximè ævi grammatici eam adnotarunt. Vetus commentator Apollonii, ad Ἀργοναυτικῶν lib. IIII, ubi Αὐσονίλω, *Ausoniam*, poëta vocat Italiam: Μέμφονται δέ τινες τὸν Ἀπολλώνιον, ὡς πρὸ τούτου οὐ χρόνους εἰρηκότα τῇ Ἰταλίᾳ Αὐσονίαν. ὑστέροις γὰρ χρόνοις τῶν Ἀργοναυτῶν ἔτω κέκληται ἀπὸ Αὔσονος, ὃς Ὀδυσσέως καὶ Καλυψῶς. Id est: *Quidam Apollonium taxant, quòd ad illa temporâ dixerit Italiam Ausoniam; quum post Argonautarum tempestatem demum sic adpellata sit ab Ausone, Vlyssis atque Calypsûs filio.* Svida: Αὐσόνιος πόντος, ἡ Σικελικὴ θάλασσα, ἀπὸ Αὔσονος, ὃς Ὀδυσσέως καὶ Καλυψῶς υἱοῦ, ἐκεῖ βασιλεύσαντος. Id est: *Ausonius portus, Siculum mare; ab Ausone, Vlyssis & Calypsûs filio; qui ibi regnavit.* Sed alii fabulatores, quum intelligerent insulam Calypsûs, in qua Homerus Vlyssem fingit cum ipsâ versatum, longiùs ab Italiâ removeri, (quod Siciliæ lib. II cap. XVI & XVII ostendi) quâm uti in eâ natus deæ filius quidquam ad Italiam pertinere queat; Circes maluerunt filium pronunciare Ausonem. Ioannes Tzetza in Chiliadibus:

Ἡ Αὐσονία ἔσχηκε τὴν κλῆσιν τῶν Αὐσόνων,
Καλῶ λυκος, ἐξ Αὔσονος, υἱῶ δ' Ὀδυσσέως.
Ἐκ γὰρ τὴ Κίρκης Ὀδυσσεὺς, τὴ πᾶσι θρυλλουμένης,
Αὔσονα καὶ Τηλέγονον γοναῖ καὶ Καϛιφόνην.

Hoc est:

Ausonia accepit nomen Ausonum,
Iuxta quorumdam opinionem, ab Ausone, filio Vlyssis.
E Circe enim, quæ omnium monimentis celebrata est, Vlysses
Ausonem & Telegonum procreavit, & item Casiphonen.

Eustathius in Præfatione ad Homeri Odysséam: Λατῖνος καὶ Αὔσων, οἱ ἐξ Ὀδυσσέως καὶ Κίρκης, καλῶ λυκας. Id est: *Latinus atque Auson, Vlyssis & Circes filii; ut quidam volunt.* Et ad Dionysii Περιήγησιν· Λέγουσι δὲ Αὔσονες ἀπὸ Αὔσονος, ὃς πρῶτος ὡμὸ τὴ Ῥώμη βασιλεύσας πρὸς λυκων ἱστορεῖται, Ὀδυσσέως γεγονὼς ἐκ τῆς Κίρκης· ἢ, κατὰ τὸν τὰ Ἐθνικὰ γράψαντα, ἐκ Καλυψῶς γνησθεὶς τῷ Ἀτλαντι· ἀφ' ἧς καὶ τὸ Σικελικὸν πέλαγος Αὐσόνιον ἐκλήθη πάλαι. Hoc est: *Dicti sunt Ausones ab Ausone: qui primus apud Romam regnasse à quibusdam traditur; filius Vlyssis atque Circes. at, qui Gentilia conscripsit, ex Atlante & Calypsô ait fuisse genitum. à quo etiam Siculum mare olim Ausonium adpellatum fuit.* At Stephani breviator sic habet: Αὔσων, ὁ Ἰταλός. Id est: *Auson, qui & Italus.* Hæc sanè grammatica est commentatio: scilicet, quia *Ausonia* dicebatur, quæ erat *Italia*. Iacius Tzetza in commentariis ad Lycophronem: Αὔσονες δὲ λέγονται, καλῶ λυκας μὲν, ἀπὸ Αὔσονος καὶ Ὀδυσσέως καὶ Κίρκης παιδός· καθ' ἑτέρους δὲ, ἀπὸ Αὔσονος καὶ Ἰταλοῦ καὶ Λευκαρίας υἱοῦ, ἄλλοι δὲ ἐξ Αὔσονος ἑτέρου φάσιν. Id est: *Dici Ausones alii tradunt ab Ausone Itali & Leucariæ filio: nonnulli verò ab alio quodam Ausone.* Ioannes Tzetza suprà scripto loco paullo pòst:

Ἄλλοι δὲ ἀπὸ Αὔσονός φασι παλαιτέρου,
Τοῦ πλείστου Ἰταλοῦ, τῆς χώρας βασιλέως.
Alii verò ab Ausone dictam aiunt antiquiore,
Filio Itali; qui huius regionis fuit rex.

Sed fabularum satis est, ad res revertamur. Ausonum genus nomenque jam inde ante Troianum exstitisse bellum, suprà ex Dionysio abundè intelleximus. Festus Pompeius licèt suprà scripta verba poëticâ magis, quàm historicâ fide retulisse videatur; tamen verùm est, quod ait Ausonas loca circa Beneventum & Cales quondam tenuisse. Livius lib. VIII, in rebus anni ab urbe Româ conditâ CCCCXXVIII, ante natum Iesum CCCXXXV: *Insequens annus, L. Papirio Crasso, Cæsone Duellio, consulibus*

sulibus Ausonum magis novo, quam magno, bello fuit insignis. Ea gens Caleis urbem incolebat. Vltra Cales, inter Neapolim & Beneventum Campaniæ est urbs *Nola*. de hac ita Svida: Νῶλα, πόλις Αὐσόνων παρ' Ἑκαταίῳ. Id est: *Nola, urbs Ausonum apud Hecatæum*. Et Stephani breviator: Νῶλα, πόλις Αὐζόνων· ὡς Ἑκαταῖος Εὐρώπῃ. Hoc est: *Nola urbs Ausonum: teste Hecatæo in Europâ*. Apud Marcianum Heracleensem in Περιηγήσει desiderari unum atque alterum versum, quibus *Latii* situm post Vmbros memoraverit, suprà lib. II cap. IIII in horum descriptione docui. post eos igitur versus ita pergit:

Οὓς ᾤκισεν ὁ 'κ Κίρκης Ὀδυσσεῖ ἠρώιδι
Λατῖνος· Αὔσονές τε, μεσόγειον τόπον
Ἔχοντες, Αὔζων ὡς σωοικίσαι δοκεῖ,
Ὀδυσσέως παῖς καὶ Κίρκης ἠρώιδος.
Ἐν τοῖς ἔθνεσι τούτοις ἡ Ῥώμη ἐστὶ πόλις·
Ἣν τῇ Λατίνῃ Ῥωμύλον δι' αὐτῶν κτίσαι
Θέμενον ἀφ' αὑτοῦ φασι τοῦτο τὄνομα.
Μετὰ δὲ Λατίνους ἐστὶν ἐν Ὀπικοῖς πόλις
Κύμη· πρότερον ὑφ' οἱ Χαλκιδεῖς ἀπῴκισαν,
Εἶτ' Αἰολεῖς.
Τούτοις δὲ Σαυνῖται παροικοῦσ', ἐχόμενοι
Τῶν Αὐσόνων. μεθ' οὓς μεσόγειοι κείμενοι
Οἰκοῦσι Λεύκανοί τε Καμπανοί θ' ἅμα.

Hoc est:

Quos condidit Circes & Vlyssis filius
Latinus. tum Ausones mediterranea loca
Tenent: quos Auson condidisse putatur,
Vlyssis atque Calypsûs filius.
In his gentibus Roma est urbs:
Quam in Latio Romulum condidisse
Nomenque de se imposuisse aiunt.
Post Latinos est in Opicis urbs
Cuma: quam primùm Chalcidenses coloniam deduxère;
Posteà verò Aeoles.
Iuxta hos incolunt Samnites, contermini
Ausonibus. post quos in mediterraneo
Habitant Lucani simul & Campani.

Quum Lucanos Campanosque Samnitibus continuet, certè his Ausones contermïnos facere nequivit, nisi circa Allifas & Venafrum opida; quà Volscos proxima incoluisse opida, Casinum, Aquinum, Arpinum, Atinam, & Soram, superiori capite ostensum est. At *Novum* eum intellexisse Latium, cuius finibus etiam Volsci & Hernici & Aequi comprehendebantur, ex eo dilucidè claret, quòd *Ausones Latinis* fecit conterminos, vel illorum partem ait, quidpe in Latinis atque Ausonibus esse urbem Romam. Sanè Novi Latii etiam partem incoluerunt Ausones; sed non Samnitibus contermini: nisi, ubi illi Volscorum pleraque loca sub imperium suum redegerunt; de qua re infra dicetur in descriptione Samnii. Plinius lib. III cap. V: *Latium antiquum à Tiberi Circeios usque observatum est, millium passuum* L *longitudine. tam tenues primordio imperii fuère radices. Colonis sæpè mutatis, tenuêre alii aliis temporibus; Aborigines, Pelasgi, Arcades, Siculi, Aurunci, Rutuli. & ultra Circeios, Volsci, Osci, Ausones. unde nomen Latii processit ad Lirim amnem.* Et posteà; in recensione litoris Novi Latii: *Colonia Minturnæ, Liri amne divisa: opidum Sinuessa; extremum in adjecto Latio.* Hæc satis turbatoriè. nam, præter *Tarracinam*, ultra Circeios nihil habuêre in litore Volsci. citra verò Circeios ad Rutulorum usque confinia circa Ardeam tenuêre litus; intus autem ad Albanum usque montem; quà Velitræ fuere, Volscorum opidum. At verò *Ausonum* gentem incoluisse loca inter *Tarracinam* & Sinuessam, in Campaniæ sitam, ex aliis quoque probari potest auctoribus. Livius lib. VIIII: *Consules ab Sorâ profecti in agros atque urbeis Ausonum bellum intulerunt. mota namque omnia adventu Samnitium, quum apud Lautulas dimicatum est, fuerant; conjurationesque circa Campaniam factæ. nec Capua ipsa crimine caruit. Cæterùm Ausonum*

gens,

gens, proditione urbium, sicut Sora, in potestatem venit. Ausona & Minturnæ & Vescia urbes erant. Et lib. x: *Tum de præsidio regionis depopulatæ ab Samnitibus agitari cœptum. Itaque placuit, ut duæ coloniæ circa Vescinum & Falernum agrum deducerentur: una ad ostium Liris fluvii; quæ Minturnæ adpellata: altera in saltu Vescino, Falernum contingente agrum; ubi Sinope dicitur Græca urbs fuisse; Sinuessa deinde ab colonis Romanis adpellata.* Strabo lib. v: Ὑπέρκειται δ' ὀυτῆ μεσογαίᾳ τὸ Παμφρήτιον πεδίον. τῶν δὲ σωεχῆ ἑαύτῃ πρὸς τὸ πέλαγος Αὔσονες ὤκησαν, οἵπερ καὶ τῶν Καμπανίων εἶχον· μετὰ δὲ τούτους Ὄσκοι· καὶ τούτοις ὑπὲρ μὲν τῶν Καμπανίων. Id est: *Suprà in mediterraneo est Pomptinus campus. huic contiguam regionem primò Ausones incoluerunt; qui Campaniam etiam tenuêre: post hos Osci; qui & ipsi partem Campaniæ possederunt.* Ad Tarracinam usque pertinuisse Pomptinum campum, superiori capite ostensum est. ergo super istac Ausonum Oscorumque sede trans Circæum montem probè convenit Straboni cum Plinio. At huic citra Circæum etiam Aurunci locantur præscriptis verbis. quos tamen hoc tractu apud nullum rerum scriptorem reperio. Virgilius equidem Aeneid. lib. XI ibidem eos collocare videtur, dum ita Latinum regem loquentem fingit:

Est antiquus ager, Tusco mihi proximus amni;
Longus in occasum, fineis super usque Sicanos.
Aurunci Rutulique serunt, & vomere duros
Exercent colleis; atque horum asperrima pascunt.
Hæc omnis regio & celsi plaga pinea montis
Cedat amicitiæ Teucrorum; & fœderis æquas
Dicamus leges; sociosque in regna vocemus.

Per plagam istam pineam celsi montis intellexisse poëtam Circæum montem, suprà cap. VII in descriptione eius docui. In hunc igitur inter Rutulos & Circæum agrorum situm rectè quadrat & illa eiusdem Latini oratio, quam Aeneid. lib. VII apud Aeneæ legatos habet in hunc modum:

Atque equidem memini (fama est obscurior annis)
Auruncos ita ferre senes; his ortus ut agris
Dardanus, Idæas Phrygiæ penetravit ad urbeis.

Et sub finem eiusdem libri VII agmen, quod Turnum, Rutulorum regem, sequebatur, ita recenset:

Insequitur nimbus peditum; clypeataque totis
Agmina densantur campis; Argivaque pubes
Auruncæque manus, Rutuli, veteresque Sicani,
Et Sacranæ acies, & picti scuta Labici:
Qui saltus Tiberine tuos sacrumque Numici
Litus arant, Rutulosque exercent vomere colleis,
Circæumque jugum: queis Iupiter Auxurus armis
Præsidet, & viridi gaudens Feronia luco.
Quà Saturæ jacet atra palus, gelidusque per imas
Quærit iter valleis atque in mare conditur Vfens.
Hos super advenit Volsca de gente Camilla,
Agmen agens equitum & florenteis ære catervas,
Bellatrix.

Heic etiam disertè *Auruncos* ponit poëta citra Circæum montem; ultra verò *Volscos*. unde facilè inducor, uti credam, ab hoc potiùs quàm ab aliquo historicorum sua prompsisse Plinium. At longè remotiore hinc tractu collocat Auruncos Virgilius eodem lib. VII haud multo antè, in his versibus:

Hinc Agamemnonius Troiani nominis hostis
Curru jungit Halesus equos, Turnoque ferocis
Mille rapit populos, vertunt felicia Baccho
Massica qui rastris, & quos de collibus altis
Aurunci misêre patres Sidicinaque juxta
Æquora; quique Caleis linquunt: amnisque vadosi
Accola Vulturni, pariterque Saticulus asper,
Oscorumque manus.

Massicus mons ultra Lirim amnem est; ut infrà patebit: & juxta eum versùs Campaniam

paniam incolebant Sidicini, quorum erat opidum *Teanum*, vulgò etiam nunc *Tiano* dictum. Consentit igitur heic probè cum Virgilio poëta graviſſimus Romanarum rerum ſcriptor T. Livius; qui lib. VIII, in rebus anni poſt Romam conditam CCCCXVII, ante natum Ieſum CCCXXXVI ſic ſcribit: *C. Sulpicio Longo, P. Aelio Poeto, conſulibus, inter Auruncos Sidicinosque bellum ortum. Aurunci, à T. Manlio conſule in deditionem accepti, nihil deinde moverant. eò petendi auxilii ab Romanis cauſa juſtior fuit. Sed priùs, quàm conſules ab Vrbe exercitum educerent, fama adfertur, Auruncos metu opidum deſeruiſſe: profugosque cum conjugibus ac liberis Sueſſam communiſſe, quæ nunc Aurunca adpellata. mœnia antiqua eorum urbemque ab Sidicinis deletam.* Ergo tam exigua fuit *Auruncorum* gens, uti omnis unam tantùm incoluerint urbem. At hoc ſi verum; maximè ego miror, tantam eorum fuiſſe auctoritatem, tantamque potentiæ opinionem, uti ex Volſco agro civitates opem atque auxilium ab iis contra Romanorum potentiora arma petierint. Idem Livius lib. II, in conſulatu P. Poſtumii Tuberti II & Agrippæ Menenii Lanati; anno urbis Romæ CCLI; ante natum Chriſtum 1011: *Eodem anno duæ coloniæ Latinæ, Pometia & Cora ad Auruncos deficiunt. Cum Auruncis bellum initum. fuſoque ingenti exercitu, qui ſe ingredientibus fineis conſulibus ferociter obtulerat, omne Auruncum bellum Pometiam compulſum eſt. Victores hinc Aurunci mox, expugnatâ Pometiâ victi cæſique.* Sed rediêre octavo anno pòſt; P. Servilio Priſco & Ap. Claudio Sabino conſulibus. Livius eodem libro: *Nocte unâ audito perfectoque bello Sabino, poſtero die, in magnâ jam ſpe undique partæ pacis, legati Aurunci ſenatum adeunt; ni decedatur Volſco agro, bellum indicentes. Cum legatis ſimul exercitus Auruncorum domo profectus erat: cuius fama, haud procul jam ab Aricià viſi, tanto tumultu concivit Romanos, ut nec conſuli ordine patres, nec pacatum reſponſum arma inferentibus arma ipſi capientes dare poſſent. Ariciam infeſto agmine itur. nec procul inde cum Auruncis ſigna collata. prælioque uno debellatum eſt.* Dionyſius lib. I; ubi eamdem refert hiſtoriam; Ἔπῃ, inquit, πανηγυρίζουσιν αὐτοῖς, πρεσβεῖαι παρῆσαν ἐξ ἐθνῶν Αὐρύγκων, οἱ τὸ Καμπανῶν χώρας τὰ κάλλιστα πεδία κατεῖχον. Id eſt: *Nondum finito feſto, legati ab Aruncorum veniunt gente; quæ Campanæ regionis pulcherrimos tenebat campos.* Eamdemque ſedem jam inde ante Troiani belli tempora tenuiſſe eos, oſtendere videtur idem Dionyſius lib. I, his verbis: Κατέσχον δὲ ἅπαν τὸ οἱ Πελασγοὶ τῶν καλουμένων Καμπανῶν βιβότων πάνυ τὸ τοῦλαν ἡδίστων πεδίων σὺν ὀλιγίστῳ μείζονι ἔθνει βαρβαρικῷ Αὐρύγκων ἐκ μέρους αἱρησάμενοι αὐτῶν· τὴ πόλει αὐτόθι καθισάμενοι ἄλλας τε Λάρισσαν, ἀγορᾶς Ποπιλίας καλουμένης ὑπὸ πρόσω. Hoc eſt: *Tennerunt Pelaſgi & Campanorum camporum, adſpectu amœniſſimorum paſcuisque aptiſſimorum partem haud exiguam, pulſis inde Auruncis, gente barbarâ. ubi inter cæteras urbeis condidêre Lariſſam, haud procul à Foro Popilii.* Sic equidem poſterior auctoris commentator vocem Αὐρύγκων reſtituendam divinavit, ubi in Græcis exemplaribus erat Ἀβρωνίων, & in aliis Αὐρωνίων. at licèt ille veteris geographiæ parum gnarus fuerit; quod ſuprà lib. II cap. VIIII in Sabinis patuit; tamen haud malè heic divinaſſe videtur. quidpe *Falernus ager*, ut infrà cap. X... huius libri III patebit, fuit inter *Maſſicum montem* & *Vulturnum amnem*. quorum ille nunc vulgò dicitur *Monte Dragone*. ex *Falerno* autem *agro* citat Plinius lib. III cap. V *Foropopilienſes*, ab iſto Dionyſii *Foro Popilii* opidanos & in *eius montis*, qui Liris ſiniſtram ripam eminus proſequitur, orientali latere fuit *Sueſſa Aurunca* opidum, quod nunc vulgò dicitur *Seſſa*. undè clarè patet, totum hunc tractum tenuiſſe quondam Auruncos. Verùm etſi ſatis valida magnaque fuerit gens *Auruncorum*; quod ex modò allatis clarè perſpeximus; tamen miror ego, quî prædictæ duæ coloniæ *Pometia* atque *Cora* potiùs ad gentem longiùs diſitam, quàm ad proximos Volſcos, quorum agros nondum occupaverant, deſciverint. Certè verum videtur eſſe, quod ex antiquioribus auctoribus adnotatum nobis reliquerunt poſterioris ævi grammatici. in quibus Servius ad ſuprà ſcriptum Virgilii Aeneid. lib. VII: *Aurunci Italiæ populi antiquiſſimi fuerunt.* Et poſteà: *Aurunci Græcis Auſones nominantur.* Agellius lib. I cap. X, & Macrobius Saturnalior. lib I cap. V: *Favorinus philoſophus adoleſcenti veterum verborum cupidiſſimo, & plerasque voces nimis priſcas & ignotiſſimas, in quotidianis communibusque ſermonibus exprimenti, Curius, inquit, & Fabricius & Coruncanius, antiquiſſimi viri noſtri, & his etiam antiquiores Horatii illi trigemini, planè ac dilucidè cum ſuis fabulati ſunt: neque Auruncorum aut Sicanorum aut Pelaſgorum, qui primi incoluiſſe Italiam dicuntur, ſed ætatis ſuæ verbis loquuti ſunt.* Ioannes Tzetza in Chiliadibus ſuprà ſcriptis verbis hæc ſubtexit:

Τὰς δὲ Αὐρύγκας μόνας μοι Αὔσονας λέγειν νόει
Μέσας Οὐόλσκων καὶ Καμπανῶν πρὸς θαλάσσαις κειμένας.
Aurunccos autem ſolos mihi Auſones dicere cogita,
Medios inter Volſcos Campanosque apud mare ſitos.

Iſacius Tzetza ad Lycophronem: Αὐσονία δὲ κυρίως, ὡς Δίων χρᾶται Κοκκειανὸς, ἡ τῶν Αὐρυγκῶν γῆ μόνη λέγεται, μέσων Καμπανῶν καὶ Οὐόλσκων πρὸς θαλάσσαις κειμένη. Id eſt: *Auſonia, ut Dio Cocceianus tradit, propriè Auruncorum adpellatur terra, inter Campanos atque Volſcos apud mare ſita.* En, hoc ipſum eſt, quod jam dudum antè ſuſpicabar: nempe, quum Livius ſupra ſcriptis locis & *Minturnas* apud Liris oſtium, & ultra Lirim *Sinueſſam* ad Maſſicum montem, & ultra hunc etiam *Caleis*, Auſonum genti adſcribat; intermedias verò urbeis maritimas, inter Tarracinam & Lirim, Fundos, Caietam atque Formias neque Volſcis neque alii cuipiam genti attribui ab auctoribus videam: has quoque Auſonum antiquitus fuiſſe opinatus ſum; & ad hanc gentem, ut Volſco agro proximam, defeciſſe ſuprà dictas colonias *Pometiam* atque *Coram*. Populi igitur & citra & Vltra Lirim amnem incolentes, promiſcuè dicti fuêre, modò Auſones, modò Aurunci. Livius autem, vel alii antè ipſum auctores Romani, quum ex diverſis monumentis diverſa unius eiusdemque gentis nomina accepiſſent; duos diverſos inde fecêre populos. Cæterùm Strabo ſuprà citato loco tradit, contiguam Pomptino campo regionem priùs Auſones tenuiſſe, poſteà verò Oſcos, de his ita eodem lib. v poſteà: Κασῖνον, πόλις ἀξιόλογος, ὑστάτη τῶν Λατίνων. τὸ γὰρ Τέανον, τὸ καλούμενον Σιδικῖνον, ἐφεξῆς κεῖμενον, ὃν καὶ δηλοῖ τῷ Σιδικίνων εἶναι· ἔπειτα Ὄσκοι, Καμπανῶν ἔθνος ἐκλελοιπός· ὥστε λέγοιτ' ἂν τὰ Καμπανίας. Id eſt: *Caſinum, urbs celebris, Latinarum ultima. quidpe Teanum Sidicinum, quod ſequitur, ipſo cognomento oſtendit, ſe ad Sidicinos pertinere: qui ſunt Oſci; gens olim Campanorum, quæ jam defecit.* Sed hoc parum curatè ab Strabone pronunciatum eſt. quidpe non natio quædam fuêre *Oſci* in Campanorum gente; ſed quondam eam incoluerat regionem, quam poſteà tenuerunt Campani. hinc Sidicini diſertè discernuntur Livio à Campanis. Lib. VII: *Samnites Sidicinis injuſta arma, quia viribus plus poterant, quum intuliſſent; coacti inopes ad opulentiorum auxilium confugere, Campanis ſeſe conjungunt. Campani magis nomen ad præſidium ſociorum, quam viribus, quum attuliſſent; fluentes luxu ab duratis uſu armorum in Sidicino pulſi agro, in ſe deinde molem omnem belli vertunt. namque Samnites, omiſſis Sidicinis, ipſam arcem finitimorum, Campanos, adorti.* Et poſteà Campani ita loquuntur Romæ apud ſenatum: *Pugnavimus; verbo, pro Sidicinis; de re, pro nobis; quum videremus finitimum populum nefario latrocinio Samnitium peti.* Mox: *Parum fuit, quòd ſemel in Sidicino agro, iterum in Campaniâ ipsâ legiones noſtras cecidêre?* Et poſteà: *Ne Sidicinorum Campanorumque cladibus Samnitium æſtimarent virtutem.* Iterum: *Quonam modo iſti ex Sidicinis Campanisque victoriam peperant?* Lib. VIII: *Sidicinis Campanisque ſociis.* De Oſcis ita tradit Plinius ſuprà dicto lib. III cap. V: *Latium antiquum à Tiberi Circeios usque obſervatum eſt millium paſſuum* L *longitudine. tam tenues primordio imperii fuêre radices. Colonis ſæpè mutatis, tenuêre alii aliis temporibus; Aborigines, Pelaſgi, Arcades, Siculi, Aurunci, Rutuli: & ultra Circeios, Volſci, Oſci, Auſones. unde nomen modò Latii proceſſit ad Lirim amnem.* Et exiguo pòſt: *Colonia Minturnæ, Liri amne diviſa, Glani quondam adpellato. opidum Sinueſſa, extremum in adverſo Latio: quam quidam Sinôpen dixêre vocitatam. Hinc felix illa Campania eſt. Ab hoc ſinu incipiunt vitiferi colles, & temulentia nobilis: ſucco per omneis terras inclito; atque, ut veteres dixêre, ſummum Liberi patris cum Cerere certamen. hinc Setini & Cæcubi obtenduntur agri. his junguntur Falerni, Calani. dein conſurgunt Maſſici, Gaurani, Surrentinique montes, ibi Laborini campi ſternuntur; & in delicias alicæ politur meſſis. hæc litora fontibus calidis rigantur; præterque cætera in toto mari conchylio & piſce nobilitantur. nusquàm generoſior oleæ liquor. Et hoc quoque certamen humanæ voluptatis tenuêre Oſci, Græci, Vmbri, Tuſci.* Apud Pompeium Feſtum hæc leguntur: *In omnibus ferè antiquis commentariis ſcribitur Opicum pro Obſco; ut in Titinnii fabulâ V: Qui Obſcè & Volſcè fabulantur. nam Latinè neſciunt. A quo etiam verba impudentia & elata adpellantur obſcena: quia frequentiſſimus fuit uſus Oſcis libidinum ſpurcarum.* Et mox: *Oſcos quos dicimus, ait Verrius, Opſcos antè dictos; teſte Ennio, quum dicat: De muris res gerit Opſcus.* In prioribus Feſti verbis mendum ineſſe ſuſpicabar, ni apud epitomatorem quoque eius Paullum Diaconum ita exſtaret: Opicum quoque invenimus pro Oſco. At exemplum huius rei Feſtus citat ex Titinnio; *Qui Obſcè fabulantur.* Et ne ſuſpiceris ſcriptum fuiſſe vel

ab Titinnio vel Festo, *Qui Opicè fabulantur*: ab eodem illo vocabulo, quòd & in aliis antiquis commentariis & in Titinnii fabulâ scriptum erat, *verba* ait *impudentia adpellari obscena*. Scripsit igitur sic Festus: *In omnibus ferè antiquis commentariis scribitur Opscum pro Osco; ut in Titinnii fabulâ* V: *Qui Opscè & Volscè fabulantur*. Hoc jam idem erat illud, quod & Verrius adnotavit. Nisi fortè per supinam quamdam negligentiam seu incogitantiam Festus in contrarium propositæ rei sensum prò voce *Opscum* scripserit *Opicum*: quia, *Opicos* & *Oscos* unam eamdemque gentem fuisse, alicubi legerat. Apud Stephani breviatorem ita scriptum est: Ὀπικοὶ, ἔθνος Ἰταλίας· Εὔδοξος ἔκτῳ γῆς περιόδου· γλώσσας συνέμιξαν. οἱ δὲ, ὅτι Ὀφικοὶ, ἀπὸ τοῦ ὄφεων. Id est: *Opici, gens Italiæ. Eudoxus de Circuitu Orbis lib.* VI: *Linguas commiscuerunt. Alii verò Ophicos dictos volunt* ἀπὸ τῶν ὄφεων. id est, *ab serpentibus*. Manifesta est lacuna. & haud obscurè adparet, rationem adpositam fuisse, cur dicti fuerint Opici. Servius ad suprà scriptum Virgilii locum Aeneid. lib. VII ita commentatur: *Oscorumque manus. Capuenses dicit; qui anteà Ophici adpellati sunt, quòd illic plurimi abundavêre serpentes. nam Græcè ὄφις dicitur serpens*. Sanè haud obscurè hinc adparet, *Oscos* eosdem habitos fuisse antiquitus & *Opicos* hoc autem vocabulum grammatici quidam nugatores ἀπὸ τῶν ὄφεων, *à serpentibus*, deductum ab initio Ophici fuisse fabulati sunt. Hinc igitur antiquiores auctores non modo in Campaniâ ultra Lirim amnem Massicumque montem collocarunt Opicos; sed etiam cis Lirim ad Latium usque & Tiberim flumen nomen eorum extenderunt: quo tractu Strabo atque Plinius Oscos referunt. Dionysius Halicarnassensis lib. I; ubi de urbis Romæ origine atque conditoribus agit: Ἀριστοτέλης ὁ φιλόσοφος Ἀχαιῶν τινας ἱστορεῖ, τῶν ἀπὸ Τροίας ἀνακομισθέντων, πρὸς Μαλέαν, ἐπιστραφῆναι χειμῶνι βιαίῳ καταληφθέντας, πάσας μὲν ἀπὸ τῶν πνευμάτων φερομένους πολλαχῇ καὶ πολλάκις πλανᾶσθαι· πλησιώσας δὲ ἐλθεῖν εἰς τὸν τόπον τὸν Ὀπικῆς, ὃς καλεῖται Λάτιον, ἀπὸ τοῦ Τυρρηνικοῦ πελάγους κείμενον. Id est: *Aristoteles philosophus tradit, Achæorum quosdam, à Troiano bello redeunteis, circa Maleam cursum flexisse: correptosque à tempestatibus, diu ventorum vi ultro citroque per altum jactatos, tandem adpulisse ad eam Opicæ regionis oram, quæ, Tyrrheno mari perfusa, Latium adpellatur*. Eatenus quidem Aristoteles erravit, quòd & *Latium* in Opicâ regione esse censuit; quum *Siculi*, antiquissimi Latii incolæ, longè alieni fuerint generis ab Opicis. Eiusdem tamen opinionis & Plato, magister Aristotelis, fuisse videtur. quidpe verba eius in Epistolâ ad Dionis propinquos & amicos hæc sunt: Ἧξέ γ', ἐάπερ τῶν εἰκότων γίγνηταί τινα καὶ ἀπόκτων, σχεδὸν εἰς ἐρημίαν τὴν Ἑλληνικῆς φωνῆς Σικελίαν πᾶσαν, Φοινίκων ἢ Ὀπικῶν μεταβαλεῖσαν εἰς ἅπαν ἀνωμαλίαν καὶ κρᾶσιν. Id est: *Quantum ex infelicibus præsagiis fas est portendere; universa Sicilia in Græcæ linguæ oblivionem lapsura videtur; ad Phœnicum vel Opicorum devoluta potestatem dominationemque*. Vbi treis suâ ætate in insulâ ponit genteis, Græcos, Phœnicas, sive Pœnos, & Opicos: quorum vocabulo sine controversiâ intellexit Siculos; quando hos nullos nominat: qui tamen partem insulæ longè maximam tenebant: unde & toti insulæ nomen. Sed hoc fortassis eâ ratione à Platone factum, quòd unà cum Hellanico Lesbio, quem loco suprà scripto citat Dionysius, *Siculos* existimavit origine *Ausonas*, à Iapygibus ex Italiâ pulsos; hos verò, unà cum Aristotele atque Antiocho eosdem quos *Opicos*. Aristoteles suprà dicto Πολιτειῶν lib. VII cap. X præscriptis verbis hæc subnectit: Ὤικουν δὲ τὸ μὲν πρὸς τὴν Τυρρηνίαν Ὀπικοὶ, ἃ πρότερον καὶ νῦν καλεῖται τὴν ἐπωνυμίαν Αὔζονες· τὸ δὲ πρὸς τὴν Ἰαπυγίαν καὶ Ἰόνιον Χῶνες τὴν καλουμένην Σιρῖτιν. ἦσαν δὲ καὶ οἱ Χῶνες Οἰνωτροὶ τὸ γένος. Id est: *Habitabant autem in eâ Italiæ parte, quæ Tyrrhenis contermina, Opici; qui & olim cognomento Ausones dicebantur & nunc etiam dicuntur. eam verò partem, quæ Iapygiæ & Ionio sinui finitima, incolebant Chones: nempe Siritim regionem. erant autem & Chones genere Oenotri*. Hinc scilicet illud est Dionysii suprà dicto lib. I: Οἰνωτρὸς δὲ τὸ πλεῖον στράτευμα μοῖραν ἀγόμενος, εἰς τὸ ἕτερον ἀφικνεῖται κόλπον, τὸν ἀπὸ τοῦ ἑσπερίων μερῶν ἀνέμου τὸν Ἰόνιον αὐαχόμενον, ὃς τότε μὲν Αὐσόνιος ἀπὸ τῶν παροικούντων Αὐσόνων ἐλέγετο· ἐπεὶ δὲ Τυρρηνοὶ θαλασσοκράτορες ἐγένοντο, μετέβαλεν, ὡς ἔχει νῦν παρηγορίαν. Hoc est: *Oenotrus cum maiore parte exercitus in alterum sinum pervênit, qui, Italiæ latus occidentale adluens, tunc ab adcolentibus Ausonibus dicebatur Ausonius; dein verò, Tuscis maris imperio potitis, mutavit nomen, quod nunc obtinet*. Strabo lib. V, postquàm Campaniæ litus generatim exposuit, ita porrò pergit: Ὑπὲρ δὲ τούτων τῶν ἠϊόνων Καμπανία πᾶσα ἵδρυται, πεδίον εὐδαιμονέστατον ἀπάντων. παρήκει δ' αὐτῇ γειτνιῶσι καὶ ὄρη τὰ τῶν Σαυνιτῶν καὶ τὰ τῶν Ὀπικῶν. Ἀντίοχος μὲν οὖν φησι, τὸ χώρον τοῦτον Ὀπικοὺς οἰκῆσαι· τοὺς δὲ καὶ Αὐσονας καλεῖσθαι.

Πολυ-

Πολύβιος· δι' ἐμφάσεις δύο ἔθνη νομίζων ταῦτα. Ὀπικὸς γὰρ φησι καὶ Αὔσονας οἰκεῖν τὴν χώραν ταύτην πρὶν ἢ Κρατῆρα. Ἄλλοι δ' λέγουσιν, οἰκέντων Ὀπικῶν πρότερον καὶ Αὐσόνων, εἶτ' ἐκείνους κατασχεῖν ὕστερον Ὄσκων τὸ ἔθνος· τούτους δ' ὑπὸ Κυμαίων, ἐκείνους δ' ὑπὸ Τυρρηνῶν ἐκπεσεῖν. (Διὰ γὰρ τὴν ἀρετὴν πρεμάχηνται ἡμῖν πεδίον) δώδεκα ἢ πόλεις ἐγκατοικίσωσιν, ἢ οἷον κεφαλὴν, ὀνομάσαι Καπύην. Διὰ δὴ τὴν τρυφὴν εἰς μαλακίαν τραπομένους, καθάπερ ὑπὸ πρὸς ὑπὸ Πάδου χώρας ἐξέπεσαν, ὕτω ὑπὸ ταύτης ὑποχωρῆσαι Σαυνίτας. Hoc est: *Super hoc litus universa sita est Campania: campus omnium fertilissimus. Cingunt eam frugiferi colles, & Samnitium Oscorumque montes. Antiochus, ab Opicis habitatam fuisse hanc regionem, tradit; qui iidem & Ausones adpellarentur. at Polybius duas diversas genteis existimare videtur eos.* 10 *ait namque, Opicos atque Ausones terram hanc circa Craterem incolere. Alii ferunt, quum ea lŏca quondam Opici & Ausones tenuissent, fuisse ea deinde ab Oscorum quadam gente occupata. hanc à Cumanis fuisse pulsam: hos rursum à Tuscis. (etenim ob præstantiam agros eos multis fuisse certaminibus expetitos.) hos, quum* XII *in eâ condidissent urbeis; quæ earum veluti caput foret, adpellavisse Capuam. quum autem per luxuriam ad mollitiem sese transdidissent; quemadmodum regione ad Padum sitâ pulsi fuerunt, sic hac etiam Samnitibus cessisse.* Eos heic intelligit *Samnites*, qui, occupatâ hac regione, à capite eius Capuâ dicti fuêre Campani. Crater autem dicebatur sinus Puteolanus; ut infrà in Campaniæ descriptione ostendetur. *Osci* verò *montes* isti nulli alii esse potuerunt, quàm id jugum, quod orientali latere duo sustinet opida *Suessam Auruncorum* & 20 *Teanam Sidicinorum:* quæ vulgò nunc dicuntur *Sessa* atque *Tiano*. Cæterùm minùs diligentes minusque adcurati deprehenduntur fuisse isti auctores; quando ignorarunt XII Tyrrhenorum principatus principeisque urbeis non in hac Campaniâ fuisse, sed in Etruriâ, inter Arnum Tiberimque amnis & mare inferum. Quod autem Polybium attinet; rationem ego planè nullam dispicio, cur per auctoritatem eius Aristoteli simul &, qui Aristotele ducentis ferè annis fuit prior, Antiocho fides omnis derogetur: præsertim, quum Aristoteles non antiquorum temporum, quod fecit Polybius, sed suæ ætatis rem adfirmet. Iám verò, quòd illi quidam minùs diligentes scriptores tradiderunt, Opicos pulsos fuisse hac ora ab Oscis, hos verò à Cumanis; eo ipso apertè proditur, haud perinde veteres fuisse eos scripto- 30 res. quidpe antiquiores auctores, non in *Oscis*, quos sanè illi noverunt nullos, (posterioribus enim temporibus id ita ab Opicorum nomine detortum est vocabulum) sed in *Opicis* Cumas conditas fuisse referunt. Thucydides lib. VI: Ζάγκλη δὲ τὸ μὲν πρῶτον ὑπὸ Κυμαίων, τῆς ἐν Ὀπικίᾳ Χαλκιδικῆς πόλεως, λῃστῶν ἀφικομένων, ᾠκίσθη. Id est: *Zancle primùm à latronibus, à Cumis, Chalcidicâ in Opicarum regione urbe, profectis, condita est.* Dionysius lib. VII: Ἐπὶ δὲ ἐξηκοστῆς καὶ πρώτης Ὀλυμπιάδος Κύμην, τὴν ἐν Ὀπικοῖς Ἑλληνίδα πόλιν, ὧν Ἐρετριεῖς τε καὶ Χαλκιδεῖς ἔκτισαν, Τυρρηνοὶ, καὶ σὺν αὐτοῖς Ὀμβρικοί τε καὶ Δαυνῖοι καὶ συχνοὶ τῶν ἄλλων βαρβάρων, ἐπεχείρησαν αἱρεῖν. Id est: *Olympiade* LXIIII *Cumam, Græcam in Opicis urbem, quam Eretrienses Chalcidensesque condiderunt, Tyrrheni simul & Vmbri Daunique & alii nonnulli barbari, excidere conati sunt.* Auctor 40 Olympiadum ἀνώνυμος· Ὀλυμπιάδος ξδ' ἔτει ά, οἱ κατὰ τὴν Ἰταλίαν Κυμαῖοι πολλὰς Τυρρηνῶν καὶ Ὀπικῶν μυριάδας ἐνίκησαν. Hoc est: *Olympiadis* LXIIII *anno primo in Italiâ Cumani multa Tyrrhenorum Opicorumque millia superaverunt.* Marcianus Heracleensis in Περιηγήσει.

Μετὰ δὲ Λατίνους ἐστὶν ἐν Ὀπικοῖς πόλις
Κύμη.
Vltra Latinos est in Opicis urbs
Cuma.

Sic item in aliis huius regionis locis, Cumanæ urbi vicinis, idem Opicorum usurparunt nomen auctores. Dionysius lib. I: de Aeneæ in Italiam navigatione nar- 50 rans: Ἔπλευσε νήσῳ προσέσχον, ἣν τινομα ἔθεντο Λευκασίαν, ἀπὸ γυναικὸς, αἰνέιας Λίνειαν, ταύτην τε τὴν ἀποβαινόσης, ἐκκειθεν δὲ καταπλεύσαντες εἰς λιμένα καλὸν καὶ βαθὺν ἐν Ὀπικοῖς, τελευτήσαντος καὶ αὐτόθι Μισηνοῦ, τοῦ Αἰολέως υἱοῦ, ἀπ' ἐκείνου τὸν λιμένα ὠνόμασαν. Hoc est: *Deinde ad insulam adplicuerunt, cui nomen imposuerunt Leucasiæ, ab Aeneæ consobrinâ, circa hæc loca mortuâ. Hinc devecti ad pulcrum profundumque in Opicis portum; exstincto ibi quoque Miseno, viro nobili; ab eo portum denominarunt.* Strabo lib. XIIII, de Rhodiis loquens: Ἀφ' ἧς καὶ μέχρι Ἰβηρίας ἔπλευσαν· καὶ ἐκεῖ μὲν τὴν Ῥόδιον ἔκτισαν, ἐν δὲ τοῖς Ὀπικοῖς τὸ Παρθενόπιον. Id est: *Ita in Hispaniam usque navigarunt: ubi Rhoden condide-*

runt: in Opicis verò Parthenope. Sic antea Neapolis vocabatur. Stephani epitomator: Παρθενόπη, πόλις ἐν Ὀπικοῖς ἢ Ἰταλίας, κτίσμα Ῥωδίων. Id est: *Parthenope, urbs Italiæ in Opicis; à Rhodiis condita*. Item: Φαλήρον, πόλις ἐν Ὀπικοῖς, εἰς ἣν ἐξεβράσθη Παρθενόπη ἡ Σείρην, ἣ καλεῖται Νεάπολις. Hoc est: *Phalerum, urbs in Opicis; ad quam fluctibus ejecta fuit Parthenope Siren: quæ Neapolis vocatur*. Idem auctor: Ἄτιλλα, πόλις Ὀπικῶν Ἰταλίας, μεταξὺ Καπύης καὶ Νεαπόλεως. Id est: *Atella, urbs Opicorum in Italiâ, inter Capuam & Neapolim*. Sed & longè latiùs diffusum fuit id gentis nomen. Idem breviator Stephani: Φρέγελλα, πόλις Ἰταλίας· ἡ τὸ μὲν ἀρχαῖον ἦν Ὀπικῶν, ἔπειτα δὲ Οὐολόσκων ἐγένετο. Id est: *Fregella, urbs Italiæ: quæ antiquitus erat Opicorum; posteà verò Volscorum facta est*. Apud Dionem Iulius Cæsar in concione, quam in Gallià habuit ad legatos suos ordinumque ductores, adversùs Arioviſtum pugnaturus, ita loquitur de Romanis: Τοιαῦτα ἐκ τούτων τῶν παθημάτων αὐτοὶ Λατῖνοι ἐκράτησαν, Σαβῖνοι ἐδούλωσαν, Τυρσηνοὺς, Οὐόλσκους, Ὀπικοὺς, Λευκανοὺς, Σαυνῖται ἐχειρώσαντο. Id est: *Hæc illi consilia sequuti, Latinos in suam potestatem redegerunt, Sabinos vicerunt, Etruscos, Volscos, Opicos, Lucanos, Samnites, subegerunt*. Vera hæc atque germana Cæsaris si fuit oratio; certè ille Campanos nominavit: pro quibus Dio, Græcus homo, antiquum usurpavit vocabulum *Opicorum*; qui omnem olim obsidebant Campaniam. Sed & ipsum adeò tenuisse Samnium, disertè testatur Strabo lib. v: Περὶ δὲ Σαμνιτῶν, inquit, καὶ τοιάδε λόγος ἐκφέρεται· Διότι πολεμοῦντες Σαβῖνοι πολὺν χρόνον πρὸς τοὺς Ὀμβρικοὺς, εὔξαντο, καθάπερ τὰ Ἑλλήνων ἔνια, τὰ γιγνόμενα τῷ ἔτει τούτῳ καθιερῶσαι. νικήσαντες δὲ, τὰ μὲν γιγνόμενα τὰ μὲν κατέθυσαν, τὰ δὲ καθιέρωσαν. ἀφορίας δὲ γενηθείσης, εἰπεῖν τις, ὡς ἐχρὴ τὰ καθιερῶσαι καὶ τὰ τίκτα· οἱ δὲ ἐποίησαν τοῦτο· καὶ τοὺς γιγνομένους τότε παῖδας Ἄρεως ἐπώνυμους. ἀνδρωθέντας δ' ἔστελλαν εἰς ἀποικίαν. ἡγήσατο δὲ ταύρου. ἐν δὲ τῇ τῶν Ὀπικῶν καλουμένῃ, (ἔτυγχανον δὲ κωμηδὸν ζῶντες) ἐκβαλόντες ἐκείνους, ἱδρύσαντο αὐτοί. Id est: *De Samnitibus huiusmodi etiam fertur sermo: Sabinos, quum diuturno bello cum Vmbris conflictarentur, vovisse, (qui Græcorum quorumdam mos fuit) diis se, quæ nata forent eo anno, consecraturos. potitosque victoriâ, immolasse partim, partim consecrasse eius anni proventa. insequutâ autem sterilitate, monuisse quemdam, etiam prolem fuisse diis consecrandam. obtemperasse Sabinos: eoque anno editos liberos Marti dicasse. quumque virilem attigissent ætatem, duce tauro ad condendam novam coloniam emisisse. taurum in Opicorum regione procubuisse. itaque his expulsis (quidpe per vicos habitabant) eorum agrum novos colonos occupasse*. At *Ausones* tenuisse omnem hanc regionem ad Volscorum usque fineis, in Samnio *Beneventum*, in Campania *Nolam* & *Cales*, circa Massicum montem *Sinuessam* sive *Vesciam*, apud Lirim amnem *Minturnas*, suprà clarè perspectum est. Verum igitur, quod Antiochus atque Aristoteles adseverarunt, unum eamdemque gentem esse *Ausones* atque *Opicos*. Hos verò eosdem fuisse *Oscos*, præter jam antè allata documenta, ex hoc quàm manifestissimè adparet, quòd urbeis, quas Græci auctores in *Opicis* referunt, Latini *Oscis* adscribunt. Velleius lib. 1: *Nec multo pòst Chalcidenses Cumas in Italiâ condiderunt*. Mox: *Cumanos Osca mutavit vicinia*. Diomedes Grammaticar. instit. lib. III: *Tertia species est fabularum Latinarum, quæ à civitate Oscorum Atellâ, in qua primùm captæ, Atellanæ dictæ sunt; argumentis dictisque jocularibus, similes Satyricis fabulis Græcis*. Sic in Volscorum confinio *Opicorum* refert opidum Stephanus *Fregellas*, Strabo verò eodem tractu *Oscorum Sidicinorum Teanum*. sic & Dio Volscis continuat *Opices*; à Tarracinâ scilicet, extremâ in litore Volscorum urbe ad Samnites usque; ubi Strabo atque Plinius, ut suprà intellectum, ponunt *Oscos*. quibus consentiens Silius, ita canit lib. VIII:

Iam verò, quos dives opum, quos dives avorum
Ex toto dabat bellum Campania tractu,
Ductorum adventum vicinis sedibus Osci
Servabant: Sinuessa tepens, fluctuque sonorum
Vulturnum; quasque evertêre silentia, Amyclæ:
Fundique, & regnata Lamo Caieta, domusque
Antiphatæ, compressa freto; stagnisque palustr
Liternum, & quondam fatorum conscia Cumæ.

Omnia heic opida maritima enarrat, quæ erant post Tarracinam ad Cumas usque; ut sequenti hinc capite videbimus. Strabo sæpè dicto lib. v ita scribit: Ἴδιον δέ τι τοῖς Ὄσκοις συμβέβηκε· τὰ γὰρ Ὄσκων ἐκλελοιπότων, ἡ Δημοκρατία μόνη ἐστὶ παρὰ τοῖς Ῥωμαίοις.

ὥστε

ὥστε καὶ ποιήματα σκωμματικὰ καὶ ἄτεχνα ἀγῶνα πάτριον, καὶ μιμολογεῖσθαι. Id est: *Peculiare quiddam Oscis evênit. quidpe, quum Oscorum gens interierit; sermo eorum apud Romanos durat; ita, uti carmina quædam ac minus certo quodam certamine, quod maiorum instituto celebratur, in scenam producantur.* Eosdem ludos & alii memorarunt auctores. Cicero Famil. lib. VII epist. 1: *Non enim te puto Græcos aut Oscos ludos desideraſſe: præsertim, quum Oscos ludos vel in senatu nostro spectare possis.* Livius lib. VII: *Postquàm lege hac fabularum ab risu ac soluto joco res avocabatur, & ludus in artem paullatim verterat; juventus, histrionibus fabellarum actu relicto, ipsa inter se more antiquo ridicula, intexta versibus, jactitare cœpit: quæ inde exodia posteà adpellata, consertaque fabellis potissimùm Atellanis sunt. quod genus ludorum, ab Oscis acceptum, tenuit juventus; nec ab histrionibus pollui passa est. Eò institutum manet, ut auctores Atellanarum nec tribu moveantur; & stipendia, tamquàm expertes artis ludicræ, faciunt.* Tacitus Annal. lib. IIII: *Oscum quondam ludicrum, leviſſimæ apud vulgus oblectationis, eò flagitiorum & virium veniſſe, ut auctoritate patrum coërcendum sit. Pulsi tum histriones Italiâ.* Quando Oscorum lingvâ in omni reliquâ Italiâ interierit, haud facilè dixerim. Iuventus quoque ista Romana, quæ posterioribus etiam, ut patet ex Tacito, temporibus *ludos Oscos* Romæ faciebat, utrum certa tantùm quædam *carmina* certasque *fabellas Atellanas* memoriæ mandaverit, an verò omnis Oscæ lingvæ perfectam absolutamque tenuerit notitiam; ita, uti in quovis quotidiano congressu colloquioque familiari aptè expediteque & exactè inter se confabulari sciverint; planè incertum est. Quamquàm de eius lingvæ peritiâ amplius quiddam atque perfectius præ istis fabularum Aellanarum actoribus gloriatus esse videtur Ennius poëta, natione Calaber; quæ regio nunc vocatur vulgò *Terra d' Otranto*, apud fauceis Hadriatici sinus. de hoc quidpe sic Agellius tradit lib. XVII cap. XVII: *Q. Ennius tria corda habere sese dicebat; quòd loqui Græcè & Oscè & Latinè sciret.* Græcæ lingvæ quum jam tum haud rarus fuerit in urbe Romanâ usus; nihil perinde erat, quòd tantopere gloriaretur Ennius, nisi Oscæ lingvæ longè perfectiorem ipse quàm alii in Vrbe, habuerit cognitionem. hanc autem utrùm Romæ hauserit à prædictis Oscorum ludorum actoribus, an apud aliquam Oscæ stirpis gentem, quamvis incertum sit; tamen circa ea tempora adhuc apud aliquam Italicarum gentium in usu exstitisse, testatur suprà dicta Titinnii fabula, ex qua Festus hæc citat verba: *Qui Obscè & Volscè fabulantur. nam Latinè nesciunt.* Et Oscam fuisse lingvam Sabinorum, Samnitium, Brutioramque, mox ostendam. De cætero ex hactenus allatis disertisque satis jam manifestè ac clarè patet, unam eamdemque fuisse gentem, quæ variis adpellabatur nominibus, AVSONES, AVRVNCI, OPICI. quorum hoc vocabulum postmodum à Romanis correptum fuit in duas syllabas OPSCI, sive OBSCI; ac tandem OSCI. Verùm tamen ita ego opinor: omneis quidem Auruncos atque Opicos seu Oscos fuisse Ausonas: at non vice versâ omneis Ausonas fuisse Auruncos & Opicos. sed quum ingens fuerit Ausonum corpus; ut qui ab freto siculo & faucibus Hadriatici sinus ad usque Volscorum, Siculorum, Vmbrorumque agros pertigerint: in varias parteis variaque nomina id distributum fuisse: utique, postquàm ulteriore sedium suarum parte ab Oenotris Peucetiisque pulsi fuêre. Primùm universa gens ab Oenotrorum Peucetiorumque finibus, id est, ab Silaro inferi maris, & Frentone superi maris flumine, ad Volscorum usque & Siculorum Vmbrorumque fineis, OPICI & OSCI adpellati sunt. horum pars inter Campaniam & Volscorum fineis AVRVNCI sunt dicti; ut suprà testimonium ex Dione perhibuit Isacius Tzetza; utque documento claro est *Suessa Aurunca*, Campaniæ, nunc etiam *Sessa* dicta. pars altera Opicorum, sive Oscorum, circa Teanum & Fregellas, SIDICINI vocati sunt: uti suprà è Strabone maximè ac Stephani epitomatore intelleximus. Communi tamen illâ atque antiquissimâ adpellatione singulæ sæpè partes dictæ fuêre AVSONES: quod nomen Aristoteles suprà scripto loco pro ἐπωνυμίᾳ, id est, *pro cognomento* universæ *Opicorum* gentis accepit: Livius verò, sive ii auctores, è quibus monumentis sua Livius sumpsit, pro unius exiguæ partis proprio peculiarique nomine usurparunt, circa Cales, Sinuessam, & Minturnas: quo tractu Auruncorum fuisse nomen, ex suprà disputatis dilucidè claruit. Hinc illud Livii lib. VIIII: *Consules ab Sorâ profecti, in agros atque urbeis Ausonum bellum intulerunt.* Mox: *Ausonum gens proditione urbium, sicut Sora, in potestatem venit.* Et paullò pòst: *Quia absentibus ducibus*

ducibus impetus est factus, nullus modus cædibus fuit. deletaque Ausonum gens, vix certo defectionis crimine, perinde ac si internecino bello certasset. Cæterùm ex Dionysii lib. I suprà allata fuêre ista: Ἀντίοχος δὲ ὁ Συρακόσιος Σικελὸς φησὶ μεταναστάντας ὑποφυγεῖν βιαζόμενος ὑπό τε Οἰνώτρων καὶ Ὀπικῶν ἑαυτῶν. Θουκυδίδης δὲ Σικελὸς μὲν γεγραφὲ τὸς ἀπαναστάντας, Ὀπικὸς δὲ τὸς ἐκβαλόντας. Id est: *Antiochus Syracusanus Siculos tradit migrasse, vi exactos ab Oenotrorum Opicorumque copiis. Thucydides verò eos, qui migrarunt, Siculos vocat; eos verò, qui expulerunt, Opicos.* Vterque rectè, diverso locorum respectu. nam ab *Oenotris*, qui jam tum *Aborigines* vocabantur, vel unà cum *Pelasgis Latini*, pulsi fuêre patriis sedibus, antiquâ illâ ac primâ Siciliâ sive Italiâ, quæ fuit in Latio & agro Sabino: ab Opicis porrò ejecti fuêre reliquâ Italiâ ad fretum usque protensâ; unde in Sicaniam trajecerunt insulam, quæ ab eorum nomine dicta Siciliâ. Ergo antiquissimi isti auctores nullum aliud in extremâ illâ Italiâ agnoverunt nomen, quàm *Opicorum*. Ac sanè maximè credibile est, postquàm ex eâ excesserint *Oenotri*, versùs superiora Italiæ & Siculorum regionem proficiscentes, remigrasse statim in pristinam sedem partem Opicorum. Apud Strabonem dicto lib. V, in descriptione Sabini agri, hæc leguntur verba: Ἔστι δὲ καὶ παλαιότατον ἔθνος οἱ Σαβῖνοι καὶ αὐτόχθονες. τούτων δ' ἄποικοι Πικεντῖνοί τε καὶ Σαυνίται· τούτων δ' Λευκανοί· τούτων δὲ Βρέττιοι. Id est: *Est autem Sabinorum gens antiquissima atque indigena. ab iis originem ducunt Picentes atque Samnites. ab his porrò Lucani; & ab his Bruttii.* Et eodem libro posteà: Φρεντανοὶ, Σαυνιτικὸν ἔθνος. *Frentani, gens Samnitica.* Opicæ sive Oscæ originis fuisse Sabinos, ex sermone adparet. Festus: *Casnar, senex, Oscorum lingvâ. Mamers, lingvâ Oscorum Mars significatus. Mamercus, prænomen Oscum est; ab eo, quòd hi Martem Mamertem adpellant. Sufes dictus Pœnorum magistratus, ut Oscorum Mediastuticus. Meddix apud Oscos nomen magistratus est. Ennius: Summus ibi capitur meddix.* Varro de Latinâ lingvâ lib. IIII: *Mars ab eo, quòd maribus in bello præest: aut, quòd à Sabinis acceptus; ubi Mamers.* Et lib. VI: *Casicum significat vetus. eius origo Sabina est: quæ usque radices in Oscam lingvam egit. Item ostendit, quòd opidum vocatur Cassinum, hoc enim à Sabinis orti Samnites tenuerunt. Item significat in Atellanis aliquot pupum senem, quod Osci casnar adpellant.* Sanè Osco usi sunt sermone *Samnites*: teste non dubio T. Livio lib. X: *In Samnio*, inquit, *novi exercitus exorti ad depopulandos imperii Romani fineis, per Vescinos in Campaniam Falernumque agrum transcendunt, ingenteisque prædas faciunt. Volumnium, magnis itineribus in Samnium redeuntem, fama de Samnitium exercitu populationibusque Campani agri ad tuendos socios convertit.* Mox: *His satis exploratis profectus, tanto intervallo ab hostibus consedit, ut nec adventus suus propinquitate nimiâ nosci posset: & egredientem è castris hostem opprimeret. Aliquanto ante lucem ad castra accessit: gnarosque Oscæ lingvæ exploratum, quid ageretur, mittit.* Hinc etiam Campani ab Samnitibus orti, Oscum illud habuêre vocabulum *mediastuticus*. Idem Livius lib. XXIIII: *Q. Fabius consul ad Casilinum castra habebat; quod duûm millium Campanorum & septingentorum militum Hannibalis tenebatur præsidio. Præerat Statius Metius: missus ab Cn. Magio Atellano; qui eo anno mediastuticus erat.* Et lib. XXVI: *Hoc ultimum, utcumque initum finitumque est, ante deditionem Capuæ prælium fuit. Mediastuticus, qui summus magistratus apud Campanos est, eo anno Seppius Lesius erat.* Hinc item illa narratio Festi de nomine Mamertinorum: qui, genere *Campani*, Messanam in Siciliâ olim occupaverunt. *Mamertini*, inquit, *adpellati sunt hac de causâ: Quum toto Samnio gravis incidisset pestilentia, Sthennius Mettius, eius gentis princeps, convocatâ civium suorum concione, exposuit, se vidisse in quiete præcipientem Apollinem, ut, si vellent eo malo liberari, ver sacrum vovérent; id, quæcumque vere proximo nata essent, immolaturos sibi. quo facto levatis, post annum vicesimum deinde eiusdem generis incessit pestilentia. rursum itaque consultus Apollo respondit, non esse persolutum ab his votum; quòd homines immolati non essent. quos si expulissent, certò fore, ut eâ clade liberarentur. Itaque hi jussi patriâ decedere, quum parte eâ Siciliæ consedissent, quæ nunc Tauromenitana dicitur; fortè laborantibus bello novo Messanensibus auxilio venerunt ultro; eosque ab eo liberarunt. Provinciales hoc ob meritum eorum ut gratiam referrent; & in suum corpus communionemque agrorum invitarunt eos, & nomen acceperunt unum, ut dicerentur Mamertini: quòd, conjectis in sortem XII deorum nominibus, Mamers fortè exierat; qui lingvâ Oscorum Mars vocatur. eius historiæ auctor est Alsius lib. I belli Carthaginiensis.* Fuisse *Campanos*, Siciliæ lib. I

cap.

cap. VI ostensum est. Ergo ex valido hoc certoque lingvæ argumento satis jam constat, Sabinos Opicæ sive Oscæ fuisse stirpis. At haud facilè inducor, uti credam, ex Sabino demum agro, inter Narem Anienemque & Tiberim amneis sito, ortos fuisse à Sabinis *Samniteis* atque *Picenteis*. sed, ut suprà lib. II cap. VIII in Sabinorum, & cap. XI in Picentium expositione dixi, *Ausones* illi, qui posteà *Opici* vocati, jam secundò mutatâ adpellatione, dicti fuêre SABINI. mox gente universâ in plureis partes atque nomina diversâ, alii ex iis AVRVNCI, alii SIDICINI adpellati fuêre. quorum tamen illi antiquissimum etiam illud nomen Ausonum ad posteriora usque tempora, si Romanis credimus scriptoribus, perpetuò servarunt. Reliquum autem Sabinorum corpus in duas potissimùm parteis divisum fuit; quarum altera, versùs Solis occasum æstivum & Alpeis, SABINORVM nomen retinuit; altera, versùs ortum Solis hibernum & fretum Siculum dicti fuêre ab initio Σαβινίτης, SABINITES; mox Σαβνίτης sive Σαωνίτης, SABNITES seu SAVNITES; ac tandem Σαμνίτης, SAMNITES. utraque verò pars, Sabini juxtà & Samnites, uno nomine etiam dicti fuêre SABELLI; ut suprà dicto lib. II cap. VIII ostensum. Hinc igitur est illud Philargyri ad Virgilii Γεωργικῶν lib. II: *Pubemque Sabellam. Hi sunt, qui olim Ausones dicebantur*. Plinius lib. III cap. XII: *Samnitium, quos Sabellos, & Græci Saunitas dixêre, colonia Bovianum*. Virgilius dicto Γεωργικῶν lib. II: de Italiâ loquens:

Hæc genus acre virûm, Marsos, pubemque Sabellam,
Adsvetumque malo Ligurem, Volscosque verutos,
Extulit.

Quum gravissima & maximè diutina cum *Samnitibus* in Italiâ bella gessêrint Romani; haud dubium est, quin eam gentem, non verò Sabinos, heic inter bellicosissimas Italiæ genteis connumerare voluerit poëta. At Aeneid. lib. VIII disertè Sabinum genus intellexit; ubi ita Aeneam adfatur Euander in urbe Româ:

Gnatum exhortarer, ni mistus matre Sabellâ
Hinc partem patriæ traheret.

At Samnites intelligunt Livius atque Horatius. ille lib. VIII: *Alteri consuli, Aemilio, ingresso Sabellum agrum, non castra Samnitium, non legiones usquàm oppositæ. ferro ignique vastantem agros, legati Samnitium, pacem orantes, adeunt*. Lib. X: *Samnitium dux Gellius Egnatius pabulatum cum cohortibus paucis ierat*. Mox: *Ibi interventu Galli cohortiumque Sabellarum paullisper recruduit pugna*. Horatius lib. II, satyrâ I:

Nam Venusinus arat finem sub utrumque colonus;
Missus ad hoc, pulsis, vetus est ut fama, Sabellis,
Quò ne per vacuum Romano incurreret hostis.

At postquàm *Sabini* Vmbriæ etiam partem, & item Liburnorum agrum apud mare superum occuparunt; scissi sive dissensione quadam domesticâ, seu alio quo consilio, in duas parteis, pars altera nomen antiquum Sabinorum retinuit, inter Narem & Anienem; altera pars inter Apenninum & mare PICENTES sese adpellavêre; ut suprà lib. II cap. VIII & XI ostensum. At VESTINI, MARRVCINI, PELIGNI, MARSI, AEQVI, & HERNICI; quos omneis & ipsos eiusdem fuisse generis, suprà dicto lib. II demonstratum est: quando & qua de causâ secessionem à communi *Sabinorum* corpore ac nomine fecerint, incertum est. At verò à Samnitium nomine digressi sunt, teste suprà citato Strabone, & aliis, quos infrà suis locis producemus, FRENTANI, mare superum inter Marrucinos atque Apulos adcolentes; tum LVCANI, à Silano Bradanoque amnibus ad fretum usque Siculum mare inferum & Tarentinum sinum adcolentes: mox CAMPANI item, inter suprà dictos Auruncos Sidicinosque & Silarum eiusdem maris inferi oram tenentes. ultimi digressionem fecêre HIRPINI, circa Beneventum & Compsa, quæ opida hodiéque manent, incolentes. De his duobus populis infrà suis locis id probabitur. Cæterùm à *Lucanorum* corpore ac nomine digressi sunt BRVTTII, extremum Italiæ angulum, inter Laum, inferi maris, & Crathim, Tarentini sinus amnem, fretumque Siculum incolentes. De his ita habet Festus: Bilingveis Brutates Ennius dixit, quòd Brutii & Oscè & Græcè loqui soliti sint. Scilicet Græci post bellum Troianum complureis in litora Brutiorum deduxerant colonias; ut infrà in ipsorum expositione patebit. At quamprimùm primi illi Græci, suprà dicti *Oenotri*, in Siculorum regionem seu Latium inter Narem amnem & mare inferum profecti sunt;

relictam

relictam ab his Italiæ extremam istam partem ab Lao Cratisque ad fretum usque haud dubiè statim repitierunt *Ausones*, mutato jam nomine *Opici*, seu, ut Romani usurparunt, Osci dicti. namque inter Oenotrorum emigrationem Lucanorumque ac Bruttiorum originem nulla heic intermedia memoratur gens. Id tamen minùs certum; quibus temporibus ab Samnitium nomine diverterint Lucani; & ab his porrò Bruttii. Atque hactenus satis clarè manifestóque & abundè demonstratum est, unam eamdemque fuisse gentem Ausones atque Opicos. hos verò postmodùm in varias parteis adpellationesque sive nationes fuisse divisos. quarum eas, quæ ex Sabinorum genere ortæ traduntur auctoribus, suprà explicuimus. quæ verò ex Samnitium nomine stirpem duxerunt, posthinc suo quæque ordine geographico dicentur.

CAP. X.

De AVSONVM *sive* AVRVNCORVM *inter Tarracinam & Massicum montem opidis cæterisque locis.*

VLtra Tarracinam igitur Volscis continuabantur AVRVNCI, gens Opica; quos antiquiore vocabulo Livius, ut superiori capite ostensum, vocat AVSONES. Regionem incoluêre apud mare inferum longitudine XXXIIII millium passuum, ab Tarracinâ ad Suessam usque Auruncam: quæ vulgò nunc vocatur Sessa: sed latitudine satis exigua. quidpe à litore ad Volscorum opida Fabrateriam Interamnamque XVII circiter erant millia. Ab occasu igitur atque septemtrionibus habuêre conterminos Volscos: ab ortu Sidicinos, quorum *Teanum* opidum, & Campanos. ab austro claudebantur mari. Huius oram sic describit Plinius lib. III cap. V: *Flumen Vfens: supra quod Tarracina opidum, linguâ Volscorum Anxur dictum. & ubi fuêre Amyclæ, à serpentibus deletæ. dein locus Speluncæ; lacus Fundanus, Caieta portus, opidum Formiæ, [anteà] Hormiæ dictum; ut existimavêre, antiqua Læstrygonum sedes, ultra fuit opidum Pyræ; colonia Minturnæ, Liri amne divisa, Glani quondam adpellato. opidum Sinuessa; extremum in adjecto Latio: quam quidem Sinôpen dixêre vocitatam. Hinc felix illa Campania est.* Ptolemæus idem litus sic refert: Ταρρακίναι, Φορμίαι. Καμπανῶν πρὸς τὸ Τυρρηνικὸν πέλαγος· λιμὴν πόλεως ἐνδόλαι, Σινόεσσα, Οὐόλτυρνον. Id est: *Tarracinæ, Formiæ. Campanorum hinc juxta mare Tuscum, Liris fluvii ostium, Sinuessa, Vulturnum.* Mela lib. II cap. IIII adverso itinere, ex Campaniâ in Latium, progrediens: *Pæstanus sinus, Postum opidum, Silarus amnis, Picentia, Petræ, quas Sirenes habitavêre, Minervæ promontorium; opima Lucaniæ loca. Sinus Puteolanus, Surrentum, Herculaneum, Vesuvii montis adspectus, Pompeii, Neapolis, Puteoli, lacus Lucrinus & Avernus, Baiæ, Miscenum, Cumæ, Liternum, Vulturnus amnis, Vulturnum opidum: amœna Campaniæ litora. Sinuessa, Liris, Minturnæ, Formiæ, Fundi, Tarracina.*

SPELVNCA VILLA memoratur Tacito in Annal. lib. IIII; ubi ita de Tiberio loquitur: *Fortè illis diebus oblatum Cæsari anceps periculum auxit vana rumoris. præbuitque ipsi materiem, cur amicitiæ constantiæque Seiani magis fideret. Vescebatur in villâ, cui vocabulum Speluncæ, mare Amuclanum inter Fundanosque monteis, nativo in specu. eius os, lapsis repentè saxis, obruit quosdam ministros. hinc metus in omneis, & fuga eorum, qui convivium celebrabant. Seianus genu vultuque & manibus super Cæsarem suspensus, opposuit sese incidentibus, atque habitu tali repertus est à militibus, qui subsidio venerant.* Eadem villa Svetonio in Tiberio PRAETORIVM dicitur: nempe, quia omnes elegantiores superbioresque villæ eo sæculo prætoria vocabantur. Ipse Svetonius in Caligulâ cap. XXXVII: *In exstructionibus prætoriorum atque villarum, omni posthabitâ ratione, nihil tam efficere concupiscebat, quàm quod effici posse negaretur.* Sed in Tiberio, cap. XXXVIIII, *Neque Romam*, inquit, *amplius redit. sed paucos post dies juxta Tarracinam in prætorio, cui Speluncæ nomen erat, incœnante eo, complura & ingentia saxa fortuitò supernè delapsa sunt. multisque convivarum & ministrorum elisis, præter*

præter spem evasit. Sed & Straboni idem locus memoratur lib. v, post descriptionem Tarracinæ. Ἑξῆς δὲ, inquit, Φορμίαι Λακωνικὸν κλῆσμα ἐστὶν, Ὁρμίαι λεγόμενον πρότερον, ἀπὸ τοῦ εὐόρμου. καὶ τὸ μεταξὺ δὲ κόλπον ἐκεῖνοι Καϊάταν ὠνόμασαν· τὰ γὰρ κοῖλα πάντα καϊάτας οἱ Λάκωνες προσαγορεύουσιν. ἔχει δὲ μῆκος σταδίων ρ', ἀρξάμενον ἀπὸ τῆς Ταρρακίνης, μέχρι τῆς ἄκρας τοῦ ὁμωνύμου. ἀνέῳγε δ' ἐντεῦθεν αἰπήλαια ὑπερμεγέθη, καὶ οἰκίας μεγάλας ἔχοντα πολυτελεῖς διεσκευασμένα. ἐντεῦθεν δ' ἐπὶ τὰς Φορμίας τετρακόσιοι. Hoc est: *Sequuntur à Tarracinâ Formiæ, à Laconibus conditæ: priùs, ob litoris ad excipiendas naves opportunitatem, Hormiæ dictæ. quin & sinum interjectum Lacones Caiatam adpellavêre. καϊάτας quidpe illi omneis indigetant cavitates. protenditur autem is sinus ad longitudinem centum stadiorum, à Tarracinâ ad promontorium eiusdem nominis. Hinc ingentes aperiuntur speluncæ; in quibus magnæ sunt ac sumptuosæ villæ. Inde ad Formias stadia sunt* XL. Ergo secundùm hæc Strabonis verba complures fuêre speluncæ, compluresque in eis villæ. Cæterùm oratio isthæc satis est perplexa est, &, ni menda inesse concedas, etiam erronea. Speluncæ Caietæque vocabula etiam nunc exstant; illud *Sperlonga*, hoc *Caéta* vulgò dictum. Sed ab opido hoc, quod in promontorio situm, XVI fermè sunt millia ad Tarracinam: id est, stadia CXXVIII. Ab eo tamen promontorio atque opido recte XL stadia numeravit Strabo, id est millia passuum V, ad Formias, quæ nunc vulgò *Mola*. Minime igitur istud posterius ἐντεῦθεν intelligendum est de Speluncis. At primum ἐντεῦθεν mendosum existimo à germano auctoris ἐναῦθα, id est, *heic*; scilicet, ἐν τῷ κόλπῳ Καϊάτᾳ, *in sinu Caiatâ*, inter Caietam opidum & Tarracinam. est quidpe prædictum opidulum *Sperlonga* citra Caietam, haud procul siniſtrâ sive orientali ripâ faucium Fundani lacus; de quo plura mox in mediterraneo dicam. unde etiam Plinius erraſſe deprehenditur, inter lacum hunc & Tarracinam locum Speluncæ collocans. De cætero, quia Plinius tantummodò locum vocat Speluncæ, & item Svetonius præteriti temporis verbo utitur *erat*; haud invalido inde colligere licet argumento, villam hanc, quæ Tiberii Strabonisque tempestate exstabat, illorum ætate, utique quum geographica sua sub Vespasiano imperatore ederet, dirutam fuisse.

Inter *Speluncam & Tarracinam*, ut vult Plinius, seu, ut distertiùs locus indicetur, inter fauceis Fundani lacus, & viam Fundanam, quæ sub montium radicibus Tarracinam fert, fuêre AMYCLÆ *opidum*, Virgilio etiam & Silio ac Martiali Solinoque & Servio aliisque memoratum. Virgilius Aeneid. lib. X:

Protinus Anthéum & Lycam, prima agmina Turni,
Persequitur, fortemque Numam, fulvumque Camertem,
Magnanimo Volscente satum, ditissimus agri
Qui fuit Ausonidûm, & tacitis regnavit Amyclis.

Silius lib. VIII:

——— *Quasque evertêre silentia, Amyclæ.*

P. Catullus Vrbicarius in Pervigilio Veneris; quod alii Petronio adscribunt:

Perdidi Musam tacendo; nec me Phœbus respicit.
Sic Amyclas, quum tacerent, perdidit silentium.

Plinius suprà dicto lib. III cap. V: *Et ubi fuêre Amyclæ, à serpentibus deletæ*. Item lib. VIII cap. XXXVIIII: *M. Varro auctor est, in Italiâ Amyclas à serpentibus deletas*. Solinus cap. VIII: *Sed quamvis Italia habeat hoc præsidium familiare: a serpentibus non penitus libera est. denique habitatores ab Amyclis, quas antè Græci condiderant, serpentes fugavere. Illic frequens vipera insanabili morsu. brevior hæc cæteris, quas in aliis advertimus Orbis partibus. ac propterea, dum despectui est, facilius nocet*. Sotionis fragmenta de Fontium fluminum & lacuum mirandis. Περὶ δὲ Ταρρακίνα τῆς Ἰταλίας, φησὶν Ἴσιγον, λίμνην εἶναι Μυκλαίαν [scribe, Ἀμυκλαίαν] καλουμένην, καὶ παρ' αὐτὴν πόλιν ἔρημον· ἧς οὖν ἐνοικοῦντας στηθῆναι τῆς πόλεως ἀπὸ τὸ πλῆθος τῶν ὑδρῶν. Id est: *Circa Tarracinam in Italia, tradit Isigonus, lacum esse nomine Amyclanum; & juxta hunc opidum desertum, cuius incolæ multitudine hydrorum opidum relinquere fuerint coacti*. Servius nescio an magis ex grammaticis, quàm historicis, deprompsit rationem *silentii*, quod præscripti poëtæ innuunt. Verba eius ad Virgilii locum hæc sunt: *Inter Caietam & Tarracinam opidum constitutum est à Laconibus, qui comites Castores & Pollucis fuerant; & cum Glauco, filio Minois, in Italiam venerunt; & mysticum Ausonis* [mendum vel defectum huic loco inesse, haud dubito] *ab Amy-*

clis, provinciæ suæ Laconicæ civitate, ei inditum nomen est. Lacones itaque isti, quum, secundùm Pythagoréam sectam, à cæde omnium animalium abstinerent; & è vicinis paludibus natas serpentes occidere nefas putarent; ab iisdem interempti sunt. unde Amyclas tacitas dicit; id est, Pythagoréas. nam Pythagorica virtus est quinquennale silentium. Cicero propter nimiam modestiam periisse illos ait, dum à finitimis accipiunt injurias, & tacent eas. Est & alia expositio. Quum frequenter falsò nunciarentur hostes adesse; & inani terrore civitas concuteretur; statâ lege cautum est, ne quis umquàm hostis nunciaret adventum. posteà, quum verè hostis veniret; nullo nunciante, ex improviso civitas capta est. unde Tacitæ Amyclæ dictæ sunt, quòd periére silentio. unde Lucilius ait; *Mihi necesse est loqui. nam scio Amyclas tacendo periisse.* Apud Fundanum lacum fuisse sitas, uti rex Isigonus maximè testatus est: cui etiam Ἀμυκλαία λίμνη, id est, AMYCLANVS LACVS, inde dictus est. Ab eodem igitur opido conterminum quoque mare Tacito suprà dicto Annal. lib. IIII dicitur AMYCLANVM MARE; & Plinio AMYCLANVS SINVS; qui Straboni suprà scripto loco est Καϊάτα κόλπος, id est, ut reliqui auctores omnes id vocabulum formarunt, Καϊήτα κόλπος, CAIETA SINVS. Plinius lib. XIIII cap. VI: *Anteà Caecubo vino erat generositas celeberrima in palustribus populetis, sinu Amyclano.* Magna heic sternitur inter Formianos Fundanosque monteis vallis; atque in eâ *Fundi* opidum *lacus*que *Fundanus*; & circùm hunc *paludes*, ad mare usque.

Speluncam igitur proximè sequitur PROMONTORIVM & OPIDVM & PORTVS CAIETA, Lycophroni, Ciceroni, Virgilio, Diodoro, Ovidio, Straboni, Plinio, Silio, Martiali, Statio, Floro, Solino. Virgilius Aeneid. lib. VI, sub finem; ubi Aeneas à Miseno promontorio ad Tiberim versùs navigat:

Tum se ad Caietæ recto fert litore portum.

Nomen unde habuerit, idem poëta principio sequentis libri indicat his versibus:

Tu quoque litoribus nostris Aeneïa nutrix
Æternam moriens famam, Caieta, dedisti.
Et nunc servat honos sedem tuus; ossaque nomen
Hesperiâ in magnâ (si qua est ea gloria) signat.
At pius, exsequiis, Aeneas, ritè solutis,
Aggere composito tumuli, postquàm alta quierant
Æquora, tendit iter velis, portumque relinquit.

Item Ovidius Μεταμορφώσεων lib. IIII:

——— Vrnâque Aeneïa nutrix
Condita marmoreo tumulo breve carmen habebat:
Heic me Caietam notæ pietatis alumnus
Ereptam Argolico, quo debuit, igne cremavit.

Et Μεταμορφ. lib. XV:

Minturnæque graves, & quam tumulavit alumnus,
Antiphatæque domus.

Silius lib. VIII:

——— Quasque evertère silentia, Amyclæ;
Fundique; & regnata Lamo Caieta; domusque
Antiphatæ.

Statius, Silvar. lib. I carm. III:

Cedant Telegoni, cedant Laurentia Turni
Iugera, Lucrinæque domus, litusque cruenti
Antiphatæ; cedant vitreæ juga perfida Circes,
Dulichiis ululata lupis, arcesque superbi
Anxuris, & sedes Phrygio quas mitis alumno
Debet anus.

Martialis lib. V epigram. I:

Seu placet Aeneæ nutrix, seu filia Solis,
Sive salutiferis candidus Anxur aquis.

Lib. X epigram. XXX:

Non blanda Circe Dardanisve Caieta
Desiderantur.

Solinus

Solinus cap. VIII: *Par sententia est inter auctores, à gubernatore Aeneæ adpellatum Palinurum, à tubicine Misenum, à consobrinâ Leucasiam insulam. inter omneis perspicuè convenit, à nutrice Caietâ Caietam.* Haud perinde inter omneis convênit. nam variæ à variis auctoribus eius vocabuli redduntur rationes atque origines. Servius ad Virgilii locum proximè scriptum: *Hanc alii Aeneæ, alii Creûsæ, alii Ascanii nutricem volunt. Lectum tamen est in Philologis, in hoc loco classem Troianam casû concrematam. unde Caieta dicta* ἀπὸ τῦ καίειν. Sex. Aurel. Victor in libro de Origine gentis Romanæ, de eodem Aeneâ loquens: *Aditisque fatis, vetitum, ne in Italiâ sepeliret Proclytam, cognatione sibi conjunctam; quam incolumem reliquerat. & postquàm ad classem rediit, reperitque mortuam; in insulâ proximâ sepelisse, quæ nunc quoque eodem est nomine: ut scribunt Vulcatius & Acilius Piso. inde profectum, pervenisse in eum locum, qui nunc portus Caietæ adpellatur, ex nomine nutricis eius, quam ibidem amissam sepeliit. At verò Cæsar & Sempronius aiunt, Caietæ cognomen fuisse, non nomen: ex eo scilicet inditum, quòd eius consilio impulsique matres Troianæ tædio longi navigii classem ibidem incenderint: Græcâ scilicet adpellatione, ἀπὸ τῦ καίειν, quod est incendere.* Hoc sanè non magis verum certumque, quàm quòd Troianam classem Dionysius lib. I ac Virgilius Aeneid. lib. V & X, in Siciliâ apud Aegestam urbem crematam fuisse referunt: Aristoteles verò in Mirandis, & Lycophron in Alexandrâ, Strabo lib. VI, in Italiâ apud Sirin, Lucaniæ opidum; alii, teste Tzetzâ in Lycophronem, apud Neæthum, Crotoniensis agri amnem; atque inde flumini nomen mansisse. quidam etiam apud Pisas, in Arni ostio; teste eodem Servio ad Aeneid. lib. XI, sed plerique in Latio, apud Tiberina ostia: testibus apud Dionysium dicto lib. I Aristotele & auctore de Argéis, item Damaste & nonnullis aliis: testibus item Plutarcho in Romulo atque in libro de Mulierum virtutibus, Solino cap. I. At Lycophron & Diodorus ab Argonautis, mare hoc inferum, post abreptum in Colchide aureum vellus, navigantibus, vocabulum portui ex Aeetæ, Colchorum regis, nomine, impositum voluerunt. Diodorus lib. IIII: Περὶ μὲν γὰρ τὴν Τυρρηνίαν καταπλεύσαντας αὐτοὺς εἰς νῆσον τὴν ὀνομαζομένην Αἰθαλίαν, τὸ ἐν αὐτῇ λιμένα Ἀργῶον ἀπὸ τῆς νεὼς προσαγορεῦσαί φασι, καὶ μέχρι τῶνδε τὸ χρόνον διαμένειν αὐτῷ τὴν προσηγορίαν. Παραπλησίως δὲ τοῖς εἰρημένοις, καὶ μὴν τὴν Τυρρηνίαν ὀνομάσαι λιμένα Τελαμῶνα· καὶ δὴ Φορμίας τὰς Ἰταλίας Αἰήτην, τὸ πάλαι Καιήτην προσαγορεύθηναι. Hoc est: *In Tyrrheniæ enim præternavigatione ad insulam Aethaliam adpulsos, portum ibi Argoum de navi suâ adpellasse dicuntur. quod nomen ad hanc usque tempestatem ibi duret. ad eumdemque modum in Tyrrheniâ portum nominasse Telamonem. ad Formias autem Italiæ Aeetam vocasse portum, qui nunc dicitur Caieta.* Lycophron in Alexandrâ, de Aeneâ loquens:

Τὼ πλεῖστον ὑμνηθεῖσαν ἐν χάρμῃς πάτραν
Ἐν ἐψιπίκνοις ὀλβίαν δωμήσει
Τύρσιν μακεδνὰς ἀμφὶ Κιρκαίᾳ νάπας
Ἀργῶς π κλυτὸν ἄρμον Αἰήτῃ μέγαν.

Hoc est:

Plurimum celebratam in bellis patriam
Per posteros ædificabit, felicem
Arcem altas juxta Circæi silvas
Portumque Argûs inclytum, Aeeten magnum.

Ad quem locum ita commentatur Isacius Tzetza: Αἰήτης λιμὴν ἐν Ἰταλίᾳ, ἔνθα φασὶ ἐρμηθῆναι τὴν Ἀργὼ, καὶ καθαρθῆναι ἀπὸ Κίρκης ἐκ τῦ φόνυ τῦ Ἄψυρτι Ἰάσονα καὶ Μήδειαν. Id est: *Aeeta portus est Italiæ; in quem adpulisse tradunt Argô navem, & expiatos per Circen ab cæde Absyrti Iasonem & Medéam.* Sed Argonautica ista æque fabulosa est navigatio, ac Aeneæ in Italiam adventus. quapropter Strabo suprà dicto lib. V quartam adfert huius vocabuli originationem. Ἐξῆς δ' ἡ Φορμίαι, inquit, Λακωνικὸν κλῖσμα ἐστὶν, Ὁρμίαι λεγόμενον πρότερον, διὰ τὸ εὔορμον. καὶ τὸν μεταξὺ δὴ κόλπον ἐκεῖνοι καϊάτας ὠνόμασαν. τὰ γὰρ κοῖλα πάντα καϊάτας οἱ Λάκωνες προσαγορεύουσιν. ἔνιοι δ' ἐπώνυμον Αἰνείᾳ τροφὸς τὸν κόλπον φασίν. Id est: *Sequuntur inde Formiæ, à Laconibus conditæ; anteà Hormiæ dictæ, ab litoris ad excipiendas naveis opportunitatem. quin & sinum interjectum adpellavêre iidem Lacones Caiatam. omnia quidpe, quæ cava sunt, caiatas illi dicunt. Alii verò ab Aeneæ nutrice adpellatum sinum volunt.* Sic equidem & Hesychius in Lexico: Καϊάτα, ὀρύγματα· id est; *Caiata, fossæ.* Et Thucydides

CAIATANVS sinus; qui & Amyclanus.

lib. 1, de Pausaniâ, Lacedæmoniorum rege, loquens: Καὶ αὐτὸν ἐμέλλησεν μὴ ἐς τὸν Καϊάδαν, ἔστιν οὗ κακοῦργοι ἐμβάλλειν ἐώθεσαν. ἔπειτα ἔδοξε πλησίον που κατορύξαι. Id est: *Dejecturi autem erant eum in fossam, in quam noxii solent dejici. sed posteà placuit, in propinquo alicubi defodere.* Vetus Thucydidis commentator: Τόπος ὁ Καϊάδας ὀρωρυγμός ἐν Λακωνικῇ, ὅπου τοὺς κακούργους ἐώθεσι ῥιπτεῖν. Id est: *Caiada locus est effossus in Laconicâ, in quem noxios solebant abjicere.* Verùm mera ista Strabonis est conjectatio, haud usquequaque idonea. namque si *fossiones* tantùm adpellabantur Καϊάδας, sive Καΐαδα, nihil cum his simile habebat, CAIETANVS: qui olim etiam dicebatur AMYCLANVS; ut paullo antè intelleximus. PORTVS CAIETANVS, præter prædictos auctores, memoratur Ciceroni quoque & Silio, ac Floro & Iulio Capitolino. Cicero in oratione pro Lege Manilià: *An verò ignoratis, portum Caietæ celeberrimum, atque plenissimum navium, inspectante prætore à prædonibus esse direptum?* Florus lib. 1 cap. XVI: *Heic illi nobiles portus, Caieta, Misenus.* Iul. Capitolinus in Antonino Pio inter alia eius opera refert *Caietæ portum & Tarraconensis portus* restitutionem. Silius lib. VII:

Ecce autem flatu classis Phœnissa secundo
Litora Caietæ Læstrygoniosque recessus
Sulcabat rostris, portusque intrabat apertos.

Cæterum apud Plutarchum in Cicerone ita scriptum est: Ὁ δὲ Κικέρων εἰς Ἄστυρα κομισθείς, καὶ πλοῖον εὑρὼν, εὐθὺς ἐνέβη, καὶ παρέπλευσεν ἄχρι Κιρκαίων, πνεύματι χρώμενος. ἐκεῖθεν ἡ βλοσυρῶν εὐθὺς αἴρεσις τῶν κυβερνητῶν, εἴτι δείσας τὴν θάλασσαν, εἴτ' ἄπωθεν παραπλεῖν τὴν Καίσαρος ἀπιγνώσκων πίστιν, ἀπέβη· καὶ παρῆλθε πεζῇ σταδίους ἑκατὸν, ὡς εἰς Ῥώμην πορευόμενος. αὖθις δ' ἀλύων καὶ μεταβαλλόμενος κατῆγε πρὸς θάλασσαν. κἀκεῖ διενυκτέρευσεν ὑπὸ δεινῶν καὶ ἀπόρων λογισμῶν· ὥστε καὶ παρελθεῖν εἰς τὴν Καίσαρος οἰκίαν διενοήθη κρύφα, καὶ σφάξας ἑαυτὸν ὑπὲρ τὴν ἑστίας, ἀλάστορα προσβαλεῖν. ἀλλὰ καὶ πάντας αὐτὸν ἀπεκρύπτε τὰ ὀδὰξ δέος βασάνων. καὶ τάλλα παραχωρὴ πάλιν πρὸς βουλόμενος τὴν γνώμης μεταλαμβάνων παρέδωκε τοῖς οἰκέταις ἑαυτὸν εἰς Καπίτας καὶ πλεῖν κομίζειν, ἔχων ἐκεῖ χωρία καὶ καταφυγὴν ὥρας θέρους φιλάνθρωπον, ὅπου ἥδιστον οἱ ἐτησίαι καταπνέουσιν. ἔχει δ' ὁ τόπος καὶ ναὸν Ἀπόλλωνος, μικρὸν ὑπὲρ τῆς θαλάττης. ἐνθεῦθεν δὲ φθόγγοι ἀθρόοι κράζουσαι, ὑπὸ κλαγγῆς προσφέροντο τῷ πλοίῳ· καὶ Κικέρωνος ὑπὸ γλῶσσαν ἐρεσσομένου· καὶ καθισάντες ὑπὲρ τὰ κεραίαν ἑκατέρωθεν, οἱ μὲν ἐβόων, οἱ δ' ἐνόπλων τὰς τῶν μηρυμάτων ὄψεις. καὶ πᾶσιν εὐσκὲς τὸ σημεῖον εἶναι πανηρόν. ἀπέβη δ' ἔν ὁ Κικέρων, καὶ παρελθὼν εἰς τὴν ἔπαυλιν, ὡς ἀναπαυσόμενος κατεκλίθη. τὰ δὲ κόρακες οἱ πολλοὶ μὲν ὑπὲρ τὴν θυρίδα διεκάθιζον φθεγγόμενοι θορυβώδες· εἷς δὲ καταβὰς ὑπὸ τὸ κλινίδιον, ἐγκεκαλυμμένου τοῦ Κικέρωνος, ἀπῆρε τῷ στόματι κατ' μικρὸν ἀπὸ τοῦ προσώπου τὸ ἱμάτιον. οἱ δ' οἰκέται ταῦθ' ὁρῶντες, καὶ κακίσαντες ἑαυτὰς, εἰ περιμένουσι τοῦ δεσπότου φονευόμενον θεατὰ γενέσθαι, ἠμύνοντο δ' αὐτοὶ βοηθεῖ καὶ προκηδεῖ παρ' ἀξίαν περιπίπτοντες, αὐτοὶ δ' οὐκ ἀμύνουσι· τὰ μὲν δεσπότου, τὰ δὲ βίαι λαβόντες, ἐκόμιζον ἐν τῷ φορείῳ πρὸς τὴν θάλασσαν. ἐν τούτῳ δὲ οἱ σφαγεῖς ἀπῆλθον, ἑκατοντάρχης Ἑρέννιος καὶ Ποπίλιος χιλίαρχος, ᾧ πατροκτονίας ποτὲ δίκην φεύγοντι σωθῆναι ὁ Κικέρων. Id est: *Cicero ad Astura delatus, & navigium ibi nactus, illicò conscendit: provectusque est secundo vento ad Circæum usque. Parantibus inde gubernatoribus extemplò vela facere, sive mare timens, sive nondum deposita omnino de Cæsare spe, egressus de navi est: &, quasi Vrbem petiturus, progressus itinere pedestri XII circiter millia passuum. mox inopiâ consilii langvescens, mutato instituto, mare repetiit. Noctem ibi in mentis agitationibus traduxit acerbis & perplexis. Statuit semel occultò domum Cæsaris ingredi; atque, quò ultrices diras in eum concitaret, apud focum eius se ipse interficere. sed & ab hoc itinere metus repulit eum tormentorum. Alia subinde inquieta consilia animo versans, permisit servis, ad Capuam navigio uti se deferrent. Habuit prædia ibi & villam æstivo tempore amœnum; quum gratissime spirant etesiæ. estque eo in loco haud procul à mari sacellum Apollinis. hinc sublatum agmen corvorum magno crocitu ad Ciceronis navem, dum remis terræ adpellitur, volavit: qui consederunt utrimque in antemnæ cornibus; partim crocitantes, partim capita funium tundentes. Id omnibus dirum visum est ostensum. Cicero ibi egressus de navi est. villamque ingressus, ad quietem composuit se. Heic corvi frequentes considerunt in fenestrâ; ac diros ediderunt strepitus. unus in grabatum demisit se: togamque, qua opertus erat Cicero, rostro paullatim à facie detraxit. quod servi contemplantes, ac se ipsi increpantes, si dominum paterentur in conspectu suo trucidari; quum opem ei bestiæ ferrent, eiusque curam agerent adflicti: ipsi autem non protegerent: partim precibus, partim vi sublatum in lecticâ detulerunt ad mare. Intereà supervenerunt percussores, Herennius centurio & Popilius tribunus: quem patricidii quondam reum defenderat Cicero.* Sic equidem

interpres

interpres Latinus corruptam vocem Καπίτας vertit in Capuam: haud dubiè Appiani inductus auctoritate; apud quem Civil. bellor. lib. v ita legitur: Κικέρων δ', ὃς μετὰ Γάϊον Καίσαρα ἴσχυσεν, ὅση ἠρώτα αὖ δημαγωγὸς μοναρχία, κατήγετο μὲν ἅμα τῷ παιδὶ καὶ τῷ ἀδελφῷ, ἐκ τῷ παιδὶ δ' ἀδελφῷ, καὶ πᾶσιν οἰκείοις τε ἐν φιλίαις καὶ φίλοις. Φυγὼν δὲ ὅπῃ σκάφος, οὐκ ἔφερε τὴν ἀηδίαν δ' κλύδωνος, ἀλλὰ εἰς ἄθλον κωμίον, ὃ καθ' ἑστερέαν τῆδε δ' πίθηκος εἶδον, ἀμφὶ Καπύλῳ, πόλιν τῆς Ἰταλίας, καθεχθεὶς, ἠρέμει. πλησιαζόντων δὲ τῶν ἐρευνώντων, εἰς τὸ δωμάτιον αὐτοῦ κόραικες, ἐσπαίοντες ἔκλαζον, ἐπεγειρόντες δὲ τὸ σῶμα δ' σώματος, ἕως οἱ θεράποντες σημηνάμενοι τὸ γιγνόμενον, εἶναι σύμβολον ἐκ δ' θεῶν, ἐς φυρῶν ἐσθέμενοι τὸν Κικέρωνα, αὖθις ὅπῃ τῷ θαλάσσαν ἦγον, διὰ λόχμης βαθείας λανθάνοντες. Hoc est: *Cicero autem, qui post C. Cæsaris mortem regnavit in concionibus, proscriptus est cum filio ac fratre, fratrisque filio, atque omnibus domesticis suis ac factionis suæ amicis. quumque in naviculâ fugeret, jactationem maris ferre non potuit: sed in villam suam, quam mihi libuit ob huius casus memoriam visere, prope Capuam, Italiæ opidum, delatus quiescebat. & quum propinquarent, qui eum quærebant; in cubiculum eius involantes corvi, crocitatu somnum rumpebant; stragulamque ei detrahebant; donec servi, moti prodigio, impositum lecticæ rursum deferrent ad mare per devia silvæ densissimæ.* At verò legendum esse apud Plutarchum εἰς Καιήτας, apud Appianum ἀμφὶ Καιήτῳ, ex aliis auctoribus disco. nisi fortè cum doctissimo Iosepho Scaligero ex Eusebio apud Plutarchum vitiatum vocabulum Καπίτας corrigi malis in εἰς Καϊήτας. sic quidpe apud Eusebium in Chronicor. lib. II legitur: Κικέρων ὁ ῥήτωρ καὶ συγκλητικὸς ἐν Γαΐταις αἱρεῖται ὑπὸ Ἰταλίας. id est: *Cicero orator & senatorii ordinis vir in Gaitis Italiæ interficitur.* Vbi & ipsum hoc vocabulum ἐν Γαΐταις emendandum est ἐν Καϊήταις: id est, *in Caietâ.* Cæterùm Cassiodorus in Chronico: *C. Pansa & A. Hirtius. His consulibus Cæsar Octavianus, Antonius, & Lepidus, amicitiæ fœdus inierunt. M. Cicero per Popilium militem Caietæ occisus est, annorum* LXIIII. Valer. Maximus lib. I cap. IIII: *M. Ciceroni mors imminens auspicio prædicta est. quum enim in villâ Caietanâ esset, corvus in conspectu eius horologii ferrum loco matum excussit: & protinus ad ipsum tetendit: ac laciniam togæ eò usque morsu tenuit, donec servus, ad occidendum eum milites venisse, nunciaret.* Senecâ Svasoriâ declamatione VI: *Livius ita ait: M. Cicero sub adventum triumvirorum cesserat Vrbe, pro certo habens id, quod erat, non magis Antonio eripi se, quàm Cæsari Cassium & Brutum, posse; primò in Tusculanum fugit: inde transversis itineribus Formianum, ut ab Caietâ navim conscensurus, proficiscitur. unde aliquotiens in altum provectum, quum modò venti retulissent, modò ipse jactationem navis, cæco volvente fluctu, pati non posset; tædium tandem eam & fugæ & vitæ cepit. regressusque ad superiorem villam, quæ paullo plus mille passibus à mari abest; Moriar, inquit, in patriâ sæpè servatâ. Satis constat, servos fortiter fideliterque paratos fuisse ad dimicandum: ipsum deponi lecticam, & quietos pati, quod sors iniqua cogeret, jussisse. Prominenti ex lecticâ, præbentique immotam cervicem, caput præcisum est.* Ergo *villa* hæc *Ciceronis* gemino nomine promiscuè & CAIETA & FORMIANVM adpellata fuit: quidpe quæ in medio opidorum Caietæ Formiarumque, quæ V millia passuum inter se distant, posita fuit. quo situ hodiéque reliquiæ antiqui monumenti à dextro viæ Appiæ conspiciuntur; etiam nunc vulgari adpellatione *La villa di Cicerone dictæ.* Testis erit vel ipse Cicero, in Epistolis ad Atticum. Lib. I epist. II: *Signa quæ nobis curasti, ea sunt ad Caietam exposita. nos ea non vidimus.* Epist. III: *Quæ mihi anteà signa misisti, ea nondum vidi. in Formiano sunt. illa omnia in Tusculanum deportabo. Caietam, si quando abundare cœpero, ornabo.* Lib. VIII epist. III: *Navis & in Caietâ est parata nobis & Brundisii.* Sed libro primo satis clarè atque apertè eumdem locum & Caietam adpellat & Formianum. ait quidpe, quæ signa ad *Caietam* exposita fuerant, ea quidem in *Formiano* esse; sed priùs se illis velle instruere *Tusculanum* suum. hoc satis exornato, ubi abundare cœperit aliis signis, se tum Caietum etiam exornaturum, id est Formianum. Atque hoc nomine semper posteà id prædium adpellat. Lib. II epist. IIII: *Nos circiter Calendas aut in Formiano erimus, aut in Pompeiano. Tu, si in Formiano non erimus, si nos amas, in Pompeianum venito.* Epist. VIIII: *In Formianum volumus venire Parilibus. inde Calendis Maiis de Formiano proficiscemur, ut Antii simus ad Nonas Maias. inde cogito in Tusculanum.* Statim: *Te aut in Formiano, aut Antii, aut in Tusculano cura ut videamus.* Epist. X: *Antium me ex Formiano recipere cogito ad* V *Non. Mai. Antio volo Nonis Maiis proficisci in Tusculanum. sed quum in Formianum rediero, faciam statim te certiorem.* Epist. XI:

Vsque ad Nonas Maias te in Formiano exspectabo. Epist. XII: *Posteaquàm in Formiano sum.* Mox: *Nos in Formiano esse volumus ad prid. Nonas Maias.* Epist. XIIII: *Basilicam habeo, non villam, frequentiâ Formianorum.* Atque ita deinceps lib. VII epist. V, XVI, XVII, XVIIII, & XXV; lib. VIIII epist. I & XI; lib. XIIII epist. VII. Hinc igitur, quum suprà scripti auctores Caietæ Ciceronem trucidatum narrent, alii Formiis id factum referunt. Auctor libelli de Viris illustribus, in Cicerone: *Immissis ab Antonio percussoribus, quum fortè Formiis quiesceret, imminens exitium corvi auspicio didicit: & fugiens occisus est.* Freculfus tomo primo lib. VII cap. XIII: *Cicero in Formiano suo ab Herennio & Popilio occiditur, sexagesimo quarto ætatis suæ anno.*

FORMIAE, municipium.

Ipsa hinc antiquissima *urbs* FORMIAE, Ciceroni, Livio, Diodoro, Straboni, Melæ, Plinio, Martiali, Tacito, Frontino, Ptolemæo, Floro, Solino, Itinerariis Romanis, Martiano, Festo, & aliis memorata. Cicero aliquoties eius meminit in epistolis ad Atticum. Diodorus lib. IIII, de Argonautis loquens: Κατὰ δὴ Φορμίας τῆς Ἰταλίας Αἰήτην αὐτὰς ὀνομάζειν τὸν τῶν Καιήτων προσαγορεύσθαι λιμένα. Id est: *Apud Formias Italiæ Aeeten eos adpellasse portum, qui nunc dicitur Caieta.* Mela lib. II cap. IIII: *Minturnæ, Formiæ, Fundi, Tarracina.* Reliquos auctores mox infrà citabimus. At quum, ut apud Diodorum, sic apud Strabonem quoque, ut mox videbimus, vocabulum urbis recto casu Φορμία scriptum sit, & obliquo Φορμιῶν, & item apud Aelianum in procemio τῶν Τακτικῶν ad Hadrianum imperatorem ἐν Φορμίαις, haud dubium est, quin apud Ptolemæum exscriptores id corruperint in plerisque exemplaribus in Φῶρμιαι. quod equidem satis antiquum arbitror esse mendum; quando apud Stephani etiam breviatorem hoc scriptum est: Φωρμιανοὶ, πόλις Ἰταλίας. ἐθνικὸν, τὸ αὐτό. id est: *Formani, opidum Italiæ. idemque vocabulum pro gentilitio usurpatur.* Certè apud neminem nisi Formiæ formatum reperio opidi nomen: & opidani inde omnibus pariter auctoribus simulque antiquis inscriptionibus sunt FORMIANI. Cæterò quum ipsum opidi nomen interierit, situm eius maximè ostendunt Itineraria antiqua; quæ sic habent:

Hierosolymit.	Antonini:	Antonini:	Tabulæ:
Fundis	*Fundis*	*Fundis*	*Fundis*
Formis XII.	*Formis* XIII.	*Formis* XIII.	*Formis* ....
Minturnis IX.	*Minturnis* VIIII.	*Minturnis* VIIII.	*Minturnis* VIIII.

Hodiè à *Fundis* ad *Molam* opidum X numerantur: hinc ad Liris trajectum, apud quem ingentes visuntur Minturnarum reliquiæ, VIII milliaria. unde liquidè adparet, ipsum opidum Mola antiquas illas esse Formias. Confirmat hanc sententiam intervallum τὸ παραμήκους σταδίων, XL stadiorum, quæ hinc numerat Strabo ad Caietam; id est, millium passuum V. Sed & innumera penè idem testantur antiquitatum monumenta, quæ ad hoc opidum visuntur; maximè ab eâ parte, quà itur Fundos. De origine atque conditoribus Formiarum ita tradit Strabo suprà dicto lib. V: Φορμία Λακωνικὸν κτίσμα ἐστὶν, Ὁρμία λεγόμενον πρότερον, ἀφ' τὸ εὔορμον. Id est: *Formiæ, Laconum opus, priùs Hormiæ dictæ fuêre, ob litoris ad excipiendas naveis opportunitatem.* Plinius lib. III cap. V: *Caieta portus; opidum Formiæ, Hormiæ dictum.* Haud dubito, quin scripserit Plinius, *Hormiæ antè dictum.* Pompeius Festus: *Formiæ opidum adpellatur ex Græco, velut Hormiæ; quòd circa id crebræ stationes tutæque erant, unde proficiscebantur navigaturi.* Quinam isti fuerint Lacones, & quo tempore opida in hoc Italiæ litore condiderint, alii tradidêre auctores, ex quorum monumentis Servius ad Virgilii Aeneid. lib. X refert ista: *Inter Caietam & Tarracinam opidum constitutum est à Laconibus, qui comites Castoris & Pollucis fuerant; & cum Glauco, filio Minois, in Italiam venerunt: & ab Amyclis, provinciæ suæ Laconicæ civitate, ei indiderunt nomen.* Ergo circa Troiani belli tempora condita heic fuêre in Italiâ à Laconibus opida Amyclæ & Formiæ. Sæpè, licèt Græcæ vanitatis fabulam tantùm esse hanc contendas de Castoris Pollucisque comitibus & Minois filio, tamen summa opidi Formiarum antiquitas inde adparet. Et fuisse jam Troiani belli tempore, Vlyssemque huc in erroribus circa Internum hoc mare ab Homero esse deductum, plerique interpretati sunt auctores antiqui. Auctor Græcus, qui argumenta rerum

singulis

singulis Homeri libris præmisit, ita tradit ad Odysséæ lib. x: Τὰ μὲν τὸν Αἴολον ἀπαγγέλλει, τὸν τ' ἀνέμων φύλακα, ὃς ἔδοκεν Ὀδυσσεῖ ἄρμον Ζέφυρον, σὺν ἄλλους ἀνέμους ἐγκαθείρξας ἐν ἀσκῷ· οὗ οἱ ἑταῖροι λύσαντες χειμωθέντα Ὀδυσσῆα, ἅτε ἐν αὐτῷ χρυσὸν εἶναι νομίζοντες, ὑπνοῦντα ἔτι πρὸς Αἴολον. ἃ μὲν σιεμβάλλει δὴ ὁ Αἴολος τὸν Ὀδυσσέα ἐκεῖθεν ἀποπλέοντα, εἰς Λαιστρυγόνας ἀφικνεῖται. περὶ οἷς ἔνθεκα τῶν νεῶν ἀπολέσας, μίαν εἰς Αἰαίαν πλὴν νῆσον ἀφίκηται). Hoc est: *Ea, quæ apud Aeolum, ventorum custodem, acciderant, narrat: nempe, ut dederit Vlyssi secundum ventum Zephyrum; aliis ventis inclusis in utre. quem socii ubi solvissent dormiente Vlysse, aurum in eo esse rati; retro feruntur ad Aeolum. Non autem recipiente Aeolo Vlyssem, inde abnavigans, ad Læstrygonas pervenit. apud quos naveis* XI *quum amisisset; unâ, quæ reliqua erat, in insulam Aeæam proficiscitur.* Eamdem rem Ovidius refert Μεταμορφώσεων lib. XIIII; ubi Aeneam reducit ab inferis Cumana Sibylla in urbem Cumas:

Talia convexum per iter memorante Sibyllâ,
Sedibus Euboïcam Stygiis emersit in urbem
Troïus Aeneas. sacrisque ex more litatis,
Litora adit nondum nutricis habentia nomen.
Heic quoque substiterat post tædia longa laborum
Neritius Macareus, comes experientis Vlyssei

Aliquanto pòst:

Aeolon, ille refert, Tusco regnare profundo:
Aeolon Hippotaden, cohibentem carcere ventos:
Quos bovis inclusos tergo (memorabile munus)
Dulichium sumpsisse ducem: flatuque secundo
Lucibus isse novem; & terram adspexisse petitam:
Proxima post nonam quum sese Aurora moveret;
Invidiâ socios prædæque cupidine victos,
Esse ratos aurum, dempsisse ligamina ventis.
Cum quibus isse retro, per quas modò venerat undas:
Aeoliique ratem portus repetisse tyranni.
Inde Lami veterem Læstrygonis, inquit, in urbem
Venimus. Antiphates terrâ regnabat in illâ.
Missus ad hunc ego sum, numero comitante duorum.
Vixque fugâ quæsita salus comitique mihique.
Tertius è nobis Læstrygonis impia tinxit
Ora cruore suo. fugientibus instat, & agmen
Concitat Antiphates. coëunt; & saxa trabesque
Conjiciunt: merguntque viros, merguntque carinas.
Vna tamen, quæ nos ipsumque vehebat Vlyssem,
Effugit. Amissâ sociorum parte dolentes,
Multaque conquesti, terris adlabimur illis,
Quas procul hinc cernis. procul hinc, mihi crede, videndas
Insula visa mihi. tuque, ô justissime Troum,
Nate deâ (neque enim finito Marte vocandus
Hostis es, Aenea) moneo, fuge litora Circes.

Hinc & illud Μεταμορφ. lib. XV:

Minturnæque graves, & quam tumulavit alumnus,
Antiphatæque domus, Trachasque obsessa palude,
Et tellus Circæa, & spissi litoris Antium.

Tibullus lib. IIII carm. I, de eodem Vlysse:

Non voluit Cyclops cæptos avertere cursus:
Cessit & Aetnæa Neptunius incola rupis,
Victa Maronèo fœdatus lumina Baccho.
Vexit & Aeolios placidum per Nerea ventos.
Incultos adiit Læstrygonas Antiphatenque
Nobilis Artaciæ gelidos, quos irrigat unda.
Solum nec doctæ verterunt pocula Circes.

Sed ipse audiatur Homerus. qui dicto Odysséæ lib. x ita fingit Vlyssem jam secundò relinquentem Aeolias insulas, quæ sunt inter Siciliam & Italiam:

Ἔνθεν ἦ πρόπρω πλέομεν ἀκαχήμενοι ἦτορ,
Ἑξῆμαρ ὡρ ὁμῶς πλέομεν νύκτας τε καὶ ἦμαρ.
Ἑβδομάτῃ δ' ἰκόμεθα λάμυρ αἰπὺ Λαμοτρεφὲς,
Τηλέπυλον Λαιστρυγονίων.
Ἔνθ' ἐπεὶ ἐς λιμένα κλυτὸν ἤλθομεν, ὃν πέρι πάντῃ
Ἠλίβατοι τε τύχηκε διαμπερὲς ἀμφοτέρωθεν·
Ἀκταὶ δ' ἀντιβολῆτε ἐναντίαι ἀλλήλῃσιν
Ἐς στόμα πεύχεσιν· ὀρμὴ δ' εἴσοδός ἐστιν.
Ἔνθ' οἵγ' ἔσω πάντες ἔχον νέας ἀμφιελίσσας.
Αἱ μὲν ἄρ' ἔντοσθεν λιμένος κοίλοιο δέδεντο
Πλησίαι· ἀμμὲν γάρ ποτ' ἀέξετο κῦμά γ' ἐπ' αὐτῇ
Αὐτὰρ ἐγὼν οἴος σχέθον ἔξω νῆα μέλαιναν,
Αὐτοῦ ἐπ' ἐσχατιῇ πείρης ἐκ πείσματα δήσας.
Ἔστην δ' σκοπιὴν ἐς παπταλόεσσαν ἀνελθών.
Ἔνθα μὲν οὔτε βοῶν ἔτι ἀνδρῶν φαίνετ' ἔργα·
Καπνὸν δ' οἶον ὁρῶμεν ἀπὸ χθονὸς αἰσαρέοντα.
Δὴ τότ' ἐγὼν ἑτάροις πομπὴν πυθέσθαι ἐόντας,
Οἵτινες ἀνέρες εἶεν ἐπὶ χθονὶ σῖτον ἔδοντες·
Ἄνδρε δύω κρίνας, τρίτατον κήρυκ' ἅμ' ἑπέσθαι,
Οἱ δ' ἴσαν ἐκβαίντες λείην ὁδόν, ἦπερ ἄμαξαι
Ἄσσυ δ' ἀφ' ὑψηλῶν ὀρέων καταγίνεον ὕλλα.
Κέρην δ' ξύμπλωτο πρὸ ἄστεος ὑδρούσῃ,
Θυγατρὶ Λαιστρυγόνος Ἀντιφάταο.
Ἡ μὲν ἄρ' ἐς κρηΐδα καλεβήσετο καλλιρέεθρον
Ἀρτακίην· ἔνθεν γὰρ ὕδωρ πρόπαν ἄστυ φέρεσκον.
Οἱ δ' πελάσαμεν πρόσφωνεν ἔκτ' ἐρέοντε,
Οἵτινες τ' εἶεν βασιλῆες, καὶ οἷσιν ἀνάσσοι.
Ἡ δ' μάλ' αὐτίκα πατρὸς ἐπέφραδεν ὑψιμέδοντος δῶ.
Οἱ δ' ἐπεὶ εἰσῆλθον κλυτὰ δώματα, τὴν δὲ γυναῖκα
Εὗρον ὄσσαντ' ὄρεος κορυφήν· κτεῖνε δ' ἔσυτο αὐτήν.
Ἡ δ' αἶψ' ἐξ ἀγορῆς ἐκαλέσσατο κλυτὸν Ἀντιφατῆα,
Ὃν πόσιν· ὃς δὴ τοῖσιν ἐμήσατο λυγρὸν ὄλεθρον·
Αὐτίκ' ἕνα μάρψας ἑτάρων, ὡς πλίσατο δόρπον.
Τὼ δὲ δύ' αἰζηὼ φυγέτην ἐπὶ νῆας ἰκέσθην.
Αὐτὰρ ὁ τοῦ κὴν βοὴν ἀμφὶ ἄστεϊ. οἱ δ' αἰόλες
Φοίτων ἴφθιμοι Λαιστρυγόνες ἄλλοθεν ἄλλοι,
Μυρίοι, οὐκ ἀνδρεσσιν ἐοικότες, ἀλλὰ Γίγασι.
Οἵ ῥ' ἀπὸ πετράων ἀνδραχθέσι χερμαδίοισι
Βάλλον. ἄφαρ δ' κακὸς κόναβος κτ' νῆας ὀρώρει
Ἀνδρῶν ὀλλυμένων, νηῶν θ' ἅμα ἀγκυλομήτων.
Οἳ ῥ' οἱ μὲν ὀλέκον λιμένος πολυβενθέος ἐντὸς,
Τόφρα δ' ἐγὼ ξίφος ὀξὺ ἐρυσσάμενος παρὰ μηρὸν,
Τῷ ἀπὸ πείσματ' ἔκοψα νεὼς κυανοπρῴροιο.
Αἶψα δ' ἑτοῖς ἐτάροισιν ἐποτρύνας κέλευσα
Ἐμβαλέειν κώπῃσ', ἵν' ἐκφύγοιμεν κακότητα.
Οἱ δ' ἅμα πάντες ἀνέρριψαν, δείσαντες ὄλεθρον
Ἀτασθάλως δ' ἐς πόντον ἐπηρεφέας φύξε πέτρας
Νηῦς ἐμή· αὐτὰρ αἳ ἄλλαι ἀολλέες αὐτόθ' ὄλοντο.
Ἔνθεν ἦ πρόπρω πλέομεν ἀκαχήμενοι ἦτορ,
Ἄσμενοι ἐκ θανάτοιο, φίλους ὀλέσαντες ἑταίρους.
Ἀιαίην δ' ἐς νῆσον ἀφικόμεθ'. ἔνθα δ' ἔνασσε
Κίρκη ἐϋπλόκαμος.

Hoc est:

Hinc ulterius navigamus, tristes corde;
Sex dies continuò navigavimus noctes atque dies:

Septimâ

Septimâ verò pervénimus Lami ad excelsam urbem,
Longè distanteis portas habentem Læstrygoniam.
Ibi postquàm ad portum inclytum vénimus, circùm quem petra
Excelsa est, contigua utrimque,
Litora autem prominentia, adversa sibi invicem
In fauceis procurrunt: angustusque introitus est;
Ibi illi intus omnes tenebant naveis æqualeis:
Quæ intra portum concavum ligabantur
Propinquæ numquàm enim attollitur fluctus in ipso.
At ego solus tenui extra portum navem nigram,
Illic in extremâ parte petræ fune religatam.
Stabam autem in speculâ excelsâ, quam conscenderam.
Ibi quidem neque boum neque hominum adparebant opera.
Fumum autem solummodò videbamus à terrâ erumpentem.
Tunc igitur ego socios præmisi, scisciatum proficiscendo,
Quinam mortales essent in terrâ, panem edentes;
Viris duobus electis tertium præconem simul comitem addens.
Illi iverunt egressi in planam viam, quâ currus
Ad urbem ab excelsis montibus devehunt ligna:
Heic puellæ obviam factæ sunt, ante urbem aquam petenti,
Filiæ forti Læstrygonis Antiphatæ:
Quæ ad fontem descenderat limpidum
Artaciam. hinc enim aquam ad urbem ferebant.
Illi igitur congressi adloquebantur eam; interrogabantque,
Quisnam eorum esset rex; & quibus imperaret.
Illa protinus patris ostendit excelsam domum.
Illi ingressi inclytam domum, uxorem
Invenerunt, velut montis verticem; eamque perhorruerunt.
At illa confestim è foro evocabat inclytum Antiphaten,
Suum maritum. qui certè illis intendebat sævam mortem.
Statimque uno sociorum correpto, adparavit cœnam.
Reliqui duo ruentes fugâ ad naveis pervenerunt.
Cæterùm ille clamorem excitavit per urbem. illique audientes
Ibant fortes Læstrygones, aliunde alius,
Innumeri; non hominibus similes, sed Gigantibus.
Hi à petris graveis lapideis
Iaciebant. statimque malus strepitus per naveis excitatus est
Virorum pereuntium naviumque fractarum.
Dum illi hos perdebant intra profundum portum,
Interèa ego gladium acutum extraxi à femore;
Quo funeis præscidi navis nigram proram habentis.
Protinusque meos socios excitatos jussi,
Incumbere remis; ut calamitatem effugeremus.
Illi simul omnes incumbunt, timentes interitum.
Libenter igitur in mare ab altis fugit petris.
Navis mea. at reliquæ densæ illic perierunt.
Hinc ulteriùs navigamus tristes corde;
Lati tamen, quòd mortem evitassemus, postquàm caros amissimus socios.
Aeæam autem ad insulam pervénimus; ubi habitabat
Circe pulcricoma.

Ex his verbis satis disertè patet, non ad ipsum *Læstrygonum* opidum Formias adpulsum finxisse Vlyssis Homerum, sed in Caietanum portum: quem graphicè atque eleganter describit, unà cum σκοπῆ παιπαλοέσσῃ, id est, *cum speculâ excelsâ*, sive promontorio, quod illi imminet: in quo hodiè validissimum exstructum est castellum. Atque, ne dubites, in hanc sententiam intellexisse jam inde veteres auctores Homeri verba; hinc scilicet est, quòd Ovidius etiam, loco proximè scripto, Aeneam offendisse fingit in Caietano litore socium Vlyssis, Neritium Macareum. Ab hoc

igitur

igitur promontorio profecti, quos miserat ad explorandam regionem Vlysses, διὰ λείου ὁδὸν, id est, *per planam* iverunt *viam*, qua hodiéque opidum Mola intratur à Fundis & Caietâ adventantibus. Hinc jam est illud Ciceronis ad Atticum lib. II epist. XIII: *Scito eum fasciculum, quò illam epistolam conjeceram, domum eo ipso die latum esse, quo ego dederam; & ad me in Formianum relatum. Romæ quòd scribis sileri; ita putabam. at herculè in agris non siletur. nec jam ipsi agri regnum vestrum ferre possunt. Si verò in hanc* Τηλέπυλον. *veneris* Λαιστρυγονίαν, *(Formias dico) qui fremitus hominum! quàm irati animi!* Mox: *Tu si literas ad Sicyonios habes, advola in Formianum. unde nos pridiè Nonas Maias cogitamus.* Hinc item Plinius suprà dicto lib. III cap. V: *Opidum Formiæ, Hormiæ antè dictum; ut existimavêre, antiqua Læstrygonum sedes.* Et epitomator Plinii Solinus cap. VIII: *Formiæ etiam, Læstrygonibus habitatæ.* Item alter epitomator Martianus lib. VI: *Formiæ etiam Læstrygonum habitatione famosæ.* Plinius iterum, lib. VII cap. II: *Esse Scytharum genera, & quidem plura, quæ corporibus humanis vescerentur, indicavimus. Id ipsum incredibile fortasse; ni cogitemus, in medio Orbe terrarum, ac Siciliâ & Italiâ, fuisse genteis huius monstri, Cyclopas & Læstrygonas.* Silius lib. VII:

Ecce autem flatu classis Phœnissa secundo
Litora Caietæ Læstrygoniosque recessus
Sulcabat rostris, portusque intrabat apertos.

Et lib. VIII: ——— *Quasque evertêre silentia, Amyclæ;*
Fundique; & regnata Lamo Caieta; domusque
Antiphatæ, compressa freto.

Statius Silvar. lib. I carm. III:

Cedant Telegoni, cedant Laurentia Turni
Ingera, Lucrinæque domus, litusque cruenti
Antiphatæ; cedant vitreæ juga perfida Circes

Horatius Carm. lib. III odâ XVII, ad Aelium Lamiam:

Aeli, vetusto nobilis ab Lamo;
Quando & priores hinc Lamias ferunt
Denominatos, & nepotum
Per memores genus omne fastos,
Auctore ab illo ducis originem,
Qui Formiorum mœnia dicitur
Princeps & innantem Maricæ
Litoribus tenuisse Lirim,
Latè tyrannus.

Livius lib. XXII: *Incluſus inde videri Hannibal, & ad Casilinum obsessus; quum Capua & Samnium & tantum ab tergo divitum sociorum Romanis commeatus subveheret: Pœnus contrà intra Formiana saxa ac Literni arenas stagnaque per horrida situ hibernaturus esset.* Eamdem historiam de Fabio, Romani exercitus duce, & Hannibale refert Silius lib. VII: ubi saxa ista Formiana vocat rupeis Læstrygonias. Verba eius hæc sunt:

Donec reptantem, & nequidquàm sæpè trahendo
Hunc illuc castra, & scrutantem prælia Pœnum,
Quà nemorosa juga & scopulosi vertice colles
Exsurgunt, clausit, sparsâ ad divortia turmâ.
Hinc Læstrygoniæ saxoso monte premebant
A tergo rupes; undosis squalida terris
Hinc Literna palus.

Horatius Carm. lib. I odâ XX:

Cæcubum, & prælo domitam Caleno
Tu bibes uvam. mea nec Falernæ
Temperant viteis, neque Formiani
——— *Pocula colles.*

Et Carm. lib. III odâ XVI:

Quamquàm nec Calabræ mella ferunt apes
Nec Læstrygoniâ Bacchus in amphorâ
Largvescit mihi.

Tot igitur veterum auctorum judicio testimonioque jam satis constat, per *Lami urbem*

urbem Antiphatæque domum intellexisse Homerum opidum *Formias*. Quodnam autem tunc habuerit nomen incertum est. quidpe ineptientes grammatici heic minimè audiendi sunt. Eustathius, Homeri scholiastes, postquàm complureis vocabuli Τηλέπυλον significationes produxit, addit tandem: Εἰσὶ δὲ, οἱ κύριον ὄνομα πόλεως τὸ Τηλέπυλον ἐδέξαντο. Id est: *Sunt, qui Telepylon pro urbis proprio nomine accipiant*. Svidas. Λάμος, πόλις Λαιστρυγόνων. *Lamus urbs Læstrygonum*. Atqui omnes auctores Romani, quos suprà citavi, non ipsius urbis, sed viri, Læstrygonum regis, qui eam inhabitabat, intelligunt nomen. Idem Svidas posteà: Λαιστρυγονία, πόλις ἢ χώρα. Λαιστρυγὼν δὲ Λαιστρυγόνος, ὄνομα πόλεως. Id est: *Læstrygonia, urbs aut regio. at Læstrygon Læstrygonis nomen est urbis*. Homero equidem haud obscurè ipsa urbs vocatur LAESTRYGONIA. at cùm ipsi tùm aliis suprà scriptis auctoribus Lamus atque Antiphates cæterique eiusdem urbis incolæ adpellantur *Læstrygones*: nemini verò hoc nomine ipsa urbs. FONS autem Ἀρτακίη, ARTACIA, Homero ac Tibullo memoratus; ex quo opidani aquam petebant; nullus alius videtur fuisse, quàm qui nunc *fons* ab orientali opidi *Molæ* parte apud ipsam portam uberrimis aquis ex saxoso colle, qui opido imminet, profluit. Homeri igitur tempestate an ultra hunc fontem fuerit opidum; quando ille ait, à portu atque promontorio Caietano ad urbem Lami euntes Vlyssis socios obviam factos fuisse ante urbem Antiphatæ filiæ apud fontem *Artaciam*; an verò, ut ubique alibi in hisce Vlyssis erroribus, sic heic quoque veras res nonnullis figmentis involverit, haud facilè dixerim. Silii tempore fuisse eodem hoc situ, quo nunc opidum *Mola* conspicitur, inter monteis & mare, angusto tractu, ex præscripto lib. VIII patet; ubi ait, ARTACIA

——— *domusque*
Antiphatæ, compressa freto.

PORTVS quoque tunc aliquam speciem heic fuisse, ex Taciti Annal. lib. XV colligere licet: *Nec multo pòst*, inquit, *clades rei navalis accipitur; non bello; sed certum ad diem in Campaniam redire classem Nero jusserat; non exceptis maris casibus. Ergo gubernatores, quamvis sæviente pelago, à Formiis movêre. & gravi Africo, dum promontorium Misenum superare contendunt, Cumanis litoribus impacti, triremium plerasque & minora navigia passim amiserunt*. De cætero *Mamurrarum urbem* adpellavit Horatius, ab opulentissimis eius incolis. Verba eius lib. I Satyrâ V hæc sunt:

Ora manusque tuâ lavimus Feronia lymphâ
Millia tum pransi tria repimus; atque subimus
Impositum saxis latè candentibus Anxur.

Mox:

Fundos, Aufidio Lusco prætore, libenter
Linquimus.
In Mamurrarum lassi deinde urbe manemus;
Muræna præbente domum, Capitone culinam.
Postera lux oritur multo gratissima. namque
Plotius & Varius Sinuessæ Virgiliusque
Occurrunt.

Ad hæc ita scriptum in veteribus scholiis: *Mamurra senator fuit Romanus, qui maximam partem civitatis Formianæ possidebat: unde dicta est Mamurrana civitas. vel, quòd familia Mamurrarum illinc fuerit oriunda*. Cicero ad Atticum lib. VII epist. VII: *Placet igitur, etiam me expulsum? & agrum Campanum periisse? & adoptatum patricium à plebeio? Gaditanum à Mitylenæo? & Labieni divitiæ & Mamurræ placent? Balbi horti & Tusculanum?* Plinius lib. XXXVI cap. VI: *Primum Romæ parietes crustâ marmoris operuisse totius domus suæ in Cœlio monte, Cornelius Nepos tradidit, Mamurram, Formiis natum, equitem Romanum, præfectum fabrorum C. Cæsaris in Galliâ. Neque indignatio sit tali auctore inventâre. hic namque est Mamurra Catulli Veronensis carminibus proscissus. quem [Metrodorus Scepsius] clariùs, quàm Catullus, dixit habere, quidquid habuisset Comata Gallia*. Catulli carmen LVIII hoc est:

Pulcrè convenit improbis cinædis
Mamurræ pathicoque Cæsarique.
Nec mirum: maculæ pares utrisque,

Vrbana

Vrbana altera, & illa Formiana,
Impressæ residēt, nec eluentur.

Cæterò municipium fuisse Romanorum quondam Formias, auctor est Livius lib. XXXVIII: *De Formianis*, inquit, *Fundanisque municipibus & Arpinatibus, C. Valerius Tappo, tribunus plebis, promulgavit, ut iis suffragii latio (nam antè sine suffragio habuerant civitatem) esset.* Et mox: *Rogatio perlata est, ut in Aemiliâ tribu Formiani & Fundani, in Corneliâ Arpinates, ferrent.* Pompeius Festus: *Municipium id genus hominum dicitur, qui, quum Romam venissent, neque cives Romani essent, participes tamen fuerunt omnium rerum ad munus fungendum unà cum Romanis civibus, præterquàm de suffragio ferendo, aut magistratu capiendo: sicut fuerunt Fundani, Formiani, Cumani. qui post aliquot cives Romani effecti sunt.* Frontinus in libro de Coloniis: *Formias opidum triumviri sine colonis deduxerunt.* Idem Festus etiam inter præfecturas connumerat. *Alterum genus præfecturarum est, in quas ibant, quos prætor Vrbanus quotannis in quæque loca miserat legibus; ut Fundos, Formias, Cære, Venafrum.* Cæterùm amœnitatem Formiani litoris prædicat Martialis lib. x epigr. xxx, cuius initium tale:

O temperatæ dulce Formiæ litus;
Vos, quum severi fugit opidum Martis,
Et inquietas fessus exuit curas,
Apollinaris omnibus locis præfert.

FORMIANI colles. Livio FORMIANVS dicitur MONS, qui Horatio suprà dicto Carm. lib. I odâ XX sunt, FORMIANI COLLES. Livius lib. XXXVIII: *Separatim Flaccus molem ad Neptunias aquas faciendam locavit, ut iter populo esset, & viam per Formianum montem.* Is est: quem transversum transeunt à Fundis & Fundanâ valle ad Hormias commeantes. in quo hodiéque magna pars antiquæ viæ Romanæ conspicitur. Chronicon Cassinense lib. I cap. XLV: *Primò illos ad lacum Fundanum per mare deduxit. inde per fluvium Fundos usque adscendentes, ibi scafis egressi, cunctaque in circuitu depopulantes, Caietam tandem pervenient; & in Formianis collibus castra posuerunt.*

MINTVRNAE coloniæ. Porrò ultra Formias ad VIIII millia passuum, ut suprà scripta Itineraria antiqua habent, seu, ut nunc incolæ numerant, ad VIII milliaria fuêre MINTVRNAE ad utramque Liris amnis, qui nunc vulgò dicitur *Il Garigliano*, ripam, *urbs* quondam celeberrima: cuius hodiéque ingentes visuntur in sinistrâ maximè ripâ reliquiæ MII ferè millia passuum à mari & ostio amnis remotæ. in quibus præcipua sunt, aquæductus, amphitheatrum; tum murorum turriumque magna rudera; prælti quidam fornices, aliaque splendidorum ædificiorum fundamenta solidissima. A dextrâ amnis ripâ, ad III circiter millia passuum in editis collibus ex adverso dictarum reliquiarum situm est opidum, quod vulgare nomen *Trajetto* ab amnis trajectu traxit. id per errorem plerosque hodiè interpretari video Minturnas. Memorantur Minturnæ M. Catoni, Ciceroni, Horatio, Ovidio, Dionysio, Livio, Velleio, Valer. Maximo, Straboni, Melæ, Plinio, Iuvenali, Plutarcho, Ptolemæo, Itinerariis antiquis, Procopio, & Stephani breviatori. Ac inter Græcos auctores Straboni quidem ac Ptolemæo urbs Romanâ formatione dicitur plurali numero Μιντοῦρναι, *Minturnæ*. at Plutarcho in C. Mario est singulari numero Μιντόρνη, & Dionysio lib. I Μιντοῦρνα, MINTVRNA. quod tamen Stephani breviator ex Dionysii lib. XVI citat Μέντυρνα, & apud Procopium Gothicar. rer. lib. III legitur Μεντύρνη, MENTVRNA. Sed apud Plutarchum in dicto Mario, & apud Appianum Civil. bellor. lib. I, vocabulum id variatur. apud utrumque enim in eâdem de Mario historiâ primùm genitivus casus est τῆς Μινλόρνης, mox verò accusativus εἰς Μινλόρνας. quod ita ipsos in tam paucis verbis variasse auctores, haud temerè crediderim. Apud Procopium item corruptum id legitur vocabulum aliis in exemplaribus, εἰς μὲν τέρναν, in aliis εἰς μὲν τέρνλα· Breviator Stephani: Μέντυρνα, πόλις ἐν Ἰταλίᾳ Σαυνιτῶν· Διονύσιος ὀκκαιδεκάτῳ. τὸ ἐθνικὸν Μεντυρναῖος. Id est: *Menturna, opidum in Italiâ Samnitium; teste Dionysio lib. XVI. Gentilitium inde Menturnæus.* Sic equidem apud Appianum quoque Civil. bellor. lib. IIII sunt Μιντυρναῖοι, *Minturnæi*: qui Romano ore ritè fomantur *Minturnani*. at apud omneis pariter Romanos auctores sunt MINTVRNENSES. quod vocabulum Plutarchus etiam in prædicto Mario formavit Græco ore Μινλορνήσιοι. Cato urbis meminit in Rusticar. rer. cap. CXXXV: Cicero passim in Epistolis; maximè ad Atticum. Mela, adverso itinere ex Campaniâ in Latium iens:

Vultur-

Vulturnum opidum, Sinuessa, Liris, Minturnæ, Formiæ. Ptolemæo in mediterraneis Latii opidis recensetur. Plinius juxtà cum Melâ in litore refert lib. III cap. V. *Caieta*, inquit, *portus; opidum Formiæ Hormiæ* [*antè*] *dictum; ut existimavêre, antiquæ Læstrygonum sedes. ultra fuit opidum Pyræ. colonia Minturnæ, Liri amne divisa.* Strabo lib. V: Φορμιῶν δ' ἀνὰ μέζον εἰσὶ κὴ Σινέσσης αἱ Μιντέρναι, σταδίους ἑκατέρας διέχουσαι περὶ π'. Διαῤῥεῖ δὲ Λεῖρις ποταμός. Hoc est: *Inter Formias & Sinuessam sunt Minturnæ, utrimque stadia circiter* LXXX *dissitæ perfluit eas Liris amnis.* Et aliquanto pòst: Φρεγέλλαι πόλις, παῤ ἣν ὁ Λεῖρις ῥεῖ, ὁ εἰς τὰς Μιντέρνας ἐκδιδούς. Id est: *Fregellæ opidum; quod præterfluit Liris amnis, in Minturnas sese effundens.* Nempe, quia & ipse Strabo pro maritimâ urbe habebat Minturnas. Livius lib. X: *Placuit, ut duæ coloniæ circa Vescinum & Falernum agrum deducerentur: una ad ostium Liris fluvii; quæ Minturnæ adpellata.* Haud satis propriè igitur Dionysius dicto lib. I Lirim refert Μιντέρναις ποταμὸν, *Minturnas præterfluentem.* Vetustissima urbis memoria exstat apud Livium lib. VIII in consulatu T. Manlii Torquatii III & P. Decii Muris; anno urbis Romæ CCCCXIIII; ante natum Iesum anno CCCXL. *Latini*, inquit, *ex fugâ se Minturnas contulerunt.* Hinc proxima eius mentio fit lib. VIIII, in consulatu M. Pœtelii Libonis & C. Sulpicii Longi: anno urbis Romæ CCCCXXXVIIII; ante natum Iesum CCCXIIII. *Cæterùm Ausonum*, inquit, *gens proditione urbium, sicut Sora, in potestatem venit. Ausona & Minturnæ & Vescia urbes erant.* Illud de coloniâ huc deductâ narrat Livius dicto lib. X in consulatu Appii Claudii Cæci II & L. Volumnii Flammæ II, anno urbis Romæ CCCCLVII, ante natum Christum CCXCVI. *At proximè insequenti anno demum, Q. Fabio Max. Rulliano quintùm & P. Decio Mure quartùm consulibus, colonia deducta est.* Velleius Paterculus lib. I: *At quintùm Fabio & P. Decio Mure quartum consulibus, quo anno Pyrrhus regnare cœpit, Sinuessam Minturnasque missi coloni.* Hinc Livius lib. XXVII: *Colonos etiam maritimos, qui sacrosanctam vacationem dicebantur habere, dare milites cogebant consules. quibus recusantibus, edixêre in diem certam, ut, quo quisque jure vacationem haberet, ad senatum deferret. Eâ die hi populi ad senatum venerunt. Ostienses, Alsienses, Antias, Anxurnas, Minturnenses, Sinuessanus.* Et lib. XXXVI: *In comparandâ impigrè classe C. Livium prætorem contentio orta cum colonis maritimis paullisper tenuit. nam, quum cogerentur in classem, tribunos plebis adpellarunt. ab iis ad senatum rejecti sunt. senatus ita, ut ad unum omnes consentirent, decrevit, vacationem rei navalis his colonis non esse. Ostia & Fregenæ & Castrum Novum & Pyrgi & Antium & Tarracina & Minturnæ & Sinuessa fuerunt, quæ cum prætore de vacatione certaverunt.* Hinc item Dionysius prædicto lib. I, de Ostia & Minturnis loquens, Ῥωμαίων δέ εἰσιν, inquit, αἱ πόλεις ἀμφότεραι ἄποικοι· id est; *Ambæ urbes Romanorum sunt coloniæ.* Et Plinius dicto lib. III cap. V: *Colonia Minturnæ.* Ptolemæus: Μιντέρναι χαλώνια· *Minturnæ colonia.* At novam huc deduxisse *coloniam* C. Cæsarem, auctor est Frontinus in libro de Coloniis. *Minturnæ*, inquit, *muro ducta colonia, deducta à C. Cæsare.*

Cæterùm ipse LIRIS *amnis* memoratur Ciceroni, Horatio, Dionysio, Livio, Straboni, Melæ, Plinio, Silio, Lucano, Martiali, Plutarcho, Appiano, Ptolemæo, Claudiano. Cicero de Legibus lib. II; de *Fibreno* loquens flumine: *Statim se præcipitat in Lirim; &, quasi in familiam patriciam venerit, amittit nomen obscurius; Lirimque multo gelidiorem facit.* Horatius Carmin. lib. I odâ XXXI:

LIRIS *amnis*; *qui antè* GLANIS.

Non æstuosæ grata Calabriæ
Armenta; non aurum, aut ebur Indicum;
Non rura, quæ Liris quietâ
Mordet aquâ, taciturnus amnis.

Silius lib. IIII:

Fit socius lethi conjectâ Massicus hastâ;
Vitiferi sacro generatus vertice montis,
Et Liris nutritus aquis; qui fonte quieto
Dissimulat cursum; ac, nullo mutabilis imbri,
Perstringit tacitas gemmanti gurgite ripas.

Dionysius eius meminit suprà dicto lib. I. Livius dicto lib. X; de coloniis deducendis: *Una ad ostium Liris fluvii; quæ Minturnæ adpellata.* Et lib. XXVI: *Inde præter*

Interamnam Aquinumque in Fregellanum agrum ad Lirim fluvium ventum. Ptolemæus: Ταρρακίναι, Φορμίαι, Λείριος ποταμοῦ ἐκβολαὶ Σινόεσσα. *Tarracinæ, Formiæ, Liris amnis ostium, Sinuessa*. Mela lib. II cap. IIII, adverso itinere: *Sinuessa, Liris, Minturnæ, Formiæ*. Cæteri auctores mox infrà producentur. At apud Appianum Civil. bellor. lib. I corruptum esse Λείριος ποταμοῦ nomen, pro Τελωνίου ποταμοῦ, *Telonii fluvii*, qui est in Marsis atque Sabinis, suprà lib. II cap. X ostendimus. Idem Liris vocabulum apud alios quoque auctores falsò scriptum esse unà cum Campaniæ nomine, pro Siri, Lucaniæ fluvio, infrà lib. IIII in huius regionis descriptione ostendetur. De cætero Liris anteà CLANIS atque GLANIS dictus fuit. Plinius dicto lib. III cap. V: *Colonia, Minturnæ, Liri amne divisa, Glani quondam adpellato*. Et Strabo lib. V: Φορμιῶν δ' αἱ μέσον εἰσὶ καὶ Σινόεσσης αἱ Μιντοῦρναι· διαῤῥεῖ δὲ λεῖος ποταμός· Κλάνις δ' ἐκαλεῖτο πρότερον. Id est: *Inter Formias & Sinuessam sunt Minturnæ; quas Liris amnis præfluit, antè Clanis adpellatus*. Sic ille etiam Etruriæ amnis, qui in Tiberim defluit, vulgari nunc vocabulo *La Chiama*, olim *Clanis* simul & *Glanis* dictus fuit; ut suprà lib. II cap. X ostensum. Sed & tertius in eâdem hac Italiâ nostrâ fuit amnis eodem nomine *Clanis* atque *Glanis*, qui apud Literum, Campaniæ opidum, in mare effundebatur; ut infrà in huius regionis expositione patebit. Hinc ille Appiano natus est error prædicto Civil. bellor. lib. I haud ita multo antè; ubi populos Italiæ enumerat, qui bellum sociale contra Romanos moverunt. Ὅσα τε ἄλλη, inquit, ἀπὸ Λείριος ποταμοῦ, ὃν νῦν μοι δοκεῖσι Λίτερνον ἡγεῖσθαι, ἐπὶ τὸν μυχὸν ἐσι τοῦ Ἰονίου κόλπου. id est: *Et quidquid tandem terrarum à Liri amne, qui nunc, ut ego opinor, Liternus dicitur, ad intimum usque Ionii maris recessum porrigitur*. Sanè pessimum geographum nimis sæpè se prodit Appianus; ut haud semel cùm in hoc Italiæ opere tùm in Germaniæ descriptione adnotavimus. Cæterùm Silius lib. VIII *sulfureum* vocat *Lirim*, in his versibus:

At qui Fibreno miscentem flumina Lirim
Sulfureum, tacitisque vadis ad litora lapsum,
Adcolit Arpinas.

Ratio huius epitheti exstat apud Plinium lib. II cap. CIII: *Sed & fontium plurimorum natura mira est fervore: idque etiam in jugis Alpium; ipsoque in mari, inter Italiam & Aenariam; & in Baiano sinu; & in Liri fluvio, multisque aliis*. Locum in Liri ostendere voluit idem Silius lib. XII, hoc versu:

Et quæ fumantem texêre Giganta Fregellæ.

FIBRENVS, COSA, TRERVS, *atque* MELFES, *amnes in Lirim influentes.*

Quem heic intelligat Giganta, Germaniæ nostræ lib. I cap. XXXI expositum est, ampliúsque infrà in Campaniâ & insulâ Aenariâ exponetur.

Porrò amnes, qui in *Lirim* influunt; ab dextrâ ripâ COSA & TRERVS, ab sinistrâ FIBRENVS & MELFES; suprà cap. VIIII in Volscis expositi sunt.

PALVDES MINTVRNENSES.

Cæterùm quum infra Minturnas circa ostia Liris sint PALVDES, quæ olim ab urbe cognominabantur MINTVRNENSES, & circa has NEMVS sive LVCVS MARICAE, C. Marii ærumnæ ea loca atque nomina maximè nobilitarunt. Sed Marica dea jam inde antiquissimis hoc loco culta fuit temporibus. Horatius Carm. lib. III odâ XVII, ad Aelium Lamiam:

LVCVS MARICAE.

Aeli, vetusto nobilis ab Lamo;
Quando & priores hinc Lamias ferunt
Denominatos, & nepotum
Per memores genus omne fastos,
Auctore ab illo ducis originem,
Qui Formiarum mœnia dicitur
Princeps & innantem Maricæ
Litoribus tenuisse Lirim,

Virgilius Aeneid. lib. VII:

——— *Rex arva Latinus & urbeis*
Iam senior longâ placidas in pace regebat.
Hunc Fauno & nymphâ genitum Laurente Maricâ
Accipimus.

Ad hæc ita Servius: *Est Marica dea litoris Minturnensium, juxta Lirim fluvium.*

Mox:

Mox: *Dicunt alii, per Maricam Venerem intelligi debere: cuius fuit sacellum juxta Maricam: in quo erat scriptum;* Νηὸν τῆς Ἀφροδίτης. *Sanè Hesiodus Latinum Circes & Vlyssis filium dicit. quod & Virgilius tangit, dicendo; Solis avi speciem.* Lactantius de Falsâ religione lib. I cap. XXI: *Nam & Romulus post mortem Quirinus dictus est, ut Circe Marica.* Meminêre hinc alii etiam poëtæ. Lucanus lib. II; ubi flumina Italiæ enumerat, quæ Apenninus mons fundit:

—— Delabitur inde
Vulturnusque celer, nocturnæque editor auræ
Sarnus, & umbrosæ Liris per regna Maricæ.

Martialis lib. X epigram. XXX:

Non blanda Circe Dardanisve Caieta
Desiderantur; nec Marica, nec Liris.

Et lib. XIII epigram. LXXXIII:

Cæruleus nos Liris amat, quem silva Maricæ
Protegit. hinc squillæ maximæ turba sumus.

Claudianus in Panegerico de Probi & Olybrii consulatu:

—— Flavæque terens querceta Maricæ
Liris.

Livius lib. XXVII: *Minturnis ædem Iovis & lucum Maricæ cælo tactum, nunciatum est.* At quum nemus heic ab utrâque sit fluminis ripâ, incertum est, utrâ fuerit ripâ ipsum MARICAE *deæ* TEMPLVM Strabo dicto lib. V: Φορμιῶν δ' ἐστὶ μέζον ἐστὶ καὶ Σινυέσσης αἱ Μιντοῦρναι· Διαῤῥεῖ δὲ Λεῖρις ποταμός· φέρεται δ' ἀπωθεν ἐκ τῶν Ἀπεννίνων ὀρῶν καὶ τῆς Οὐηστίνης διὰ μὲν Φρεγέλλας· ἐκπίπτει δ' εἰς ἄλσος ἱερὸν, ὑμώρυμον θαυμαστῶς ὑπὸ τῶν ἐν Μινθέρναις, ὑποκείμενον τῇ πόλει. Id est: *Inter Formias & Sinuessam sunt Minturnæ: quas perfluit Liris amnis. is ab Apenninis montibus & Vestino agro delapsus præter Fregellas, in lucum sacrum exit, infra Minturnas situm; quem religiosissimè colunt Minturnenses.* Plutarchus in Mario, de iisdem Minturnensibus loquens: Τὸ πιστῶν λογισμῶν εἰσπεσόντες ἀθρόοι καὶ θαυμάζοντες αὐτὸν, ἐξῆγον ἐπὶ τὴν θάλασσαν. ἄλλα ἄλλοι παρῄνουν ὑπορρεῦντος, καὶ ἀποδόντων ἁπάντων, ἐγένετο τριβὴ τοῦ χρόνου. τὸ γὰρ τῆς λεγομένης Μαρίκας ἄλσος, ὃ σέβουσι, καὶ φυλάττουσι μηδὲν ἐκεῖθεν ἐκκομισθῆναι τῶν ἐγκομισθέντων, ἐμποδὼν ἦν τῇ ἐπὶ θάλασσαν ὁδοῦ· καὶ κύκλῳ περιόντας ἐδεῖ βραδύνειν· ἄχρις ἂν τῶν πρεσβυτέρων τις ἐμβοήσας ἔφη, μηδεμίαν ἄβατον μηδὲ ἀπόρευτον ὁδὸν εἶναι, δι' ἧς σώζεται Μάριος. καὶ πρῶτος αὐτὸς λαβὼν ἓν τῶν κομιζομένων ἐπὶ ναῦν ἀπῆρε διεξῆλθεν. Hoc est: *Ita animati, adeunt eum frequentes: ac circumfusi, ad mare educunt. Ibi quum aliud alius ei promptè præberet, & maturarent omnes: mora interponebatur tamen. namque Maricæ lucus, quem illi colunt, custodiuntque, ne, quod importatum est, inde exportetur, distinebat iter ad mare: & circuitus moram protrahebat: quoad senex quidam inclamavit, Nullam inaccessam esse vel religiosam, qua servetur Marius, viam. atque hic princeps arripuit aliquid ex eis, quæ ad navem comportabantur. ac per locum illum evasit.* At de adpulsu Marii ad hoc litus antè sic scribit: Ἐκείνων δὲ πρὸς ὀργὴν ἀπελαστάντων, αὖθις ἑτέρων ῥᾳθύμως λογισμῶν, καταφέροντο πρὸς τὴν γῆν· καὶ θεῖ τὰς σκολὰς ὁ Λίριος ποταμὸς, διάχυσιν λιμνώδη λαμβάνουσας, ἀγκύρας βαλλόμενοι, παρεκάλουν τὸν Μάριον σκιβῶσαι. * — * · Οὕτω δὴ πάντων ἔρημος ἀποληφθεὶς ὁ Μάριος, πολὺ μὲν χρόνον ἀνάυδος ἦν τῆς ἀκτῆς ἕκητο· μόλις δέ πως ἀναλαβὼν ἑαυτὸν, ἐπορεύετο θαλαττώρεως αἰσθόμενος· καὶ διεξελθὼν ἕλη βαθέα, καὶ ἄφυς ὕδατος καὶ πηλοῦ γεμίσας, ἐπιτυγχάνει καλύβῃ λιμνάρχου γέροντος. ὃν θεασάμενον ἱκέτευε χρήσθαι σωτῆρα καὶ βοηθὸν αὑτῷ, εἰ μεγίστην ἐλπίδων ἀμοιβὰς ἀποδώσοντος. Ὁ δὲ ἄνθρωπος, ἀγαγὼν αὐτὸν εἰς τὸ ἕλος, καὶ πήξας κελεύσας ἐν χωρίῳ κοίλῳ θαμὰ τὸν πάσσαλον, ἐπέβαλε τὸ τε καλάμων πολλὰς, καὶ τῆς ἄλλης ἐπιφόρων ὕλης, ὅσην κάφη καὶ θεμιτὸν ἀβλαβῶς δυνάμενον. Χρόνου δὲ πολλοῦ διαγενομένου, ψόφος αὖπαλὸς καὶ χαῦνος ἀπὸ τῆς καλύβης προσέπιπτεν. ὁ γὰρ Γεμίνιος ἐκ Ταρρακίνης ἐπεμψε πολλὰς ἐπὶ τὸν διωγμὸν· ὧν ἔνιοι κατὰ τύχην ἐκεῖ προσελθόντες, ἐξεφόβουν τε καταβοῶντες γέροντος, ὡς ἀποδιδράσκοντος καὶ καταμηνύοντος πολέμιον Ῥωμαίων. Ἐξανασεὶς οὖν ὁ Μάριος τε ἀποδυσάμενος, καθῆκεν ἑαυτὸν εἰς τὸ λιμνίον, ὕδωρ παχὺ καὶ πλαματῶδες ἔχουσαν. ὅθεν ἐθέλοντες τὸν ζητοῦντας· ἀλλ' ἀναπαυθεὶς, βορβόρῳ καταπλεως τε γυμνὸς, εἰς Μινθέρνας ἀνῆκεν, καὶ παρεδόθη τοῖς ἀρχουσιν. Hoc est: *Vbi illi frendentes abiêre; mutato iterum consilio, terram petierunt. ancorisque ad ostium Liris fluvii, ubi is paludes diffunditur, jactis, hortati sunt Mariam, ut in terram escenderet.* Paullo pòst: *Ita ab omnibus*

omnibus desertus Marius, diu in litore mutus jacuit. at ubi aegrè se aliquantulum collegit; per loca invia perrexit arumnosè. superatisque profundis paludibus ac fossis, quæ aquâ limoque erant oppletæ; incidit in senis cuiusdam, qui lacum colebat, tugurium. Ad huius se pedes abjiciens, precatus est, ut opem sibi ferret. eum quidpe se virum esse, qui, si fortunam vitasset præsentem, maiorem spe ipsius gratiam esset relaturus. Is igitur homo abduxit eum in paludem. ac loco cavo propter amnem demittere se jusso, multam arundinem injecit, aliamque ingessit materiem levem, & quæ impositæ eum non esset læsura. Brevi pòst strepitus à turgurio & tumultus ad eum est delatus. namque Geminius à Tarracinâ miserat complureis ad eum investigandum. quorum nonnulli eò fortefortunà delati, conterruerunt perculeruntque senem, quòd hostem populi Romani ad se receptum occultasset. Itaque Marius exsurrexit. rejectisque, quibus intectus erat, in lacum, qui crassam cœnosamque continebant aquam, sese abjecit. Hoc modo non fefellit eos, qui eum investigabant. sed extractus inde est lutulentus atque nudus: Minturnasque deductus, magistratibus ibi traditus est. Cicero in oratione Plancio : *Minturnenses coloni, quòd C. Marium ex civili cruore atque ex impiis manibus eripuerunt: quòd tecto receperunt; quòd fessum inediâ fluctibusque recrearunt, quòd viaticum congesserunt: quòd navigium dederunt; quòd eum, linquentem terram eam, quam servaverat, lacrymis, votis, ominibusque prosequuti sunt; aternâ in laude versantur.* Et oratione pro P. Sextio : *Memineram, C. Marium, quum propter vim injustorum armorum profugisset, primò senile corpus paludibus occultasse demersum: deinde ad infimorum ac tenuissimorum hominum Minturnis misericordiam confugisse. inde navigio perparvo, quum omneis portus terrasque fugeret, in oras Africæ desertissimas pervenisse.* Velleius lib. II : *Marius post sextum consulatum, annoque LXX, nudus ac limo obrutus, oculis tantummodò ac naribus eminentibus, extractus arundineto circa paludem Maricæ, in quam se, fugiens consectanteis Sullæ equites, abdiderat, injecto in collum loro, in carcerem Minturnensium jussu duumviri perductus est. ad quèm interficiendum missus cum gladio servus publicus, natione Germanus, qui fortè ab imperatore eo bello Cimbrico captus erat, ut agnovit Marium, magno ejulatu, expromenti indignationem casus tanti viri, abjecto gladio, profugit è carcere. Tum cives, ab hoste, misereri paullo antè principis viri, docti, instructum cum viatico collatâque veste in navem imposuerunt. At ille, adsequutus circa Aenariam filium, cursum in Africam direxit.* Valer. Maximus lib. I cap. V : *C. Mario observatio ominis procul dubio saluti fuit, quo tempore, hostis à senatu judicatus, in domum Faunia Minturnis custodiæ causâ deductus est. animadvertit enim asellum, quum ei pabulum objiceretur, neglecto eo, ad aquam procurrentem. quo spectaculo deorum providentiâ, quòd sequeretur, oblatum ratus, à multitudine, quæ ad opem illi ferendam confluxerat, impetravit, ut ad mare perduceretur. ac protinus naviculam conscendit: eâque in Africam pervectus, arma Sullæ victricia effugit.* Et lib. II cap. X : *C. etiam Marius, in profundum ultimarum miseriarum abjectus, ex ipso vitæ discrimine beneficio majestatis emersit. missus enim ad eum occidendum, in privatâ domo Minturnis clausum, servus publicus natione Cimber; & senem, & inermem, & squalore obsitum, strictum gladium tenens, adgredi non sustinuit: sed claritate viri occæcatus, abjecto ferro, attonitus inde ac tremens fugit. Cimbrica nimirum calamitas oculos hominis perstrinxit: devictæque suæ gentis interitus animum comminuit. Minturnenses autem majestate illius capti, compressum jam & constrictum dirâ fati necessitate, incolumem præstiterunt.* Seneca controversiâ XVII libri III : *Minturnensis palus exsulem Marium non hausit.* Iuvenalis Satyrâ X :

Exsilium & carcer Minturnarum,
Et mendicatus victâ Carthagine panis.

Cæterùm in easdem hasce *Minturnenseis paludes* sese abscondidit posteà *Varus* quidam; unus ex eorum numero, qui à triumviris, Antonio, Lepido, & Octavio, proscripti fuerunt: teste Appiano Bellor. civil. lib. IIII. Hinc igitur *palustres* vocantur *Minturnæ* Horatio Epist. V libri primi, in his verbis:

Vina bibes, iterum Tauro diffusa palustreis
Inter Minturnas Sinuessanumque Petrinum.

Et Ovidio Μεταμορφώσεων lib. XV ob easdem *paludes* dicuntur *graves Minturnæ*, in his versibus:

Vulturnus,

Vulturnus, niveïsque frequens Sinuessa colubris,
Minturnæque graves, & quam tumulavit alumnus.

Porrò inter Minturnas sive Lirim & Formias fuit *opidum* PYRAE: uni Plinio memoratum, dicto lib. III cap. V: *Caieta*, inquit, *portus: opidum Formiæ; Hormiæ* [*antè*] *dictum: ut existimavêre, antiqua Læstrygonum sedes. ultra fuit opidum Pyræ. colonia Minturnæ, Liri amne divisa.* Ergo jam tum Plinii tempestate Pyræ opidum nullum exstitit. eóque incertum, quo situ id fuerit. PYRAE *opidum.*

Vltra Lirim atque Minturnas fuit celebre sub Romanorum imperio opidum SINVESSA: antè SINOPE dictum. Memoratur Ciceroni, Ovidio, Livio, Velleio, Straboni, Melæ, Plinio, Plutarcho, Frontino, Ptolemæo, Dioni, Itineratiis, Stephani epitomatori. Cicero ad Atticum lib. VIIII epist. XVIII & XVIIII: Sinuessæ. Ovidius Μεταμορφώσεων lib. XV: SINVESSA *colonia.*

—— *Niveïsque frequens Sinuessa colubris.*

Plinius lib. III cap. V: *Colonia Minturnæ; opidum Sinuessa; extremum in adjecto Latio. quam quidam Sinopen dixêre vocitatam. Hinc felix illa Campania.* Livius lib. X: *Tum de præsidio regionis depopulatæ ab Samnitibus agitari cœptum. Itaque placuit ut duæ coloniæ circa Vescinum & Falernum agrum deducerentur: una, ad ostium Liris fluvii; quæ Minturnæ adpellata: altera in saltu Vescino, Falernum contingente agrum; ubi Sinope dicitur Græca urbs fuisse; Sinuessa deinde ab colonis Romanis adpellata.* In vulgatis equidem Livii exemplaribus vocabulum hoc Græcorum per Græcam scriptum est literam *y Synope*; quasi à præpositione σὺν compositum. at ignorantiâ posteriorum grammaticorum id in eum modum esse corruptum, testatur in Asiâ eiusdem hominis urbs nobilissima, à Milesiis Græcis condita; quæ non Latinis modò auctoribus, Melæ, Plinio, Tacito, & Tabulæ itinerariæ scribitur *Sinope*; sed Græcis etiam, Herodoto, Xenophonti, Dionysio geographo, Straboni, Ptolemæo, Polyæno, Stephano, Eustathio, & aliis, Græcis literis Σινώπη. Romanis posteà unde *Sinuessa* dicta sit, ostendit Strabo lib. V. Ἡ Σινέσσα, inquit, ἐν οὐησκίνῳ κόλπῳ ἵδρυ̃ται, ἀφ' ἧς καὶ τὔνομα· σὺν γὰρ ὁ κόλπος. Id est: *Sinuessa in Vescino sinu sita est. unde etiam nomen ab sinu ei quæsitum.* Apud Ptolemæum ita scriptum est: Κιρκαῖον ἄκρον, Ταρρακίνα, Φῶρμαι. Καμπανῶν ὁμοίως τοῦ τε Τυρρηνικὸν πέλαγος. Λείριος ποταμοῦ ἐκβολαὶ, Σόεσσα, Οὐόλτουρνον. Id est: *Circæum promontorium, Tarracinæ, Formæ. tum Campanorum juxta Tuscum mare; Liris amnis ostium, Soessa, Vulturnum.* Vt vocabulum Φορμίαι in Φῶρμαι, quod suprà ostensum, sic & Σινέσσα, seu Σινέσσα, in Σόεσσα corruptum est. Nec est quòd heic Suessam Auruncorum suspiceris. hanc quidpe posteà Ptolemæus in mediterraneis memorat. Sinuessa autem Græcis auctoribus, Plutarcho in Othone & Dioni lib. LXVII ac Stephano dicitur Σινόεσσα. Stephani epitomator: Σινόεσσα, πόλις Σικελίας, τὸ ἐθνικὸν Σινοεσσαῖος καὶ Σινοεσσηνός. Id est: *Sinuessa, urbs Siciliæ. gentilitium inde Sinuessæus & Sinuessenus.* Hoc scilicet erat ab vocabulo opidi Σινόεσση· à quo Dioni dicto lib. XLVII est obliquus ἡ Σινοέσσης. At Latinis opidani dicuntur SINVESSANI; ut mox videbimus. Cæterùm magna pars Italiæ posteriori sæculo adpellata fuit *Sicilia*; quod suo loco docebo. Idem Stephani breviator paullo antè sic habet: Σινοεσσανοὶ, ἔθνος Γαλικόν· ὡς Πολύβιος ἐν τρίτῳ. Id est: *Senuessani, gens Italica; auctore Polybio lib.* III. Apud Polybium equidem lib. III ita scriptum legitur in vulgatis hactenus exemplaribus: Τὰ γὰρ πεδία τὰ κατὰ Καπύην ὑπερφανέστατα μέν ἐστι τῶν κατὰ Γαλατίαν, καὶ διὰ δρετὴν ἐδάφους καὶ διὰ τὸ καλὸν, καὶ διὰ τὸ πρὸς αὐτῇ κεῖσθαι τῇ θαλάττῃ, καὶ τόποις τοῖς ἐμπορίοις χρῆσθαι, εἰς ἃ χρεὼν ἁπάσης τὴν οἰκουμένης καταντεῖν οἱ πλέοντες εἰς Γαλατίαν· πρόσεχον δὲ καὶ πρὸς ὑπερφανείαν καὶ καλλίστας πόλεις τὴν Γαλατίαν ἐν αὐτοῖς. τὰ μὲν γὰρ παραθαλάττια αὐτῶν Σενεσσανοὶ μὲν Κυμαῖοι δὲ Δικαιαρχίτην νέμουσιν, πρὸς δὲ τούτοις Νεαπολίται, πλησιόχωρον δὲ τὸ τῶν Νικερεινῶν ἔθνος· τὰ δὲ μεσόγαια, τὰ μὲν πρὸς ταῖς ἄρκτοις Καλατινοὶ καὶ Τυανίται κατοικοῦσι· τὰ δὲ πρὸς ἕω καὶ μεσημβρίαν Δαυνῖοι καὶ Νωλανοί· καὶ μέσα δὲ πεδία κεῖται συμβαλόντι πᾶσι μακαριωτάτη γεγονυῖαν πόλιν Καπύην. Hoc est: *Campus circa Capuam pars est Italiæ totius nobilissima. regio bonitate atque amœnitate præstantissima. ad hoc mari adjacens, & emporia habens, ad quæ solent adpellere, qui ex omnibus ferè Orbis partibus in Italiam navigant. urbeis præterea celeberrimas pulcherrimasque Italiæ continet. oram enim maritimam horum camporum Senuessani, Cumæi, & Dicæarchitæ colunt: item Neapolitæ, & novissima omnium gens Nucerina. in mediterraneo ad septemtriones sunt Caleni & Tyanitæ: ad ortum & meridiem Daunii ac Nolani. in mediis verò campis sita est Capua urbs; quæ omneis alias felicitate quondam superabat.* Ex ipsâ hac regionis simul atque opido-

rum descriptione satis clarè patet, Sinuessanos heic intelligi Polybio per vocabulum Σινεσσανοί. quod ego non minus corruptum censeo ex vero genuinoque Σινεσσανοὶ, quàm sequentia Τυανίτας & Δαυίοις· quorum illos rectè quidem interpres Latinus posterior fecit Teanenses, ab vero Græcæ scriptionis vocabulo Τεανίτας, quorum opidum erat Τέανον, *Teanum*; vulgò etiamnunc Tiano dictum: at Δαυίοις nulla ratione intelligi ei debebant Apuli; quum de unâ Campaniâ disertus Polybio sit sermo. qui verò tandem habendi sint, haud facilè quis dixerit: adeò nulla Campaniæ populorum adpellatio isti vocabulo est aliquo modo similis. Antiqua hæc apud Polybium esse menda, vel inde claret, quòd jam inde Stephanus suum Σινεσσανοὶ hinc transscripsit. Et vulgò dictam fuisse posteriori sæculo urbem *Sinuessam*, patet Itinerario antiquo Hierosolymitano. Sed de nominibus urbis hactenus satis. Situm eius maximè indicarunt Strabo & Itineraria Romana. Hæc ita habent:

Tabulæ:		Antonini:		Antonini:		Hierosolymit.	
Terracina		*Tarracina*		*Terracina*		*Terracina*	
Fundis	XIII.	*Fundis*	XIII.	|		*Fundis*	XIII.
Formis	....	*Formis*	XII.	|		*Formis*	XII.
Minturnis	VIIII.	*Minturnis*	VIIII.	|		*Minturnis*	IX.
Sinuessa	VIIII.	*Sinuessa*	VIIII.	*Sinuessa*	XLIIII.	*Senuessa*	IX.
Safo	VII.			|			
Vulturno	XII.			|			
Liserno	XII.			*Liserno*	XXIIII.		
Cumis	VI.			*Cumis*	VI.		

Tabulæ:		Hierosolymitanum:		Antonini:	
Formis		*Formis*		*Formis*	
Menturnis	VIIII.	*Minturnis*	IX.	*Minturnis*	VIIII.
Sinuessa	VIIII.	*Sinuessa*	IX.	*Sinuessa*	VIIII.
Ad ponte Campano	....	*Ponte Campano*	IX.	|	
Vrbanis	III.	|		|	
Ad Nonum	III.	|		|	
|		*Ad Octavum*	IX.	|	
Casilino	VI.	|		|	
Capua	III.	*Capua*	VIII.	*Capua*	XXVI.

Totidem omnes isti Itinerarii auctores referunt millia passuum à Minturnis ad Sinuessam, quot à Formiis ad Minturnas. Fidem eis firmat Strabo lib. v, his verbis: Φορμιῶν αὐτὰ μέζον ἐστὶ κὴ Σινέσσης αἱ Μιντοῦρναι, σταδίους ἑκατὸν ὀγδοήκοντα πεντε. Id est: *Inter Formias atque Sinuessam sunt Minturnæ; utrimque stadia circiter* LXXX *distæ*. Tot stadia conficiunt millia x. Minturnarum locum ab Formiis VIIII millia abesse, suprà indicatum est. tantundem intervalli si porrò in litore progrediaris; incides in ingentia veteris urbis vestigia portusque ruinas, sitas sub castello, cui vulgaris adpellatio *Rocca di monte Dragone* à monte quæsita, in cuius extremo ad duo millia passuum à dictis ruinis id conditum. Hæ igitur illæ sunt angustiæ inter mare & montis Massici extremum excursum, in quibus Sinuessam ponit Livius suprà scripto lib. x: *Placuit*, inquit, *ut duæ coloniæ circa Vescinum & Falernum agrum deducerentur: una ad ostium Liris fluvii; quæ Minturnæ adpellata: altera in saltu Vescino, Falernum contingente agrum; ubi Sinôpe dicitur Græca urbs fuisse; Sinuessa deinde ab colonis Romanis adpellata*. Adpellare autem *saltus* Livium angustos in asperis montosisque locis transitus, pluribus locis in universâ eius historiâ patet. unum atque alterum heic producemus. Lib. XXII: *Eo fortè die Minutius se conjunxerat Fabio: missus ad firmandum præsidio saltum, qui suprà Tarracinam in arctas coactus fauceis imminet mari; ne, immunito Appiæ limite, Pœnus pervenire in agrum Romanum posset*. Vocatas fuisse has angustias *Lautulas*, suprà in expositione *Tarracinæ* urbis ostensum est. Livius eodem libro haud multo antè: *Hannibal imperat duci, ut se*

ut se in agrum Casinatem ducat; edoctus à peritis regionum, si eum saltum occupasset, exitum Romano ad opem ferendam sociis interclusurum. Sed Punicum abhorrens ab Latino nomen, Casilinum pro Casino ducem accipere fecit. aversusque ab itinere, per Alifanum Calatinumque & Calenum agrum in campum Stellatem descendit. ubi quum montibus fluminibusque clausam regionem circumspexisset, vocatum ducem percunctatur, ubi terrarum esset. quum is Casilini eo die mansurum eum dixit, tum demum cognitus est error; & Casinum longè inde aliâ regione esse. virgisque cæso duce & ad reliquorum terrorem in crucem sublato, castris communitis, Maharbalem cum equitibus in agrum Falernum prædatum dimisit. Vsque ad aquas Sinuessanas populatio ea pervênit. ingentem cladem, fugam, terroremque latiùs Numidæ fecerunt. Mox: *Vt verò ad Vulturnum flumen castra sunt posita; exurebaturque amœnissimus Italiæ ager, villæque passim incendiis fumabant, per juga Massici montis Fabio ducente; prope de integro est orta seditio; ac duces seditionis accensi quidam. fuerat enim silentium per paucos dies: quia, quum celeriùs solito ductum agmen fuisset: festinari ad prohibendam populationibus Campaniam, crediderant. ut verò in extrema juga Massici montis ventum est; hostesque sub oculis erant; Falerni agri colonorumque Sinuessæ tecta urentes; nec ulla erat mentio pugnæ: Spectatumne huc, inquit Minucius, ad rem fruendam oculis, sociorum cædeis & incendia, vénimus?* Heic etiam disertè Livius testatur, inter extremum Massici montis & mare positam fuisse Sinuessam. De cætero coloniam huc Romanis deduxisse anno urbis Romæ CCCCLVIII, Q. Fabio Max. Rulliano quintùm & P. Decio Mure quartùm consulibus; id est, ante natum Iesum anno CCXCV: suprà in Minturnarum expositione ex Livio simul & Velleio Paterculo intellectum. eamdemque Sinuessam coloniam Livio posteà lib. XXVII & XXXVI memorari, ibidem perspectum. Hinc illud apud Frontinum in libro de Coloniis, loco haud dubiè à barbaris exscriptoribus vitiato: *Sinuessa opidum muro ductum colonia.*

Cæterùm AQVAE SINVESSANAE, quæ Livio dicto lib. XXII referuntur, Plinio quoque ac Silio & Martiali Tacitoque memorantur. Tacitus Historiar. lib. I: *Tigellinus, accepto apud Sinuessanas aquas supremæ necessitatis nuncio, intra stupra concubinarum & oscula & deformeis moras, sectis novaculâ faucibus, infamem vitam fœdavit etiam exitu sero & inhoneſto.* In eâdem historiâ Plutarchus in Othone: Ἔπεμψεν οὖν ἐπ' αὐτὸν ὁ Ὄθων εἰς τοὺς περὶ Σινόεσσαν ἀγρούς· id est: *Misit igitur adversùs eum Otho in Sinuessanos agros.* Tacitus Annal. lib. XII: *In tantâ mole curarum Claudius valetudine adversâ corripitur. refovendisque viribus mollitie cœli & salubritate aquarum, Sinuessam pergit.* Hinc Silius lib. VIII *tepentem* dixit *Sinuessam*, in his versibus:

Iam verò quos dives opum, quos dives avorum,
Ex toto dabat ad bellum Campania tractu,
Ductorum adventum vicinis sedibus Osci
Servabant; Sinuessa tepens, fluctuque sonorum
Vulturnum.

Martialis lib. XI epigram. VIII:

Dicet & hictericam se forsitan altera mœcha
In Sinuessano velle sedere lacu.

Plinius XXXI cap. II: *In eâdem Campaniæ regione Sinuessanæ aquæ sterilitatem feminarum & virorum infamiam abolere produntur.* Quum suprà dicto lib. III cap. V Sinuessam faciat, unà cum Mela lib. II cap. IIII: extremum opidum Novi Latii; tamen heic aquas Sinuessani agri Campaniæ tribuit, quia, haud procul Sinuessâ, ad orientale *Massici* montis latus, quod Campaniam prospectat, sitæ sunt. quod ipsum haud obscurè ex suprà scriptis Livii verbis etiam perspicitur. Hodiè locus is vulgò vocatur *Bagni*: & turris juxtà sita *Torre di Bagni*.

Prope est locus, qui Plinio lib. II cap. XCIII memoratur. *Spiritus*, inquit, *letales alibi, aut scrobibus emissi, aut ipso loci situ mortiferi: alibi volucribus tantùm: ut Soracte, vicino Vrbi tractu: alibi præter hominem cæteris animantibus: nonnumquàm & homini; ut in Sinuessano agro & Puteolano. Spiracula vocant: alii Charoneas scrobes, mortiferum spiritum exhalanteis.* CHARONEA scrobs.

Porrò inter Sinuessam Minturnasque TRIFANVM *locus* memoratur Livio lib. VIII, in consulatu T. Manlii Torquati III & P. Decii Muris, anno urbis Romæ CCCCXIIII. *Huic agmini*, inquit, *Torquatus consul ad Trifanum (inter Sinuessam Min-* TRIFANVM, *locus.*

turnasque is locus) occurrit. De eâdem re Diodorus lib. XVI: Ἐπ' ἄρχοντος Ἀθήνῃσι Φρυνίχου, Ῥωμαῖοι καταστησάμενοι ὑπάτους Τίτον Μάλλιον Τορκουάτον καὶ Πόπλιον Δέκιον. * — *. Ῥωμαῖοι δὴ πρὸς Λατίνους καὶ Καμπανοὺς συμβαλόμενοι περὶ πόλιν Σινόεσσαν, ἐνίκησαν. ὁ δὲ κατορθωκὼς τὸν μάχιμον Μάλλιος ὁ ὕπατος ἐθριάμβευσεν. Id est: *Summam Athenis magistratum gerente Phrynicho, consules sibi constituerunt Romani T. Manlium Torquatum & P. Decium.* Paullo pòst: *Tum Romani infestâ acie cum Latinis & Campanis apud urbem Sinuessam congressi, victores abiverunt. consulque Manlius, cuius ductu res eo prælio benè gesta fuit, triumphum egit.* Optimè ac peritissimè ad præscriptum Livii locum monuit Sigonius, legendum heic apud Diodorum esse pro vitioso vocabulo Σάτεσσαν Σινόεσσαν. Cæterùm ex hoc Diodori loco adparet, propiùs Sinuessam fuisse hanc pugnam ad Trifanum, quàm Minturnas. Sed quòd quidam arbitrati sunt, ab hoc *Trifano* Plinio Martialique dictum esse vinum TRIFOLINVM, quasi Trifaninum, id perquàm dubium adfirmatu est; quando mera ea est conjectatio. Plinii verba lib. XIIII cap. VI de generosis vinis hæc sunt: *Campania nuper excitavit novis nominibus auctoritatem; sive curâ sive casu: ad quartum à Neapoli lapidem Trebellicis; juxta Capuam Caulinis; & in suo agro Trebulanis. alioqui semper inter plebeia & Trifolinis gloria sua.* Hinc Martialis lib. XIII epigram. CXIIII:

Non sum de primo, fateor, Trifolina Lyæo:
Inter vina tamen septima vitis ero.

Plinius lib. III cap. V ita tradit: *Latium antiquum à Tiberi Circeios usque observatum est, millium passuum L longitudine. tam tenues primordio imperii fuêre radices. Colonis sæpè mutatis, tenuêre alii aliis temporibus: Aborigines, Pelasgi, Arcades, Siculi, Aurunci, Rutuli; & ultra Circeios Volsci, Osci, Ausones. unde nomen modò Latii processit ad Lirim amnem.* Et aliquanto pòst: *Colonia Minturnæ, Liri amne divisa, Glani quondam adpellato: opidum Sinuessa; extremum in adjecto Latio: quam quidam Sinopen dixêre vocitatam. Hinc felix illa Campania est.* Quum varius heic incertusque constituatur à Plinio terminus inter Novum Latium & Campaniam, incertum est, utrùm Trifolina ista Campaniæ vina inter Lirim & Sinuessam, an verò ultra hanc intellexerit. Horatius Epist. V libri primi ita scribit:

Vina bibes, iterum Tauro diffusa palustreis
Inter Minturnas Sinuessanumque Petrinum.

PETRINVM hoc quid fuerit, ne ipse quidem interpres poëtæ antiquus scivit. sic quidpe ille in Scholiis: *Petrinus mons est Sinuessanæ civitati imminens; vel ager Sinuessæ vicinus.* Hoc sanè divinare est; non verò certum quid docere. Atque hactenus litus Ausonidis sive Auruncæ terræ explicitum est.

VESCIA *opidum*; VESCINVS *ager*.

In mediterraneis inter Massicum montem, qui nunc vulgò dicitur *Monte Dragone*, & Lirim amnem VESCINVS fuit AGER, ab VESCIA urbe sic adpellatus. Cùm ager tùm urbs Livio maximè memorantur lib. VIIII & X. Sed apud hunc quum lib. VIII Vestinorum nobilissimæ gentis, quam suprà lib. II cap. XII exposui, frequens sit mentio; libris etiam sequentibus imperiti grammatici pro Vescia urbe Vestinam, pro Vescino agro atque saltu supposuêre Vestinum, quod tamen jam dudum alii quoque monuerunt viri docti. Verùm non in unius tantùm Livii exemplaribus ea labes sese continuit: sed alii etiam auctores eius contagione correpti fuerunt. Apud Stephani epitomatorem hæc leguntur: Βεσκία, πόλις Αὐσόνων. τὸ ἐθνικὸν Βεσκιάτης, ὡς Ἀνδριάτης· καὶ Βεσκιανὸς, ὡς Ἀδριανός. Id est: *Vescia, urbs Ausonum. gentilitium inde Vesciates, ut Antiates; & Vescianus, ut Hadrianus.* Ita scriptum ab ipso fuisse Stephano opidi vocabulum, ordo literarum testatur. At Romanis à *Vesciâ* potuêre opidani dici Vescini, ut à Fescennia, Saturniâ, Pollentiâ, Potentiâ, Numeria, Aricia, Setia, Signia; Fescennini, Saturnini, Pollentini, Potentini, Nucerini, Aricini, Setini, Segnini; & id genus innumera alia. Ab Livio igitur in lib. VIIII ita scriptum fuit; *Consules ab Sorâ profecti, in agros atque urbeis Ausonum bellum intulerunt. mota namque omnia adventu Samnitium, quum apud Lautulas dimicatum est, fuerant; conjurationesque circa Campaniam factæ. nec Capua ipsa crimine caruit. Cæterùm Ausonum gens, proditione urbium, sicut Sora, in potestatem venit. Ausona & Minturnæ & Vescia urbes erant.* Paullo pòst: *His auctoribus mota propiùs castra: missique eodem tempore circa tria opida milites.* Et mox: *Ita portæ occupatæ: triaque opida eâdem horâ eodemque consilio capta.* Et lib. X: *In Samnio novi exercitus exorti, ad depopulandos*

pulandos imperii Romani fineis per Veſcinos in Campaniam Falernumque agrum transſcendunt; ingenteisque prædas faciunt. Aliquanto poſt: *Tum de præſidio regionis depopulatæ ab Samnitibus agitari cœptum. Itaque placuit, ut duæ coloniæ circa Veſcinum & Falernum agrum deducerentur: una ad oſtium Liris fluvii; quæ Minturnæ adpellatæ: altera in ſaltu Veſcino, Falernum contingente agrum; ubi Sinôpe dicitur Græca urbs fuiſſe; Sinueſſa deinde ab colonis Romanis adpellata.* Et ſub finem libri: *A triumpho exercitum in agrum Veſcinum, quia regio ea infeſta ab Samnitibus erat, hibernatum duxit.* Inter mare & extremum Maſſici montis verſùs mare excurſum ſitam fuiſſe hanc *Sinueſſam in ſaltu Veſcino*, ſuprà demonſtratum. hinc *Falernum agrum* ab Maſſico monte ad Vulturnum usque amnem protenſum fuiſſe, infrà in Campaniæ deſcriptione oſtendetur. Quòd autem Livius ait, Samnites è Samnio per Veſcinos in Campanum Falernumque agrum transſcendiſſe, id non de ipſo genuino, ac vero Samnio, cuius fineis poſt Campaniæ deſcriptionem indicabo, intelligendum eſt; ſed de eâ Samnitium ditione, quam tum, diutinum contra Romanos bellum gerentes, ad ſuperiorem usque Liris ripam & opida Caſinum, Soram, & Fregellas protulerant; ut ſuprà cap. VIII in Volſcis perſpectum. *Veſcinus* igitur *ager* montium jugo, quod inter *Molam* opidum & *Minturnarum* ruinas dextram Liris ripam proſequitur & Caſinate agro ac mari infero incluſus fuit. Hinc illud Lucani lib. II; ubi flumina Italiæ recenſet, quæ Apenninus mons fundit.

——— *Delabitur inde*
Vulturnusque celer, nocturnæque editor auræ
Sarnus, & umbroſæ Liris per regna Maricæ,
Veſcinis impulſus aquis.

Strabo lib. V: Ἡ δὲ Σινέσσα ἐν Οὐεσκίνῳ κόλπῳ ἵδρυται· ἀφ' ἧς ἐστὶ τὸ νόμα. Id eſt: *Sinueſſa in Veſcino ſinu ſita eſt. unde & nomen ei quæſitum.* Heic quoque in vulgatis hactenus, Strabonis exemplaribus corrupta, vox eſt Σηΐνῳ κόλπῳ, in Satino *ſinu*. Livius prædicto lib. X: *Samnites prædatum in agrum Veſcinum Formianumque deſcendêre.* At in eo maximè ab Strabone erratum arbitror, quod eodem libro exiguo antè tradit his verbis: Φορμιῶν δ' ἀπὰ μέζον ἐστὶ ἡ Σινέσσης ἡ Μιντοῦρναι· διαῤῥεῖ δ' αὐτὰς ὁ Λῖρις ποταμός· φέρει δ' ἀνωθεν ἐκ τῶν Ἀπεννίνων ὀρῶν ἡ τὸ Οὐηστίνης παρ' Φρεγέλλας. ἐκπίπτει δ' εἰς ἅλσος ἱερὸν, ἱμῶμβρον περιπλῶς ὑπὸ τὸ ἐν Μιντούρναις, ὑποκείμενον τῇ πόλει. Id eſt: *Inter Formias & Sinueſſam ſunt Minturnæ; quas Liris amnis perfluit; ex Apenninis montibus & Veſtino agro præter Fregellas delapſus; exiensque in ſacrum lucum infra Minturnas ſitum; quem religioſiſſimè colunt Minturnenſes.* Certè neque ex Apennino monte oritur Liris, neque *Veſtini* umquàm attigerunt eum: quum fontes eius ſint in confinio Aequorumque Marſorumque: horum verò latus occidentale inter dictos fonteis & Veſtinos clauſerint olim Sabini. Itaque ſuſpicor, quum accepiſſet Strabo, ab Fregellis per *Veſcinum* agrum delapſum Lirim apud Minturnas in mare effundi; de *Veſtinorum* regione id eum per errorem intellexiſſe; atque ita ex Apennino amnem oriri conjectaſſe. Apud Ciceronem in oratione primâ ad populum contra Rullum de Lege agrariâ ita in vulgatis exemplaribus eſt: *Albanus ager eſt, Setinus, Privernas, Fundanus, Veſtinus, Falernus, Liternus, Cumanus.* Heic jam minùs dubitare licet, quin ſcribendum *Veſcinus*; quum recto ordine omnes iſti agri inter ſeſe jungantur. Apud Plinium quoque lib. XI cap. XLII, quod eſt de optimis caſeorum generibus, ſic ſcriptum eſt: *Proximum Vrbi Veſtinum; eumque è Cæditio campo.* Heic etiam reſcribendum eſſe *Veſcinum*, Pompeius Feſtus fidem facit; apud quem hæc leguntur: *Cæditiæ Tabernæ, in viâ Appiâ, à domini nomine ſunt vocatæ.* Ergo CAEDITIVS CAMPVS fuit in Veſcino agro, circa viam Appiam; & in eo diverſoria publica nomine CAEDITIAE TABERNAE, in ipsâ viâ Appiâ. Cæterùm patet ex ſuprâ ſcriptis Livii verbis, propinquas inter ſe fuiſſe treis illas urbeis, Auſonam, Veſciam, atque Minturnas. Idem auctor lib. VIII de pugnâ narrans à Romanis contra Latinos Volſcosque in Campaniâ ſub Veſuvio monte pugnatâ: *Latini ex fugâ ſe Minturnas contulerunt.* Et paullo pòſt, de eâdem fugâ: *Qui Latinorum pugnæ ſuperfuerant, multis itineribus diſſipati, quum ſe in unum conglobaſſent, Veſcia urbs eis receptaculum fuit.* An igitur citra Minturnas fuit *Veſcia*, ab dextrâ Liris ripâ; ita, uti huc tandem Latini à Minturnis ſe receperint? Haud facilè quis dixerit. Nec de Auſonâ quidquam conjicere licet.

CAEDITIVS campus. & CAEDITIAE Tabernæ.

Porrò

FVNDI, municipium & colonia.

Porrò inter *Formias* sive *Molam* opidum & *Tarracinam*, sive inter Formianos Fundanosque monteis erat CAECVBVS AGER, & in ipso *opidum* FVNDI, juxtà LACVS FVNDANVS. Opidum vulgò hodiè quoque vocatur *Fundi*; & inde lacus *Il Lago di Fondi*. Memoratur illud Ciceroni, Livio, Melæ, Straboni, Silio, Svetonio, Frontino, Ptolemæo, Itinerariis antiquis; quæ suprà ad expositionem Sinuessæ produximus. Cicero ad Atticum lib. XIIII epist. VI: *Fundis sum cum Ligure nostro*. Livius lib. XLI: *Fulvius Flaccus Iovis ædem Pisauri & Fundis faciendum locavit*. Silius lib. VIII:

——— Sinuessa tepens, fluctuque sonorum
Vulturnum: quasque evertère silentia, Amyclæ;
Fundique; & regnata Lamo Caieta; domusque
Antiphatæ.

Svetonius in Tiberio, cap. V: *Tiberium quidam Fundis natum existimaverunt; sequuti levem conjecturam, quòd materna eius avia Fundana fuerit*. In Galbâ, cap. IIII: *Ser. Galba imperator natus est in villâ colli suppositâ prope Tarracinam sinistrorsum Fundos petentibus*. Et cap. VIII: *In opido Fundis moranti*. Ptolemæus in enarratione opidum mediterraneorum Latii: Σῶρα, Μινθέρναι κολώνια, Φοῦνδοι. *Sora, Minturnæ colonia, Fundi*. Sic Plinius quoque *Fundos* in mediterraneis habuit lib. III cap. V. sic enim refert litus: *Tarracina opidum; & ubi fuêre Amyclæ à serpentibus deletæ. dein locus Speluncæ, lacus Fundanus, Caieta portus, opidum Formiæ*. At quia V haud ampliùs millia passuum à mari opidum disitum est, Mela ac Strabo in litore id recensuerunt. Mela lib. II cap. IIII: *Vulturnum opidum, Sinuessa, Liris, Minturnæ, Formiæ, Fundi, Tarracina*. Strabo lib. V: Ἔχει δὲ Καϊάτα κόλπος τὸ Καικύβιον· τούτῳ δὲ Φοῦνδοι πόλις, ἐν τῇ ὁδῷ τῇ Ἀππίᾳ κειμένη. Id est: *Caietano sinui conterminum est Cæcubum: huic Fundi opidum, in viâ Appiâ situm*. At idem opidum Dionysio Halicarnassensi dictum est singulari numero *Funda*, si Stephano credimus: cui nihil usitatius, quàm opidorum nominum formationes, quæ suo demum sæculo usurpatæ fuêre, ex antiquissimis citare auctoribus. Breviator igitur eius, Φοῦνδα, inquit, ὡς Νῶλα, πόλις Ἰταλίας. οἱ πολῖται Φουνδανοί· Διονύσιος πεντεκαιδεκάτῳ Ῥωμαϊκῆς ἀρχαιολογίας. Hoc est: *Funda, ut Nola, opidum Italiæ. unde opidani Fundani; auctore Dionysio Romanar. antiquit. lib.* XV. Sed gentilitium vocabulum solummodò citasse videtur ex Dionysio Stephanus; non ipsius opidi. Opidani autem etiam omnibus Latinis auctoribus dicti fuêre FVNDANI. Svetonium paullo antè audivimus in Tiberii vitâ. Idem in Caligulâ, cap. XXIII: *Liviam Augustam proaviam etiam ignobilitatis quadam ad senatum epistolâ arguere ausus est; quasi avo decurione Fundano ortam*. Livius lib. XXXVIII: *De Formianis Fundanisque municipibus & Arpinatibus C. Valerius Tappo, tribunus plebis, promulgavit, ut iis suffragii latio (nam antè sine suffragio habuerant civitatem) esset*. Mox: *Rogatio perlata est; ut in Æmilia tribu Formiani & Fundani, in Corneliâ Arpinates, ferrent*. Fuit igitur municipium in primis antiquum. *Colonia* postmodùm deducta est. Frontinus in libro de Coloniis: *Fundi, opidum muro ductum. ager eius jussu Augusti veteranis est adsignatus cum culturâ*. Pompeio Festo connumeratur inter præfecturas; ut suprà ad *Formiarum* expositionem intelleximus. Cæterùm, qui Plinio præscripto loco à Fundis, opido proximo, dicitur Fundanus lacus, eum anteà adpellatum fuisse Amyclanum, ab adposito opido Amyclis, suprà in huius explicatione ostensum est. Apud Tacitum Historiar. lib. III sic scriptum est: *Circa lacum Fundani descendentibus, qui Sabinum comitabantur, armatis occurrunt promptissimi Vitellianorum. modicum ibi prælium*. Certè, nisi Tacitum scripsisse contendas, *Circa lacum Fundani agri*: scripsit ille, *Circa lacum Fundanum*.

De cætero Strabo in præscriptis verbis τὸ Καικύβιον quid intellexerit, haud facile ex oratione eius divinatu est. Posterior interpres Latinus ita vertit: *Caietanum sinum subsequitur Cæcubum: inde Fundi, urbs in viâ Appiâ*. At heic minùs exactè vis verbi ἔχεσθαι expressa est per Latinum verbum *subsequi*. rectiùsque prior interpres; *Sinui Caietano contiguum est Cæcubum: cui adjacet urbs Fundi, in viâ Appiâ*. Ego verò vocabulum heic interiisse, scriptumque fuisse ab ipso Strabone, τὸ Καικύβιον πεδίον, vel certè τὸ Καικύβιον χωρίον, audacter adfirmaverim. sic quidpe anteà tradit: Ἄπεστι δ' ἐστὶν ἡ λεχθεῖσα Σιδικῶν καὶ παμφύρου, πλὴν ὀλίγων χωρίων, τῶν μὲν τοῦ Φαλερίου, ὅσα ἐλώδη καὶ νοτερά, ὅσα τοῦ Ἀρδεατῶν, καὶ μεθόριά ἐστι Λατίνης, μέχρι Παμφύλης, καὶ ὅσα τῆς Σηλίνης χωρίων,

χωρίων, καὶ τὰ περὶ Ταρρακίναν καὶ τὸ Κιρκαῖον· ἢ εἴ τινα ὀρεινὰ καὶ πετρώδη· καὶ ταῦτα δ' ὁπόσα πλέως δρυμά, οὐδ' ἄχρηστα· ἀλλὰ νομὰς παρέχει δασυλλεῖς, ἢ ὕλην, ἢ καρπούς τινας ἐλαίας ἢ πολυείους. τὸ δὲ Καίκυβον, ἐλῶδες ὄν, εὐοινοῦται μᾶλλον τρέφει, τὴν δενδρῖτιν. Hoc est: *Omne Latium felix est & omnium rerum ferax; exceptis paucis quibusdam locis maritimis; quæ palustria sunt atque morbosa: ut, Ardeatinus ager; & quod est inter Antium Laviniumque, ad Pometinum usque campum; & Setini agri, & circa Tarracinam Circæumque quædam loca. tum, si qua sunt montosa atque saxosa. quamquàm ne hæc quidem prorsus ociosa aut inutilia sunt: quum vel pascua copiosa habeant, vel silvas; vel fructus palustreis aut montanos proferant. Cæcubus verò ager quum palustris sit, vitem tamen arboream alit, cuius vinum præstantissimum.* Sic Plinius lib. XIIII cap. VI: *Anteà Cæcubo vino erat generositas celeberrima, in palustribus populetis, sinu Amyclano.* Martialis lib. XIII epigram. CXV:

Cæcuba Fundanis generosa coquuntur ahenis:
Vitis & in mediâ nata palude viret.

Plinius lib. II cap. XCV: *Quædam insulæ semper fluctuant: sicut in agro Cæcubo, & eodem Reatino, Mutinensi, Statoniensi; in Vadimonis lacu: & ad Cutilias aquas opaca silva; quæ numquàm die ac nocte eodem loco visitur.* Insulam heic intelligit in *Fundano* sive *Amyclano lacu* fluctuantem. Rectè igitur apud Strabonem præscripto loco legis; Ἔχει δὲ καὶ Καιάτα κόλπα τὸ Καίκυβον χωρίον· ταύτης δὲ Φοῦνδοι πόλις, ἐν τῇ ὁδῷ τῇ Ἀππίᾳ κειμένη. Id est: *Caiatæ sinui contiguus est Cæcubus ager: huic Fundi opidum, in viâ Appiâ situm.* Errant quàm vehementissimè illi, qui sibi ex hoc Strabonis loco opidum somniant *Cæcubum:* cuius neque Strabo neque alius umquàm meminit auctor. Plinio item miror quid in mentem venerit, quòd *Cæcubum agrum*, sive *Cæcubas viteis* in *Pomptinas* transtulerit *paludes*; quum satis longum illud atque excelsum inter utrumque campum intercedat montium jugum. Verba eius lib. XVII cap. IIII hæc sunt: *Cæcubæ vites in Pomptinis paludibus madent.* Atqui prædicto lib. XIIII cap. VI disertè cum Strabone ac Martiale Amyclano eas adserit sinui, qui sanè Pomptinas paludes non tetigit. Incuriâ igitur isthoc quadam ab eo pronunciatum. Quin ipse posteà lib. XXIII cap. I ait; *Cæcuba jam non gignuntur.* Quod & ipsum falsum esse, arguit compluribus locis Martialis. Verùm multa perperam Plinius, dum compendiosæ orationi nimium studet. Lib. XIIII cap. IIII sic scribit: *Digna opera, quæ in Cæcubis Setinisque agris proficeret.* Hoc satis rectè. namque *Setia* Pomptinis imminebat campis; ut suprà cap. VIII ostensum: his verò trans Fundanos monteis jungebatur Cæcubus ager. Idem Plinius lib. III cap. V: *Hinc Setini & Cæcubi obtenduntur agri. his junguntur Falerni, Caleni. dein consurgunt Massici, Garrani, Surrentinique montes.* Hoc iterum nimio compendii studio satis turbatoriè ac falsò. non enim *Cæcubo agro* jungebatur *Falernus*; quum intercederet, primùm *Formianus*, dein *Vescinus ager*, ad *Massicum* usque *montem:* quem tandem sequebatur *Falernus ager*. Sed Plinius, nimiâ brevitatis cupidine inductus, primùm *agros* voluit simul atque comprehensim enumerare; dein consimili modo *monteis*. Horatius Carmin. lib. I odâ XX ita canit:

Cæcubum & prælo domitam Caleno
Tu bibes uvam. mea nec Falernæ
Temperant vites, neque Formiani
Pocula colles.

Certè, nisi id *Formianorum montium* latus intellexerit, quod ab oriente *Cæcubo* imminet *agro*; nescio, an & ipse satis rectè ac propriè Formianum agrum adpellaverit Cæcubum. Hoc tamen voluisse, patere videtur ex Carm. lib. IIII odâ XVI; ubi sic canit:

Quamquàm nec Calabræ mella ferunt apes,
Nec Læstrygoniâ Bacchus in amphorâ
Languescit.

Formianum heic disertè indicat *vinum* per *Læstrygoniam amphoram*, id est, *Formianam*; quia, ut suprà ostensum, Formiæ Læstrygonum dicebantur sedes. Cæterùm laudatur idem Cæcubum vinum Dioscoridi quoque & Columellæ. quorum hic Rusticar. rer. lib. III cap. VIII: *Neque dubium est, Massici, Surrentinique & Albani atque Cæcubi agri vites omnium, quas terra sustinet, in nobilitate vini principeis esse.* Dioscorides lib. V cap. X: Ὁ δὲ Καικυβος οἶνος, γλυκὺς ὤν, ἀδρομερέστερός ἐστι δὲ Ἀλβανοῦ. Id est: *Cæcubum vinum & dulce est & Albano crassius.* Et cap. XI: Διαφέρουσι δὲ τούτων οἱ Ἰταλικοὶ εἶναι· ὡς Φάλερνος, Συρρεντῖνος, καὶ Καικυβος, ὅ τε Σιγνῖνος καὶ ἄλλοι πολλοί. Id est:

Id est: *Inter hæc præstant Italica vina: Falernum, Surrentinum, Cæcubum, Signium, & complura alia.* In vulgatis equidem exemplaribus, ut reliqua ista vocabula, sic Καίκυβον etiam vitiosùm legitur Κέκυβον, utroque capite. at longam debêre esse hanc syllabam, ex Latinorum poëtarum metris patet. Præter jam scripta Horatii Martialisque loca, sic præterea canit Martialis lib. II epigr. XL:

Cæcuba siccentur, quæque annus coxit Opimî:
Condantur parco fusca Falerna vitro:

Et lib. XII epigr. XVII:

Ebria Satino sit sæpè, & sæpè Falerno.
Non nisi post niveam Cæcuba potat aquam.

Sed omnia ista præstantiora Italiæ vina uno nomine adpellata quondam fuisse Opimiana, ostendit Plinius lib. XIIII cap. XIIII: *Apothecas*, inquit, *fuisse, & diffundi solita vita anno* IↃCXXXIII *Vrbis, adparet indubitato Opimiani vini argumento: jam intelligente suum bonum Italiâ. Nondum tamen ista genera in claritate erant, itaque omnia tunc genita unum habent consulis nomen.* Martialis lib. I epigr. XXVII:

Non hæc Pelignis agitur vindemia prælis;
Vva nec in Tuscis nascitur ista jugis:
Testa sed antiqui felix siccatur Opimî;
Egerit & Nigros Massica cella cades.

Interiisse tamen Cæcubum vinum circa id tempus, quo Plinius Historiam suam naturalem edidit; id est, sub finem vitæ eius; non sine ratione atque documento ipse testatur suprà dicto lib. XIIII cap. VI: *Anteà Cæcubo*, inquit, *vino erat generositas celeberrima, in palustribus populetis, sinu Amyclano. quod jam intercidit; & incuriâ coloni locique augustiâ; magis tamen fossâ Neronis; quam à Baiano lacu Ostiam usque navigabilem inchoaverat.* Eadem FOSSA NERONIS Statio quoque memorari videtur, Silvar. lib. IIII carm. III; quo novam Domitiani imperatoris viam celebrat. initium carminis tale est:

Quis duri silicis graveisque ferri
Immani sonus æquori propinquum
Saxosa latus Appiæ replevit?
Certè non Libycæ sonant catervæ;
Nec dux advena, peierante bello,
Campanos quatit inquietus agros:
Nec frangit vada, montibusque cæsis
Inducit Nero sordidas paludes.

Et ipsam mox post Neronis simul & Plinii interitum intercidisse hanc fossam, ex eo conjicio, quod sub Domitiano *Cæcubæ vites* rursum excultæ fuêre; teste suprà citato Martiale.

Atque hactenus cuncta veterum *Ausonum* sive *Auruncorum* loca ad Massicum usque montem, quò posteà fine Novi Latii producti fuêre, nobis explicita sunt. ab altero montis latere, quamvis & urbs ipsius gentis cognomine fuerit *Suessa Aurunca*, quæ nunc vulgò dicitur *Sessa*; & ipsum etiam *Falernum agrum*, ad Vulturnum usque amnem, antiquissimis temporibus *Aurunci* coluerint, unà cum opido *Calibus*; ut superiori capite intellectum: tamen, quia hæc loca postmodùm sub Campaniæ titulo censita fuêre, ad huius descriptionem rejicere visum est.

FINIS LIBRI TERTII.

PHILIPPI



PELIGNORUM
pars.
MARIS HADRIATICI
pars.
FRENI
pars.
TANORUM
LA
TII
SAM
NI
APPVLIAE
Apen
VM.
CAMPA
pars.
Occidens.
Oriens.
PARS.
Taur
Campi
HIR
NIA.
PI
PICEN
NI.
TINI.
MARE TYR
RHENUM sive TUSCUM
Palermus
SAMNI.
ET CAMPANIAE,
item
Hirpinorum et
Picentinorum agri
descriptio
auctore
PHILIPPO CLUVERIO
Millia passuum.